


V
B
J
C
3
ATLASY
V


Biblioteka Jagiellońska
1002970898

GEOGRAPHIÆ BLAVIANÆ

VOLVMEN TERTIVM,

QVO

GERMANIA,

QVÆ EST

EUROPÆ

LIBER OCTAVVS,

CONTINETVR.



AMSTELÆDAMI,

Labore & Sumptibus

IOANNIS BLAEV,

MDCLXII.

H. L.
C. A. C.



GERMANIA.

Nomen.



GERMANIAM hunc totum quem exhibemus Europæ tractum tum Græci tum Romani vocarunt, incolasque ejus Germanos, propter fraternam eorum & Gallorum tam corporum, quam morum similitudinem: vel potius Germani sibi ipsis id nomen dedere, quod à *Gaer*, quod totum, & *man*, quod homines eorum lingua designat, videtur compositum. Allemannos autem quod aliqui eos vocent, id ipsum quoque ex compositione vocum Germanicarum *All man*, quod totos homines, vel *Adelman* quod nobilem hominem notat, originem traxisse videtur.

Fines.

Antiquiores Geographi Germaniam ab Occasu Solis Rheno fluvio, à Septentrione Oceano Germanico, à Meridie Danubio fluvio, & ab Oriente ista planitie, quæ Danubium & Sarmatum Montes inter videtur terminarunt. Hujus temporis autem confinia, (si Helvetios, & Grisones, Belgasque ob ejusdem linguæ usum comprehendere libet) constituuntur à Septentrione Oceanus, vel Mare Germanicum, & Mare Balthicum; ab Occidente Gallia sive Francia; à Meridie Italia, ab Oriente Polonia & Hungaria.

Ambitus totius Germaniæ 465 leucas, sive milliaria continet Germanica, quæ 93 itineris diebus conficiuntur, longit. 148, lat. autem 120.

Divisio.

Dividi autem solet Germania in Superiorem *Hoch-Teutslant* Alpibus, & Inferiorem *Nieder-Teutslant* Septentrioni & Oceano propinquiorem. Superior Germania complectitur superiorem & inferiorem Palatinatum Moguntiam usque, Franconiæ partem, Bavariam, Austriam, Stiriam, Comitatum Tirolensem, Carinthiam, Grisones, Helvetiam, Alsatiam, Wormatiense & Spirense territoria. Sub inferiori Germania comprehenduntur reliqua pars Franconiæ, Brabantia, Flandria, Zelandia, Hollandia, Geldria, Frisia, Westphalia, Hassia, Saxonia, Marchia Brandenburgensis, Pomerania, Ducatus Megapolitanus, Brunswicensis, Luneburgensis, Holsatiæ, & alii quidam Principatus, Bohemia, Moravia, Silesia, Lusatia, Voigtlandia, Misnia & Thuringia, Prussiam adjungunt alii, quamvis Poloniæ Regi obediat; Daniam, quæ inter Imperii ordines locum non obtinet; Livoniam, quæ Regum vel Poloniæ, vel Sueciæ mandatis paret, peculiarique utitur idiomate; Lotharingiam, quæ unam Præfecturam, quæ Germanice loquitur tantummodo, sed tamen Ducem Ordinum Imperii cathalogo insertum habet; deniq; Mænus & Moguntia Superiorem ab Inferiori Germania dividere existimantur.

Germaniæ circuli.

Germania anno 1500 in sex Circulos sive *Cräyse* à Maximiliano I. Imperat. fuit divisa, videlicet in Franconiæ vel Francicum, Bavaricum, Suevicum, Rhenanum, Westphalico Belgicum, & Saxonicum. Hisce postea, necessitate publica urgente, (divisis Saxonico & Rhenano) ab eodem Maximiliano anno 1512. additi Circuli Austriacus, Burgundicus, Rhenanus Electoralis, & Saxonicus superior, quæ distributio in decem Circulos à Carolo V. Imper. anno 1522 est repetita.

I. Austriacus.

Primus Circulus ordine est Austriacus, qui ditiones Episcoporum Tridentini, Brixiensis, Labachiensis, Viennensis, Archiducum Austriæ & Comitum de *Kirkbach*, ut & Constantiam civitatem Imperialem complectitur.

II. Burgundicus.

Hunc sequitur Burgundicus, sub quo Burgundia Comitatus vulgo *la Franche Comté*, Belgium, Comitatus Egmondanus & Hornensis, Nassoviæ Bredensis, & Antverpia Civitas Imperialis comprehenduntur.

III. Rhenanus Electoralis.

Tertium locum obtinet Rhenanus Electoralis, sub hoc censentur Ditiones Electorum Moguntini, Trevirensis, Coloniensis, & Palatini; Abbatis S. Maximini prope Treviros; Præpositi Zeltzensis; Comitum Beilstein, Dominorum de Reineck, &c. & Gelnhausia Civitas Imperialis, hisce aliqui Bohemiam, Moraviam, Silesiam & Lusatiam adjungere solent, quæ mihi potius ad Circulum Austriacum pertinere videntur.

IV. Saxonicus superior.

Quartum Saxonicum Superiorem constituunt Saxonia Electoratus & Ducatus cum Landtgraviatu Thuringiæ, & Marchionatu Misniensi; Electoratus & Marchionatus Brandenburgicus; Episcopatus Misniensis, Merseburgensis, Naumburgensis, Brandenburgensis, Havelbergensis, Libusiensis & Camin; Abbatiæ, Salfeldiensis, Walkenrietensis, Quedlinburgensis, & Geringeroda; Ducatus Pomeraniæ; Principatus Anhaltinus; Comitatus Schwartzburgensis, Mansfeldiensis, Stolbergensis, Hohenstein, Buchlingensis, Rapin, Barby, Muhlingensis, Gleichensis, & Leisnickensis; Baronatus Gehrensis, Graitz, Kranichfeldensis, Wildenfeldensis, Schönburgensis, Lautenbergensis, & Brandstein; Gedanum & Elbinga Civitates Imperiales, à Polonis ab Imperio nunc avulsæ.

V. Franconicus.

Quinto loco venit Franconicus seu Francicus, sub ejus districtu sunt Ditiones Episcoporum Bambergensis, Wurtsburgensis, & Eichstettensis; Magistri Ordinis Teutonici; Præpositi Cambergensis; Marchionum Brandenburgicorum Anspachiensium; Comitum Hennebergensium, Hohenlo, Erpach, Wertheim, & Schwartzenburgensium; Baronum Limpurgensium; Noriberga, Rotenburgum ad Tubarum, & Schweinfurtum civitates Imperiales.

VI. Bavaricus.

Sextus Circulus Bavaricus constituitur ab Archiepiscopo Salisburgensi; Episcopis Ratisbonensi, Passaviensi, & Freisingensi; Ducibus Bavariæ; Comitibus Palatinis Rheni, inter quos est Dux Neoburgicus; Lantgravio Leuchtenbergensi; Comitibus Haagiensi & Ottenburgensi; Baronibus Staufensi, Ebrensfels, Degenbergensi, Wolffteyn & Mexelreyn, & Imperiali Civitate Ratisbona.

VII. Suevicus.

Septimus est Suevicus, sub eo sunt Episcopi Curiensis, Constantiensis, & Augustanus; Præpositus Elbangensis; Abbates Campidonensis,



GERMANIA,
Vulgo
Teutschlandt.
Septentrio
Meridies
Occidens
Oriens
Milliaria Germanica
MARE BALTICUM vulgo OOST ZEE.
DANIA
Zuyder Iutlandt
Fuenen
Zelandia
Schonen
Blekingia
Bornholm ins.
SAMOGITIA
Curische nerunge
Frisch nerunge
PRUSSIA
POMERANIA
Cassubia
WARSOVIA
Cuiavia
POLONIA
MARCK BRANDENBURG
Mittel Marck
Alte Marck
Neder Lusatz
Ober Lusatz
SILESIA
Glatz
BOHEMIA
MORAVIA
MEISSEN
Voytlandt
Francken
Ober Pfaltz
Pfaltz
OOSTENRICK
HUNGARIA
STIRIA
CROATIA
BOSNIÆ PARS
Serviæ Pars
ITALIÆ PARS
Windisch mark
SCHWEYTZ
SABAUDIÆ PARS
COMITATUS BURGUNDIÆ PARS
LOTHARINGIA
LUTZEN
BRABANT
FLANDREN
ZELANDIA
Texel
ANGLIÆ PARS
Stormar
HOLSATIA
Sleswyck
Anglen
Rugen
Oldenburgh
Bremen
Verden
Lawenburgh
Maydeburgh
Hessen
Wirtemberg
Alsatia

Reichenavienſis, &c. Abbatiſſæ Lindavienſis & Buchavienſis. Dux Wirtembergenſis; Marchiones Badenſes; Comites Hohenzollern, Helffenſteinii, Oettingenſes, Lupfenſes, Werdenbergenſes, Montis Fortis, Furſtenbergenſes, Eberſteinii, Sultz, Lewenſteinii, Zimmerenſes; Barones Geroltzeckii, & Waldpurgenſes, &c. Civitates Imperiales: Auguſta Vindelicorum, Kaufbewern, Vlma, Memminga, Kempten, Bibrack, Iſne, Leutkirch, Wangen, Lindavia, Newersburgum, Buchorn, Vberlinga, Pfulendorf, Reutlinga, Eſlinga, Gemunda, Weil, Hailbrun, Wimpffen, Halla Suevica, Dunkelſpula, Böpffinga, Gengen, Alba, Norlinga, Donawertha, quæ nunc Duci Bavariæ paret, Buchavia, Offenburgum, Gengenbach, Zella, & Rotweil.

VIII. Rhenanus Superior. Octavus, Rhenanus Superior Ditiones comprehendit Epiſcoporum Wormatienſis, Spirenſis, Argentinenſis, & Baſileenſis; Ducum Lotharingiæ & Sabaudiæ; Comitum Palatinorum, Ducum Bipontinorum & Principum Simmerienſium; Lantgraviorum Haſſiæ; Comitum Waldeckiæ, Naſſoviorum Sarwarden, Sarbruck, Falkenſteiniorum, Iſenburgicorum, Leiningenſium, Salmenſium, Hanoviæ, Lichtenbergenſium, & Königſteiniorum; Baronum Rappolſteniorum; Magiſtri ordinis equitum D. Iohanni ſacrorum; Abbatum Fuldenſis, Hirſchfeldenſis, Murbacenſis, Prumenſis, Kauffingenſis; Civitates autem Imperiales: Keyſersberga, Monaſterium in Valle S. Gregorii, Turckheimium, Oberenheim, Colmaria, Argentina, Rosheim, Schleſtadt, Hagenavia, Wiſenburgum ad Rhenum, Landavia, Spira, Wormatia, Francofurtum ad Mœnum, Fridberga, Wetzelaria, Veſontium. Hiſce adjungebantur olim aliæ, quæ poſt ab Imperio avulſæ ſunt, ut Metæ, Baſileæ, Geneva, &c.

IX. Weſtphalicus. Nonum Weſtphalicum conſtituunt Epiſcopi Paderbornenſis, Monaſterienſis, Oſnabrugenſis, Mindenſis, Verdenſis, Cameracenſis, Leodicenſis, & Vltrajectinus. Abbas Corbienſis; Dux Iuliaci, Cliviæ & Montium; Comites Friſiæ Orientalis, Marchiæ, Ravenſpurgenſes, Naſſovii, Dillenburgenſes, Catzenelbogenſes, Viandæ, Dietz, Seynenſes, Fronsbergenſes, Manderſcheidii, Meurſæ, Bronckhorſtii, Grunfeldii, Benthemienſes, Steinfurtenſes, Tekelenburgenſes, Oldenburgenſes, Delmenhorſtii, Hoyæ, Diepholtii, Schaumburgenſes, Spiegelbergenſes, Lippii, Simmerenſes; Barones Rodenachii, Winnenbergenſes, Peilſteinii, Arnsbergenſes, Bolantii & Hornani. Civitates Imperiales: Colonia Agrippina, Aquisgranum, Veſalia inferior, Daventria, Dortmunda, Soeſta, Drosberga, Cameracum, Hervorda, Wartenberga, Landavia & Verda.

X. Saxonicus inferior. Vltimus & decimus Circulus eſt Saxonicus Inferior. Sub hoc ſunt Archiepiſcopatus Magdeburgenſis & Bremenſis; Epiſcopi Hildeshemienſis, Halberſtadienſis, Lubecenſis, Schwerinenſis, & Ratzeburgenſis; Abbatia Rittershuſen; Ducatus Sleſwicenſis, Holſatiæ, Stormarienſis, Ditmarſienſis, Wagrienſis, Lawenburgenſis, Brunſwicenſis, Luneburgenſis, Grubenhagenſis, & Megapolitanus; Comitatus Rheinſteinii, Windorfienſis; & Civitates Imperiales Lubeca, Hamburgum, Mulhuſa Thuringiæ, Northuſa & Goſlaria, &c.

Montes. Montes præcipui Germaniæ cenſentur ii, qui Bohemiam quaſi tegere videntur, antiquis Sudetes, nunc *Bohemiſch gebirght* incolis dicti. Abnobii & Meliboci in Haſſia, incolis *das Heſſiſch gebirght*. Montes Hercinii, & Carpates Germaniam ab Hungaria ſeparantes, incolis *Cremnitz & Semnitz* dicti. Voſagus Alſatiam & Lotharingiam ab Auſtraſia dividens. Pinifer vulgo *Fichtelberg* in Voigtlandia, & Iuga Alpium, quorum mentionem in deſcriptione Helvetiæ & Griſonum faciam.

Silvæ. Silva in Germania olim Hercynia fuit quammaxima, utpote longitudinem 60 dierum itineris, latitudinem novem habens. Hæc nunc in varias diviſa partes variis ab incolis nominibus indigetatur, prope Friburgam in Briſgovia vulgo *Schwartswalt*, ac ſi nigrum Nemus diceres, vocatur; prope Heydelbergam *Odenwalt*, quaſi Silvam Otthonis dicunt; prope Wurtzburgum *Steygerwalt* vocatur; Fluvio Lonæ adjacet *Weſterwalt*, ſeu Silva occidentalis; prope Francofurtum *Speshart*; prope Mansfeldiam Saxoniæ *Hartzwalt*, vel *auf dem Hartz* (quod quodammodo Hercyniæ nomen referre videtur) vocant. Denique à Thuringiis Silva proxima *Turingerwalt*, à Bohemis *Bohemerwalt* dici ſolet.

Fluvii. Fluvii in Germania celeberrimi, Rhenus, Danubius, Mœnus, Necarus, Albis, Spreus, Viadrus, Viſurgis, & Amaſus.

Germaniam veteres ſylvis horridam, paludibus fœdam, Galliam verſus humidam, Noricos & Pannoniam verſus ventoſiorem, ac fertiliorem, pecorumque quamvis exiguorum fœcundam altricem depinxerunt. Hiſce temporibus ſylvis excîſis & paludibus exſiccatis ſive aëris temperiem ſpectes, ſive ſoli fertilitatem nulli totius Europæ regioni cedere neceſſe habet; cujus rei vel illud argumento eſſe poteſt, quod quam rariſſime lue contagioſa infectetur, & incolæ ad extremam fere ſenectutem perveniant.

Aquæ ſalutiferæ. Aquis ſalutiferis ſcatet, quarum eæ præcipue prædicari ſolent, quæ Badam, caput Marchionatus Badenſis, illuſtrant; hæ calidæ, cum venas ſulphuris, ſalis, & aluminis interfluant, omnibus morbis fere ſalutares. Tribus ab hinc leucis in civitate *Wildbadt* aliæ ſunt non minus prædicandæ, quæ, cum cupro, alumine, & ſulphure ſint infectæ, magnum ægris adferunt ſolatium; prope Pfortzeimium & Zellam fluunt aquæ Badenſibus fere ſimiles, ſed quas igne adhibito incolæ calefacere coguntur. In Suevia plures aquæ tam calidæ, quam acidi ſaporis reperiuntur. Brevitatis cauſa Gebersweilenſes in Alſatia, Wiſbadenſes prope Moguntiam, eaſque quæ variis in Germania locis, Bohemia, Bavaria, &c. proſiliunt prætereo; Schwalbachienſes Wiſbadæ vicinas acidi ſaporis injuria affecerim, ſi ſilentio prætercam, cum innumeris morbis levamen adferre ſoleant.

Fertilitas. Solum mira fructus ſatos producit fertilitate, frumentum, hordeum, legumina, cæteraſque & ſoli & arborum fructuum ſpecies. Pomaria, hortique amœniſſimi ſunt fœcundis, iiſque varii generis arboribus conſiti. Paſcua herbis luxuriantia lætiſſimum armentis præbent pabulum.

Vinum. Vina pleriſque in locis præſtantia, & ab incolis exteriſque decantata proveniunt. Generoſiora

siora ea æstimantur, quæ in Rheno vicinis crescunt vinetis, eamque ob causam Rhenensia vocantur; præcipue autem ea, quæ ex uvis, quas incolæ Muscatellas nominant, exprimuntur. Reichenweilerensia, & Keyserspergensia Alsatiæ celebrari solent. Vinum rubei coloris, quod Tieffthalii prope Argentinam provenit, maximi ab Argentinensibus æstimatur. Landaviæ autem & in toto Palatinatus Inferioris tractu vina albi coloris generosissima crescunt; Rubea illa quæ ab incolis *Gänsfüsserwein* dicuntur, cæteris istius coloris facile palmam præripiunt. Illa autem præcipue inter alba excellunt, quæ in Rhingovia à Mœno fluvio Bacchiaram usque incolas beant.

Mœnus non minus vinis suis superbit, quid Franconica & Herbipolitana prædico, cum Klingenbergensia cum optimis suavitate jure merito certare queant. Illa vero quæ Hochemensia à pago cognomine dicuntur sine controversia cæteris omnibus longo antecellere intervallo existimantur: Danubium quoque præstantissima prope Vlmam, & in Suevia provenientia nobilitant vina, Austria ipsa Kalenbergensia nutrit vina palato & stomacho quam gratissima, Albis accolæ vina sed minoris notæ bibunt.

Crocum Austria, glycyrrissam Franconia, rubiam tinctorum Silesia, glastum Thuringia sat magna producunt quantitate.

Mineralia. Argenti fodinæ in Germania plurimæ reperiuntur. In regione Eyfelensi, in Alsatia, Saxonia, Misnia, Bohemia, Bavaria & aliis regionibus. Cupri Schwartzwaldii, & prope Hungariæ montes; Stanni in Misnia, Adelbergæ, & Imbersdorffii; Slackveldii in Bohemia. Plumbi Ramelbergæ prope Göslariam, Leberthalii prope Schlestadium. Ferri variis in regionibus laboratur, Schonbachii, in montibus Bohemicis ad Egrum siti, argenti vivi admodum magna copia invenitur. Sed quam maxime Auri fodinæ Germaniam & ditiorem reddunt & illustriorem. Metallum autem illud pretiosissimum Corbachii, in Ditione Lantgravii Hassici, in Westphalia Goldernachii; in Franconia & Steinheidii prope Noribergam; Goldbergæ & Risegrundii in Bohemia; in Bavaria Gusteinii, & Rauris nec non in Comitatu Tyrolensi effoditur; illud autem ex quo Floreni aurei confici solent prope urbem Seltz sex leucis Argentina distantem reperiunt. Imo arenis quorundam fluviorum, præcipue Ederæ fluvii Hassici, intermixtum id quandoque invenitur. Montes fere omnes totius Germaniæ, ferri, æris, argenti, aurique inexhaustas habent venas, ita ut qui eam metallorum feracissimam prædicat nulla à vero aberret via.

Salinæ. Salinæ plurimis in locis Germaniæ sunt, videlicet Luneburgi, Hallæ in Saxonia, in Comitatu Tirolensi, Suevia, Bavaria, Austria, & Salisburgi, & si qui sunt alii.

Animalia. Maximum boum, ovium, & porcorum alit numerum. Westphalia autem & Bavaria præcipue porcorum quam maximos nutrit greges; hinc pernæ Westphalicæ & Moguntiacæ quæ Belgis, Gallisque in deliciis esse solent. Equos generosiores Germanicos exteri laudibus extollunt, quorum Frisones fortissimos, Pomeranenses vero, Carstenses, Hassicos, & Bohemos optimos prædicant.

Corporis habitudo. Tacitus Germanos omnes flavis comis, cæruleis oculis describit, cum tamen id, ut in aliis nationibus, variet, quidam enim nigra, alii rutila sunt conspicui cæsarie, quamvis hi numero antecellant: oculi autem quibusdam sunt nigri, aliis cærulei, nec dicere possim, quorum videas majorem numerum. Quod ad staturam attinet, procera plerumque corpora, nervosos artus spectabis; pinguia quandoque ob frequentem cerevisiæ, potus ex hordeo confecti, vel vini albi usum, quod illa refrigeret, pinguedinemque bibentibus adferat, hoc cum minime fumosum sit, corpora purgare, & eodem quo cerevisia modo nutrire soleat; vel potius ob promiscuum & cerevisiæ, & vini albi usum. Vultibus Germanorum subrubeus color intermixtus non minimam adfert venustatem. Fœminæ, ut plurimum statura justa, forma eleganti, quæ cuivis amorem ingerere aptissima, nullis artibus, vel pigmentis, quibus cæteræ nationes utuntur, facies infectant; nativus & naturalis illis color, qui quam maximam eandemque innocentem conciliat elegantiam.

Indoles. Germani Musicæ deditissimi, & plures istius artis plusquam modice periti; subtilissimi plurimarum rerum inventores, industrii, artifices & mechanici eximii haud immerito dicuntur. Fidei præterea & promissi sunt tenacissimi, indolis optimæ, hospitales ultra modum. Litterarum & studiorum amatores, quorum & studiis & laboribus egregia pleraque se debere omnes fere nationes confitentur. Quidam eos forti pectore, simplices, & plus justo & epulis & vino deditos ac indulgentes depingunt. Nos quorundam helluonum vitia non insectantes eos in negotiis laboriosissimos, amicos veros, inimicos insidiis spretis apertos, bellatores egregios, artium inventores non contemnendos prædicabimus.

Fœminarum pudicitia. Nulli terrarum fere fœminæ pudicitiæ laude digniores dicuntur, quod ab odio communi quo mœchos & adulteros adulterasque Germani prosequuntur proficisci puto: virgo vel matrona temerata maximum dedecus & quasi inexpiabile familiæ toti inurere existimatur; inde pœnæ probrosissimæ constitutæ in eos qui contra pudicitiam delinquunt, quamvis hodie observari non soleant, solusque pudor sufficere videatur ad reprimendos impudicitiæ furores.

Mores. Inter Germanos autem ipsi indigenæ perhibent Francicos cæteris simplicitate, rusticitate, & impetu præire; Bavaros sumptuosos, insolentes, epularum amatores, dicunt; Suevos mutabiles, Thrasones & vanos existimant; Misnienses magnificos, divites & formæ pulchritudine præstantes ajunt; Turingienses nulli fidere, incredulos, ad rem attentiores, & jurgiis, quæstionibusque deditos judicant. Saxones dissimulatores, vafros & obstinatos credunt. Eos vero qui superiorem Rheni circulum incolunt, rei familiaris administratores egregios, proba simplicitate conspicuos, & hospitalitatis jura erga exteros libentissime observantes laudant.

Nobilium exercitia. Nobilitate stemmatis clari litteris humanioribus operam dant, vel venationi plurimum indulgent;

dulgent; peregrinas quoque regiones in juventute linguarum addiſcendarum, vel morum cognoſcendorum cauſa, aut etiam exercitia militaria diſcendi gratia viſitare in more poſitum habent. E plebe autem quidam omnem induſtriam in ſtudiis collocant, alii mercatu opes congregant, reliqui artibus mechanicis & plebeis victum quæritant.

Artificia. Neceſſitati vel potius curioſitati plerarumque nationum Germaniæ artifices ſatisfaciunt. Aurifabri Auguſtani quævis curioſiſſima ex auro & argento affabre conficiunt. Noribergenſium induſtriam in fabricandis & componendis horologiis, & præcipue efformandis quibuſvis minutiſſimis, ad miraculum uſque, ex quavis materia rebus, cum Naturam ipſam quibuſdam in rebus quaſi æquare videantur, quis non admiretur? Vlmenſes tormenta bellica ex ære optima fundunt. Criſtallum Friburgenſes miro artificio expoliunt; taceo innumera artium miracula, queis omnes fere antecellunt gentes. Illud tantum exempli cauſa adferam, quod referunt, Rotulam verſatilem Auguſtæ ex ebeno confectam, Reginæ Hiſpaniarum dono oblatam, duobus ducatorum ſeu ſequinorum æſtimatam fuiſſe millibus. Materiam ſuperabat opus, ac artificis mirum in ea efformanda artificium.

Rerum inventores. Inventrix rerum non minus felix Germania. Bocholtio paſtori Comitatus Bergenſis artificium laminis æneis quævis incidendi, quorum poſtmodum figuram inprimere poſſis, nos debere conſtans opinio eſt. Bombardas ceu tormenta bellica & pulverem pyrium Bertholdus Schwartz monachus invenit, quæ quamvis potius ad damna & in perniciem humani generis, quam ad utilitatem reperta videantur, tamen non minimum inter Germanorum inventa locum ſibi vendicant. Artis Typographicæ quoque, ſtudiorum & humanitatis conſervatricis, inventionem quidam, alioquin probatiſſimi, authores Germano cuidam adſignant, illud tamen certiſſime compertum habeo gloriam hujuſce præſtantiſſimi inventi injuria Laurentio Coſtero, Senatori Harlemenſi Batavo, eripi.

Privatorum domus. Domus privatorum tam in vrbibus, quam ruri ſingulari quodam artificio trabibus è ligneis, terra, calce, lapidibuſque intermixtis conficiunt, materiam præbentibus ſylvis, queis Germania abundat; trabes ipſæ rubeo viridive vel alio depictæ colore gratum oculis præbent ſpectaculum. Fabri lignarii in conficiendis ædificiis promptiſſimi, duorum menſium ſpatio domum quamvis prægrandem conficiunt, exteriſque ſtuporem fere promptitudine ſua incutiunt. Illa vero ſpatia, quæ trabes inter ſunt, calce eo modo inducunt, ut parietis vel ſolidi muri ſpeciem referre videantur. Ædificiis ipſis quamplurimæ feneſtræ vitreæ (chartaceis, atque è tela confectis ne pauperrimi quidem utuntur) impoſſibile eſt ut exprimere poſſim, quantam adferant amœnitatem. Ditiores etiam in frontiſpicio depingendo quandoque non exiguam nummorum ſummam impendunt, ita ut ædificia eorum primo intuitu palatia potius, quam privatorum habitacula dixeris; interior tamen ſupellex exteriori ornatui minime reſpondet, cum ſoli magnates domus ſuas tapetibus exornent; quamvis & privati aſſeres trabeſque intermedios (ædificia enim plurima diſcriminantur in cubicula) nitidiſſimos, ſæpius coloribus & picturis variegatos habeant; Domus vero lapideas tam patritiorum, quam mercatorum & artificum Monachii in Bavaria, Auguſtæ, & Noribergæ, Italorum more ædificatas, recte palatia vocaveris, cum illis nulla in parte vel magnificentia, vel commoditate cedant; variis vero in partibus tam Auſtriæ, tum Bohemiæ tegulis domus non ſolent tegere, ſed fruſtis ligneis longitudine pedis & dimidii, quæ *Schindel* vulgo vocant indigenæ, Delfinates & Vivareſii vero *Sandoules*; materies igni obnoxia, qui centum quandoque, cum accenſus fuerit depopulatur habitationes.

Monetæ cudendæ jus. In Germania variis monetæ cudendæ jus competit: præter Imperatorem enim, omnes Imperii & Principes & Ordines nemini ſubjecti, ſcilicet Electores, Principes Eccleſiaſtici & Sæculares, Civitates Imperiales, nec non Comites Turingienſes, totius Tractus Rheni, & Saxoniæ eo jure utuntur, ultra ducentas denique & quinquaginta ſunt familiæ, quibus illud competit. Quid quod Conrado Grumbachio, Nobili Alchymiſtæ jus illud pro tribus Thalerorum millibus à Rudolpho ſecundo fuiſſe conceſſum legimus.

Monetæ varietas. Ex hac monetarum varietate oritur ut difficillime eam cum exterorum nummis comparare queas, niſi majores ſumas nummorum ſpecies. Florenum ſcilicet, vel Imperialem quem *Reichstaler* vocant, vel etiam Florenum aureum, qui *Goldgulden* iis vocatur.

Floreni. Floreni ſimpliciter ſic dicti nullus invenitur nummus, deſignat ſolummodo certum groſſorum ſeu batzorum numerum, ad faciliorem in computandis rationibus methodum. Florenus autem ille æquivalet triginta duobus ſolidis Gallicis; ſubdividi vero ſolet in viginti groſſos, qui ſinguli novemdecim circumcirca valent denarios Gallicos; vel in 60 crucigeros ſeu *Kreutzers*, qui ſex denariorum Gallicorum valorem paullulum excedunt ſinguli; vel in 15 batzos, hi ſinguli 25 denariis circumcirca æquiparantur.

Imperii reditus. Reditus Imperii olim ſexagies centena florenorum aureorum millia exceſſiſſe dicuntur, cum hoc tempore Imperatori, non dico ad domeſticos ſumptus, ſed nequidem ad Curſores & Tabellarios ſufficere æſtimentur, & niſi Imperatori è provinciis Domus Auſtriacæ hæreditariis aliquot provenirent thalerorum milliones, minime tantis ſumptibus ſuſtinendis par fore exiſtimaretur. Hinc Cardinalis Granvellanus in Comitiis Spirenſibus, Lantgravio Haſſiæ dixiſſe fertur, Carolum V. Imperatorem nullam ex Imperio utilitatem percipere. Omnem autem Imperatorum ex Imperio proventum viginti florenorum millia hodie haud excedere perhibent, hæcque à civitatibus liberis ſolvi ſolere. Præter hæc ex Cancellaria, & feudorum Imperialium inveſtitura quoſdam quamvis non magni momenti recipiunt reditus.

Opulentia. Germania autem ipſa, tam auri, argenti, æris, ſtanni, plumbi, argenti vivi minarum reſpectu,

quam

quam frumenti, vini, armentorum, & gregum copia & frequenti cum exteris commercio admodum dives eſt. Indigenæ enim vina ſua Rhenenſia, Moſellæ, & Franconica, ut & aduſta in Belgium, Angliam, & Daniam avehunt. Tartarum ſeu vini fæcem Anglis tinctoribus vendunt. Bohemia & Saxonia per Albim fluvium maximam quotannis frumenti copiam in Daniam & ipſam Hiſpaniam mittunt. Suevi & Lacus Conſtantienſis accolæ telis ſuis lineis, ac goſſypinis Italiam & Regiones circumvicinas provident. Noribergenſium & Auguſtanorum horologia, ciſtæ ferreæ & innumera alia, ad miraculum ut ſupra memini efficta, tota deferuntur Europa; Hollandi ea in Indias aliaſque regiones remotiſſimas uſque avehunt. Pomerania frumenti ferax Belgas, Hiſpanos, aliaſque nationes eo beat, ſicut & regionibus mediterraneis piſces ſiccatos & ſale conditos mittit. Magnam argenti, & æris tribuunt Bohemia, Miſnia, & Comitatus Tirolenſis; copiam Hiſpani ipſi antequam Indiis potirentur, hinc argentum petere ſolebant. Alumina, ſulphur, cæteraque mineralia iiſdem è regionibus in Gallias aſportantur. Italia cervorum, capreolarumque pelles, ut & balænarum pinguedinem è Germania deſiderat. Hiſpani non minus quam Itali ciſtulis ligneis delectantur, quæ maximo artificio Berchtolgadæ, in Bavaria, & montibus vicinis fabricantur. Inſtrumenta & opera è ferro confecta Stiria in Dalmatiam & Candiam uſque mittit. Taceo minutas merces vitreas, æneas, metallicas, quarum copia incredibilis in nundinis Francofurtenſibus vendi ſolita eſt. Equi Germanici generoſiſſimi, & corporis robore præſtantes tam apud Italos quam Gallos maximo in pretio eſſe ſolent.

Bellandi ratio. Germani in bellis gladio, ſclopetis majoribus & minoribus, ſariſſis, bipennibuſque, cæteræ quemadmodum Europæ nationes utuntur; quantum ad numerum bellatorum attinet; Germaniam, quamvis & ducenta millia armatorum alio militatum mittat, cuivis tamen vel potentiſſimo inimico commode reſiſtere poſſe pervulgata eſt opinio; quid quod Imperatorem narrant centum mille equites, totidemque pedites armare poſſe? Germanorum autem Brunſvicenſes, Clivenſes & Franconici equites optimi dicuntur; Tirolenſes vero Suevi & Weſtphali pedites confligere aptiſſimi. Bello Germanico inter Carolum V. & Proteſtantium Principes utriuſque partis exercitus centum quinquaginta numerabant militum millia. Maximilianus II. exercitu centum mille peditum, triginta quinque equitum Turcas inſequebatur. Nuperis autem bellis Germania ultra ter centena millia armatorum elargita eſt.

Fortalitia. Fortalitia in Germania Imperator poſt prædicta bella habet plurima eaque fortiſſima; præter ea enim quæ Imperator in Hungaria contra Turcarum progreſſus poſſidet, Vienna, & Neopolis, ſeu *Newſtat* in Auſtria haud minimi ſunt momenti. Breſlavia in Sileſia egregie hodie eſt munita. In Stiria ſunt Greca, ſive *Grätz*, civitas cum arce munitiſſima, ad fluvium Murum Rachelspurgum, arx quoque firmiſſima, Bettavia ad Dravum ad confinia Turcarum ſita. In Carniola Labachum, ſive *Laubach* civitas fortiſſima; in Croatia Segna, Petrinia & Siſſek; in Windorum Marchia Caroloſtadium, Kopranitz, & Zagrabia; in Comitatu Goritienſi Gradiſca, totius regionis tutela, quæ toto fere triennio Venetorum vires experta, eaſdem ſpreta eſt. Roveredam in Tirolenſi Comitatu ad Atheſim ſitam, & alia quædam Caſtella in Griſonum confiniis adnumera, Kopſteiniam ad limites Bavariæ; Briſacum in Briſgovia ad Rhenum ſitum, quod nunc Gallico præſidio cuſtoditum Gallis cum tota fere Alſatia paret.

Vrbes & Arces munitæ. Præter prædicta Imperatoris fortalitia aliæ munitiſſimæ tum urbes tum arces, in Germania videntur, quarum præcipuarum ecce nomina; in Alſatia, Argentina, Benfeldia, & Hagenavia; in Palatinatu Rheni, Manhemium & Frankenthalia, in Diœceſi Spirenſi Vdenhemium quod nunc Philippi-Burgum vocatur. In ditione Electoris Trevirenſis Hermanſteinium Confluentiæ oppoſitum, munitio firmiſſima; in Haſſia, Gieſſa, & Caſſula civitates; in Weſtphalia Soeſta, & Paderborna; in Miſnia, Dreſda; in Turingia, Gotha; in Marchia Brandenburgenſi Berlinum; innumera alia ſilentio brevitatis cauſa prætereo.

Vires maritimæ. Quod ad vires maritimas attinet, credo & eas ſatis magnas, cum Hamburgum, Lubeca, Roſtochium, aliæque urbes maritimæ ſufficientem navium numerum armare poſſint; ſed hiſce viribus concordia, potentiæ anima, cum deſit nihil admodum iis efficere poſſunt.

Academiæ. Academiæ ſeu Gymnaſia ingenuarum artium ab Imperatoribus, auguſtis, & eximiis exornata privilegiis, quæ in amœniſſimis locis & florentiſſimis Germaniæ urbibus ſita ſunt, enumerare haud piget; ad Rhenum Baſilea, Moguntia, & Colonia Agrippina; Friburgum in Briſgavia, Ingolſtadium, Dillinga, & Vienna Auſtriæ, ad Danubium ſitæ; Gorlitium in Luſatia; ad Neccarum fluvium eſt Tubinga & Heidelberga, Marpurgum ad fluvium Lanum & Caſſula, vulgo *Caſſel* in Haſſia, Coburgum ad fluvium Kremper; Altorffiæ Academia recens à Noribergenſibus excitata. In Saxonia inferiore Roſtochium & Griphiswaldium; Helmeſtadium in Ducatu Brunſwicenſi; in Marchia Brandenburgenſi Francofurtum ad Oderam; Lipſia & Grima, in Marchionatu Miſnienſi; Erfurdia in Thuringia; Iena ad Salam fluvium in Ducatu Weimarienſi; Duſſeldorpia ad Duſſelam fluvium in Ducatu Montenſi, &c.

Archiepiſcopi, & Epiſcopi. Archiepiſcopi in Germania 8. Epiſcopi 44, quos hic ſub Archiepiſcopo quoſque ſuo enumero.

Archiepiſcopus Magdeburgenſis, Germaniæ Primas.

Epiſcopi: Miſnenſis, Merſeburgenſis, Naumburgenſis, Brandeburgenſis, Havelburgenſis.

Archiepiſcopus Moguntinus, Princeps Elector.

Epiſcopi: Spirenſis, Wormatienſis, Argentoratenſis, Wurtzburgenſis, Eichſtadienſis, Verdenſis, Curienſis, Hildeshemienſis, Paderbornenſis, Conſtantienſis, Halberſtadienſis, Auguſtanus.

Bambergenſis exemptus. Exemptus unus Bambergenſis, ſoli Pontifici parens.

Ar-

Archiepiſcopus Colonienſis, Princeps Elector.
Epiſcopi: Leodicenſis, Monaſterienſis, Mindenſis, Oſnabrugenſis.
Archiepiſcopus Trevirenſis, Princeps Elector.
Epiſcopi: Metenſis, Tullenſis, Verdunenſis.
Archiepiſcopus Salisburgenſis perpetuus ſanctæ ſedis Apoſtolicæ Legatus.
Epiſcopi: Friſingenſis, Ratisbonenſis, Paſſavienſis, Brixinenſis, Gurcenſis, Lavenmondenſis, Sekovienſis, Chienſenenſis.
Exempti: Vienenſis, Neoſtadienſis, Laubacenſis.
Archiepiſcopus Pragenſis.
Epiſcopi: Littonicenſis in Bohemia, Olomucenſis in Moravia.

Imperium. Imperium Romano-Germanicum ex Capite, Imperatore ſcilicet, & membris, quæ Imperii ſunt Status & Proceres, conſtare cuivis notum eſſe judico. Imperator Auguſtus, ſucceſſorque Imperatorum Romanorum dicitur. Tranſlato ad Germanos Imperio, Imperatoriam dignitatem in Caroli Magni ſtirpe uſque ad tempora Conradi I, quem electione creatorum primum fuiſſe hiſtoriæ perhibent, hæreditariam fuiſſe legimus Proceribus Imperii, deinde jus eligendi Imperatorem; iſque ſemper eligebatur quem Principes communibus ſuffragiis ea dignum judicaſſent dignitate; donec ſub Othone Tertio, aſſentiente Gregorio V Saxone, vel ut malunt alii, poſt obitum Friderici Secundi, & viginti unum interregni annos, in electione Rudolphi Habſpurgenſi jus ſuffragii in ſeptem eſt tranſlatum Electores. Fuit hæc dignitas & Titulus S. R. Imperii Electorum collatus in Archiepiſcopos Moguntinum, Trevirenſem & Colonienſem, præterea in Regem Bohemiæ, Comitem Palatinum Rheni, Ducem Saxoniæ & Marchionem Brandenburgenſem.

Electionis locus. Sæculis ſuperioribus nullus certus Electioni erat deſtinatus locus; Othonem primum enim Aquiſgrani, Othonem Secundum Wormatiæ, tertium Romæ; Henricum Primum Moguntiæ, Conradum Primum, & Henricum Secundum Aquiſgrani; alios alibi electos ex hiſtoriarum monumentis conſtat. Nunc vero locus electionis Francofurtum ad Mœnum certus Bullæ aureæ auctoritate deſignatus eſt. Hic igitur ſi unquam Imperium vacare contingat (contingit id autem quatuor hiſce modis, videlicet morte Imperatoris, reſignatione Imperii in manus Electorum ab Imperatore facta, vel in Religionem ingreſſu, vel etiam Imperatore ab Imperii habenis legitimas ob cauſas ab Electoribus remoto, quod Adolpho Naſſovio, & Wenceſlao, Caroli IV. Imperatoris filio contigiſſe legimus) tum Moguntinus Elector Collegii Electorum Decanus & S. R. Imper. per Germaniam Archi-Cancellarius, Electionem quamprimum intra menſem à die vacationis Imperii reliquis Electoribus denuntiat, ſimulque intimat ut intra trium menſium ſpatium à die denuntiationis Francofurtum ad Mœnum ad eligendum Imperatorem conveniant, vel Legatos debito modo inſtructos mandent. Ne autem civibus Francofurtenſibus nimium oneri ſint, illud jure conſtitutum eſt, ut Princeps Elector ducentis tantum Equitibus, inter quos quinquaginta armatos ei habere licet, comitatus, Francofurtum intrare poſſit. Locus Electionis eſt Divi Bartholomei Templum; huc poſtero die ab ingreſſu ſeſe Electores conferunt, peractiſque ſacris, ſecundum formulam aurea bulla præſcriptam ſinguli jurant ſeſe electuros Regem Romanorum in Imperatorem promovendum eum, qui ei dignitati par & idoneus exiſtat, votaque ſua, promiſſis, ſtipendiis, pretioque impenetrabilia fore. Moguntinus cæteris jurando præit, poſt vero, juramentum ab aliis Electoribus exigit. Exacto & præſtito ab Electoribus ipſis vel abſentium Legatis juramento ad electionem ipſam proceditur. Votandi autem ordo hic obſervatur. Olim Moguntinus omnium votis jam conquiſitis ultimo, ad id ab aliis Electoribus requiſitus, votum ſuum exponere ſolebat, nunc autem tanquam Sereniſſimi Collegii Decanus primus votum exponit, poſtea ſingulorum hoc ordine exquirit vota. Primo ex Archiepiſcopo Trevirenſi, ſecundo ex Colonienſi, tertio à Rege Bohemiæ, quarto à Comite Palatino Rheni, quinto à Duce Saxoniæ, ſexto & ultimo à Marchione Brandenburgenſi. Certum etiam tempus triginta, à die præſtiti juramenti, dierum, Electioni præſcriptum eſt; quod ſi intra eos, major Electorum numerus Regem Romanorum futurum Cæſarem non elegerit, pane & aqua contentis nullatenus Vrbe Francofurtenſi excedere ante Electionem fas eſt.

Modus.

Electi Imperatoris juramentum. Imperator hoc Electus modo juramentum præſtare tenetur, ſeſe ea quæ Capitulatione Cæſarea, (hoc eſt certis capitibus & articulis de Repub. Romana utiliter pro more majorum adminiſtranda) ab Electoribus ſibi propoſita, continentur, ſancte & inviolabiliter obſervaturum. Præcipua autem ejus capita hæc ſunt: ſeſe Eccleſiam Catholicam Romanam pro viribus defenſurum; in perſona cujuſque juſtitiam ſancte adminiſtraturum: Bullæ aureæ conſtitutiones, ut & privilegia & immunitates tam Electorum quam Imperii Procerum (quas & confirmare obligatur) inviolabiliter conſervaturum; nihil ſe eorum, quæ ad Imperium ſpectant ſine Electorum & cæterorum Imperii ſtatuum conſenſu decreturum. Iurejurando etiam affirmat Imperium ſibi nullo ſucceſſionis ſed mero electionis jure obtigiſſe, ſeque S. R. Imperii Adminiſtratorem tantum exiſtere; Bona Imperii non alienaturum, nova fœdera nulla initurum, impoſitiones mandaturum, niſi Electorum ſententiis rogatis & conſenſu approbante, ſine quo nec bellum denuntiet, nec in Germaniam militem extraneum evocet; Seſe ab Electoribus ad id requiſitum, Imperii bona à ſuis injuſto modo poſſeſſa reſtituturum; Nulla extra Imperii limites convocaturum Comitia, nullum extraneum miniſteriis publicis impoſiturum; ſeque nullo modo, nullis artibus operam daturum ut Imperium familiæ ſuæ eveniat hæreditarium, ſed electionem liberam conſervaturum.

Coronatio. Electo Imperatori poſt unctionem Aquiſgrani ab Archiepiſcopo Colonienſi corona ferrea (ex ſolido auro conflatam, laminaque ferrea tectam dicunt

dicunt alii) imponitur. Quod tamen non semper observari cuivis notum est: Mathias enim Patrum nostrorum memoria Imperator Aquisgrano Coronam, Noriberga cætera Coronationis ornamenta, gladium scilicet, orbem & togam Francofurtum advehi jussit, eodemque in loco sese coronari curavit.

Electus & coronatus jam Imperator Mediolani ab Archiepiscopo Mediolanensi Coronam argenteam recipere solebat. Hinc Romam properans à Pontifice Romano auream capiti suo impositam in D. Petri Basilica recipiebat. Et hanc consuetudinem cum potius ostentationis quam necessitatis actus existimetur, à variis Imperatoribus neglectam legimus. Rudolphus Habspurgensis, ut & Maximilianus I, Ferdinandus I, Maximilianus II, Rudolphus II, Mathias, & Ferdinandi II & III eam plane neglexerunt. Leopoldo I, gloriosissimo hujus temporis Imperatori, huc usque Corona nec Mediolanensis nec Romana fuit imposita.

Potestas. Electi Imperatoris potestatem quod attinet; Constituitur Imperator ipsa electione Imperii Caput supremum, à quo Ducum, Marchionum, Comitum, Baronum, Nobilium & Civitatum Imperialium Iurisdictio dependeat. Leges & Decreta Generalia solus promulgat, non tamen sine prævia Ordinum Imperii communicatione & consensu, unde *Des H. Röm. Reichs abscheid* vulgo vocantur, ac si S. Rom. Imperii Decreta dicas. Legibus nullis Imperator subjicitur, si Imperii fundamentales excipias; quemadmodum ipse Divus Mathias in Comitiis Francofurtensibus anni 1612. libere fassus est. Soli Imperatori, consensu Ordinum tamen adhibito, belli denuntiandi jus competit; ut & Duces, Comites, Barones, Equites, Nobiles, Doctores creandi; Vniversitates seu gymnasia publica instituendi; denique solus Cæsar, Tabellarios & Postas constituit, privilegia largitur, legitimat, infamiâ notatos restituit, Nundinas permittit, Civitatis condendæ jus concedit, monetæ normam præscribit, feudorum hommagia recipit, investituram concedit, nova onera, Imperii tamen Ordinibus consentientibus, imponit, vectigalia indicit, & ultimam litigiis & processibus imponit manum. Ex supradictis liquido constare arbitror statum Reipublicæ Germanicæ mere Monarchicum esse, quamvis quodam modo Aristrocratia temperari videatur.

Rex Romanorum. Proximum ab Imperatore Rex Romanorum locum obtinet; Hic ab Imperatore nominari quidem, ab Electoribus vero S. R. Imp. eligi solet in Imperatoris & Imperii Vicarium, & vacante Imperio, legitimum & indubitatum successorem. Hoc modo Electi & in successionem destinati Othones, Henrici, Fredericus II, Wenceslaus, Maximilianus primus, Ferdinandus primus, Maximilianus secundus, Rudolphus secundus, Mathias, Ferdinandus secundus, III & IV, qui præmatura morte Patri Imperatori & Imperio ereptus omnibus desiderium sui, spem autem succedendi fratri suo Leopoldo Ignatio reliquit. Quod ad potestatem Regis Romanorum attinet; perpetuus Imperii Vicarius cum sit, absente vel negotiis implicito & impedito Imperatore omnia Imperatoria exercet munera, quæ ipse Imperator præsens exerceret; ita ut de ipsis Imperii feudis majoribus libere possit disponere. Crimen læsæ Majestatis æque in Regem Rom. quam in Imperatorem ipsum committitur. Illud discrimen inter utrumque tamen inter alia notari solet, quod Imperator Regi Romanorum titulum tribuit *Seiner liebden*, quod delicias vel amorem suum denotat; Rex Rom. vero Imperatori *Keiserliche Majestät*, quod Cæsaream Majestatem exprimit; quandoque & Dominum suum appellat. Atque hæc de S. R. Imperii capite ejusque Vicario perpetuo sufficiant, nunc ad membra transitum faciamus.

Proceres Imperii. Status & Proceres Imperii, Germanis vulgo *Stände desz Reichs*, sunt immediati imperii Cives, qui Imperatoris & communi Procerum Imperii consensu in album seu Matriculam Imperii recepti sunt, ea lege ut Imperatori de usu Imperii in Comitiis proponenti, consilio & suffragiis adsint, & occurrente necessitate certum censum in Matricula expressum vel auxilium militare præstent. Matricula vel Catalogus eorundem ab Archiepiscopo Moguntino ut S. R. Imperii Archi-Cancellario asservatur, & cum necesse est depromitur. Divisionem Statuum in Circulos superius descripsimus: præterea in tres Classes distribui solent, Electorum scilicet, Principum, & liberarum Civitatum.

TRES CLASSES Ordinum.

I. CLASSIS, Electores. Electores vulgo *Churfursten*, cæteros jure merito dignitate anteire nemini dubium existimo, cum illi proximiora Imperii membra, ipsi Imperio Caput eligant & constituant; sunt autem sequentes:

I. Archiepiscopus Moguntinus, S. R. Imperii per Germaniam Archi-Cancellarius, Electoralis Collegii Decanus; huic jus Electores convocandi & vota ex iis perquirendi competit. Imperio vacante primas in Comitiis tenet, & decreta generalia sanciendi habet potestatem.

II. Archiepiscopus Trevirensis, S. R. Imperii per Gallias Archi-Cancellarius, & Galliæ Belgicæ Primas; huic prima in Electione Imperatoris vox & votum ex aurea Bulla Caroli IV competit, quamvis hodie aliter observari videatur.

III. Archiepiscopus Coloniensis, S. R. Imperii per Italiam Archi-Cancellarius, primam Imperatori imponit Coronam.

IV. Rex Bohemiæ, S. R. Imperii Archi-Pincerna, *Ertzschenk.* Primus sæcularium Electorum Reges quoscunque alios, imo Imperatricem ipsam in actibus Imperii ex constitutione Aureæ Bullæ antecedit; ad Comitia tamen ordinaria Imperii non vocari, nec iis interesse solet.

V. Comes Palatinus Rheni, Archi-dapifer, *Ertztruchses.* Hic præter Electionis jura, Imperii sede vacante, Imperatoris Vicarii vices in Imperio gerit, donec Imperator sit Electus, in partibus scilicet Rheni universis, Sueviæ, & ubivis locorum in quibus Franconica observantur jura; judicia à quibus appellari non potest exercet; beneficia Ecclesiastica præsentat; reditus colligit; de Feudis (exceptis iis, quæ majoris dignitatis, *der Fursten Fahnenlenen* vulgo dicuntur, ipsi Imperatori vel Romanorum Regi reservantur) investit. Feuda tamen Imperii alienare seu obligare

gare nullo modo poteſt. Illud etiam jus Elector Palatinus ex antiqua conſuetudine & Bullæ aureæ confirmatione habet; ut Imperator vel Rex Rom. ſuper cauſis, pro quibus fuerit impetitus, coram ipſo, (in ipſius tamen Imperatoris curia, non in Palatinatu) conveniri poſſit. A ſententiis autem Cancellariæ Palatinæ, niſi mille florenorum aureorum valorem attingant, ad Cameram Imperialem appellari non poteſt, id autem indultum privilegium, Anno 1578.

VI. Saxoniæ Dux, S. R. Imper. Archi-Marſchallus, *Ertz-Marſchalck*. Eadem qua Palatinus poteſtate, Imperio vacante, ubique locorum, in quibus Saxonica obſervantur jura, Vicarius. A ſententiis ejus nullo modo appellari poteſt, jure privilegii à Ferdinando I. Anno 1559. confirmati.

VII. Marchio Brandenburgenſis, S. R. Imperii Archi-Camerarius, *Ertz-kammerer*. Et hujus ſententiæ, jure privilegii à Rudolpho II, Anno 1586 confirmati, ab omni liberæ ſunt appellatione. Ex aureæ quidem Bullæ conſtitutione omnibus Electoribus id jus conceſſum, ſed nunc deſuetudine quadam inumbratum eſt, & contraria conſuetudine introductum, ut, exceptis Saxonico & Brandenburgenſi, ab Electorum ſententiis detur appellatio; à Palatini ſcilicet ſententiis appellatur quando attingunt mille aureorum valorem, à Moguntini quando 400 florenorum valorem attingunt, à Trevirenſis & Colonienſis ſi quingentorum florenorum ſummam excedant.

Electorum Ordinis mutatio.

Hic Electorum Ordo mutationem paſſus eſt, poſtquam Bohemii anno 1620, Fridericum Electorem Comitem Palatinum Rheni, in Regem ſuum, Ferdinando Secundo Imperatore ejurato elegerunt. Nam haſce ob cauſſas bello inter ſupranominatos Principes excitato & Frederico Palatino poſt conflictum Pragienſem devicto, Regno & Dominiis hæreditariis vi & armis ab Imperatore & Hiſpaniæ Rege ejecto, dignitas Electoralis ſimul cum Palatinatu ſuperiori in Maximilianum Bavariæ Ducem ab Imperatore fuit tranſlata; Bavarus vero morte ex humanis ereptus filium Ferdinandum Mariam Dignitatis & Palatinatus reliquit hæredem. Non minimam hanc mutationem belli uſque ad an. 1648 continuandi cauſam præbuiſſe conſtans & pervulgata Scriptorum eſt opinio. Tandem eodem anno 1648 in nova pacis conſtitutione Palatini Electoris heredibus ſequenti modo ſatisfactum eſt. Carolus Ludovicus Friderici Electoris primogenitus in Inferioris Palatinatus dominium reſtitutus, octavum obtinuit Electoratum, cum hoc quoque privilegio ut extincta linea Bavarica tam Electoratus, quam ditiones ad ſuperſtites Palatinos, octavo Electoratu ſuppreſſo, redeat.

Ordo Electorum in Electione Leopoldi I. obſervatus.

Hinc eſt quod in Electione & Coronatione Leopoldi I. glorioſiſſimi Imperatoris ſequentem Electores obſervarunt Ordinem.

Iohannes Philippus, Archiepiſcopus Moguntinus, S. R. Imperii per Germaniam Archi-Cancellarius, &c.

Maximilianus Henricus, Archiepiſcopus Colonienſis, S. R. Imperii per Italiam Archi-Cancellarius, &c.

Carolus Caſparus, Archiepiſcopus Trevirenſis, S. R. Imperii per Gallias & Regnum Arelatenſe Archi-Cancellarius, &c.

Leopoldus Ignatius, D. G. Bohemiæ & Hungariæ Rex, Archidux Auſtriæ, &c. S. R. Imperii Archipincerna.

Ferdinandus Maria, Bavariæ & Palatinatus ſuperioris Dux, S. R. Imper. Archi-Dapifer.

Ioannes Georgius II. Saxoniæ Dux, S. R. Imp. Archi-Marſchallus.

Fredericus Guilielmus, Marchio Brandenburgenſis, S. R. Imp. Archi-Camerarius.

Carolus Ludovicus, Comes Palatinus Rheni, S. R. Imp. Archi-Theſaurarius.

Electorum vicarii.

Electorum autem in officiis Imperialibus vices gerunt: Bohemi Pincerna Linpurgenſis; Bavari, Dapifer Walpurgenſis; Saxonis, Baro Pappenheimienſis; Brandenburgici, Comes de Hohenzollern; Palatini, Comes de Sintzendorff.

II. CLASSIS.

In ſecunda Ordinum ſive Statuum Imperii, quam Principum diximus, claſſe comprehenduntur Archiepiſcopi, Epiſcopi, Abbates, Abbatiſſæ, Præpoſiti, Ordinum Equeſtrium Magiſtri; Archiduces, Duces, Marchiones, Comites, Barones, qui omnes generali vocabulo Principes S. R. Imperii dicuntur.

Archiepiſcopi.

Archiepiſcopi, Electorali non gaudentes dignitate ſunt:

I. Magdeburgenſis, Germaniæ Primas.
II. Salisburgenſis, perpetuus Sedis Apoſtolicæ Legatus natus.
III. Bremenſis.
IV. Veſontinus. Hiſce à quibuſdam Rigenſis additur, quamvis inter Imperii ſtatus non numeretur.

Epiſcopi.

Epiſcopi ad Comitia Imperialia vocari, & inter Imperii Principes locum & dignitatem obtinere ſoliti, triginta numero hunc in Comitiis ſervant ordinem:

1. Bambergenſis; In ſua Diocœſi neminem recognoſcit ſuperiorem:
2. Wurtzburgenſis.
3. Wormatienſis.
4. Spirenſis.
5. Argentoratenſis.
6. Eichſtettenſis.
7. Auguſtanus.
8. Conſtantienſis.
9. Hildeshemienſis.
10. Paderbornenſis.
11. Verdenſis.
12. Halberſtadienſis.
13. Monaſterienſis.
14. Oſnabrugenſis.
15. Paſſavienſis.
16. Freyſingenſis.
17. Baſileënſis.
18. Ratisbonenſis.
19. Mindenſis.
20. Lubecenſis.
21. Verduenſis.
22. Cameracenſis.
23. Metenſis.
24. Tullienſis.
25. Leodicenſis.
26. Tridentinus.

27. Brixien-

27. Brixiensis.
28. Sittensis, sive Valesiensis.
29. Losauniensis.
30. Curiensis.

In novis autem Pacis Monasteriensis constitutionibus Episcopatus Metensis, Tulliensis, & Verdunensis Galliæ Regi addicti, & ab Imperio sunt avulsi, ita ut in Comitiis locum habentes hodie numerentur tantum viginti septem.

Principibus hisce Ecclesiasticis ex veteri Prælatorum ordine adscripti sunt:

Prælati & Abbates.

1. Magister Ordinis Equitum Teutonicorum.
2. Abbas Fuldensis, Imperatricis per Germaniam Archi-Cancellarius Galliæ primas.
3. Abbas Hirschfeldiensis.
4. Abbas Murbacensis.
5. Abbas Campidonensis.
6. Magister Ordinis Equitum D. Iohannis, sive Melitensium.
7. Præpositus Elbangensis.
8. Præpositus & Archi-Presbyter Berchtolzgadiensis.
9. Abbas Corbejensis.
10. Abbas Prumensis.
11. Abbas Stabulensis.
12. Abbas Ludiensis.

Principes politici.

Seriem Ecclesiasticorum interrumpunt octodecim Principum Politicorum familiæ, proximumque à supradictis locum in Comitiis Imperialibus obtinent hunc ordinem servantes.

1. Archiduces Austriæ. Horum duæ sunt lineæ, prima Ferdinandi cujus possessores Imperii moderati huc usque sunt habenas, Austriam cæterasque Austriacorum in Germania ditiones possidet: altera à Carolo V. deducta, cujus posteri Hispanias, Indias, Burgundiam, Belgium Hispanicum, &c. tenent.
2. Duces Bavariæ, & hæc familia in duas distincta lineas Bavaricam & Palatinam.
3. Duces Saxoniæ, Marchiones Misniæ, Lantgravii Thuringiæ.
4. Marchiones Brandenburgenses.
5. Duces Brunswicenses, & Luneburgenses.
6. Duces Iuliaci, Cliviæ & Montium.
7. Duces Pomeraniæ.
8. Duces Megapolitani.
9. Duces Wirtenbergenses.
10. Landtgravii Hassiæ.
11. Marchiones Badenses.
12. Duces Saxoniæ inferioris Lawenburgenses.
13. Duces Holsatiæ.
14. Landtgravii Leuchtenbergenses.
15. Duces Sabaudiæ.
16. Principes Anhaltini.
17. Dux Lotharingiæ.
18. Comites Arenbergii, à Maximiliano II. inter Principes Imperii relati.

Hisce adjungere oportet, Comites de Hohenzollern, à Ferdinando II, & Comites Nassaviæ à Ferdinando III, in Principum S.R. Imperii numerum assumpti. Postmodum etiam anno 1641 in hunc Principum Imp. ordinem Comitiis Ratisbonensibus recepti sunt Princeps ab Hohensollern, Dux Crumawensis, & Princeps ab Eggenberg, nec non Princeps Lobkowitz.

Hasce familias Principum in Comitiis sequuntur rursus Ecclesiastici, Abbates, Præpositi, &c. hoc ordine:

Abbates & Præpositi.

Abbas Reichenaviensis.
Præpositus Weissenburgensis.
Abbas Weingartensis.
Salmensweilensis.
Walkenrietensis.
Marthalensis.
Oldenheimensis.
Elchingensis.
Præpositus Werthusanus.
Abbas Petershusanus.
Keysersheimensis.
S. Heimerani Ratisbonensis.
Weissenaviensis, sive minoris Augiæ.
Schussenrietensis.
Ochsenhusanus.
Gengenbachensis.
Monasteriensis in valle S. Gregorii.
Monachorodensis.
Monasterii S. Cornelii.
Werdensis.
Vrsbergensis.
SS. Vlrici & Afræ Augustanus.
Irsehensis.
Helmstadensis.

Quibus & alii quidam adnumerantur.

Abbatissæ.

Sequuntur Abbatissæ, quarum pleræq; quamvis Principum & honorem & titulum gerant, quoad locum tamen in Comitiis, & sententiæ dictionem eodem cum reliquis censentur jure. Sunt autem sequentes:

Abbatissæ Quedlinburgensis.
Essensis.
Herwerdensis.
Monasterii inferioris Ratisbonensis.
Monasterii superioris Ratisbonensis.
Lindaviensis.
Gerenrodensis.
Buchaviensis.
Rotenmonasteriensis.
Hechbacensis.
Guttenzellensis.
Beindensis.
Andlaviensis.
Gandersheimiensis.

Prælatis adnumerari solent.
Commendatarius Provincialis Confluentinus.
Commendatarius Provincialis Alsatiæ, ut & Burgundiæ.

Comites & Barones.

Sequuntur Comites & Barones hac serie:

Com. Helffensteinii.
Lupffen.
Montfeldii.
Hohengeroltseckii.
Bar. Oettingenses.
Bar. Reupoltzkirchii.
Com. Sultz.
Com. Hohenzollern.
Bar. Walpurgenses Archi-dapiferi.
Com. Castellii.
Hohenlohe.

Lim-

Limpurgenses semper liberi.
Erpachii.
Schwartzenburgici.
Hohenlandsbergenses.
Leiningenses.
Hanavienses.
Nassovii.
Eichenbergenses.
Solmenses.
Salmenses.
Bar. Winnebergenses.
Com. *Wilt und Rheyngräffen.*
Furstenbergenses.
Zimmerenses.
Ebersteinii.
Saynii.
Tengenses.
Tubingenses.
Mansfeldii.
Stolbergenses.
Barbejenses.
Gleichenses.
Schwartzenburgicus ex quatuor Imperii Comitibus.
Bar. Reussen.
Com. Wiedt.
Frisiæ Orientalis.
Lippienses.
Oldenburgenses.
Waldecienses.
Benthemienses.
Brumeckhorstienses.
Ortenburgenses.
Schaumburgenses.
Bar. Schonburgenses.
Manderscheidii.
Kreickingenses.
Pirmontii.
Baumgartenses.
Graffeneckii.
Meixelreinii.
Fuggeri.
Fleckfteinii.
Sensheimii.
Dom. Schenck à Tautenberga.
à Birnbaum.
à Degenberg.

Illud hoc loco notandum censeo, quod non omnibus Comitibus jus sessionis, & suffragii in Comitiis competat, sed iis solummodo qui immediate ab Imperio Comitatus suos in Feudum recognoscunt. Sed ii qui sub aliorum Principum jurisdictione, bona, quamvis titulo Comitatus insignita possident, Imperii statuum numero non censentur. Hujus autem generis sunt sub Austriacis Comites de *Hardeck*, sub Electore Brandenburgensi, Comites de *Hohenstein*. Sub Ducibus Pomeraniæ & Episcopo Caminensi Comites de *Newgarten*. Barones quoque, ut ad Imperii Comitia vocentur, Feudum ab Imperio quemadmodum Comites immediate recognoscere necesse habent. Horum aliqui simpliciter *Freyen*, liberi, aliqui *Freyherrn*, alii *Semper freyen*, ut Barones Limpurgenses, &c. alii simpliciter *Herrn*, id est Domini, ut Domini Reussen, Schonburgenses, &c. Alii denique *Ed'e Herrn*, nobiles Domini vocantur, quod Familiæ antiquitatem, & nobilitatem significare videtur, ut Comites Lippienses, &c. Sed omnes tamen quoad Nobilitatis & Dignitatis gradum pari esse jure censentur.

III. CLASSIS, *Civitates Imperiales.*

Tertiam Classem Ordinum sive Statuum S. R. Imp. constituunt Civitates Imperiales liberæ, quarum ecce Cathalogum:

Ratisbona.
Augusta Vindelicorum.
Noriberga.
Rotemburgum ad Tubarum.
Weissenburgum in Nordgavia.
Donawertha, nunc Duci Bavariæ ob bannum Imperii paret.
Winshemium.
Schweinfurtum.
Wimpfen.
Heilbrun.
Halla Suevica.
Norlinga.
Dunkelspiel.
Vlma.
Gienga.
Bopffinga.
Campidona.
Buchorna.
Ravenspurgum.
Biberach.
Lindavia.
Constantia.
Argentoratum.
Keysersberga.
Colmaria.
Schlestadium.
Rotweil.
Hagenavia.
Weissemburgum ad Rhenum.
Obernehenheim.
Rostheimium.
Spira.
Wormatia.
Francofurtum ad Mœnum.
Friedberga.
Arlen.
Gemunda Suevica.
Eszlinga.
Reuttlinga.
Pfullendorfium.
Kauffbewern.
Vberlinga.
Wangen.
Ysun.
Leutkirch.
Memminga.
Goslaria.
Turckeimium.
Verda.
Gelnhausia.
Wetzlaria.
Colonia Agrippina.
Aquisgranum.
Offenburgum.
Landavia.
Gengenbach.
Cella *am Heymersbach.*

Lu-

Lubeca.
Hamburgum.
Rostochium.
Dortmunda.
Mulhusia in Thuringia.
Northusia in Thuringia.
Monasterium in Valle S. Gregorii.
Herwerda.

Cameracum Hispaniarum Regi nunc subjecta.

Vesalia inferior, olim à Ducibus Cliviæ dependebat, nunc fœderati Belgii Ordinum Dominio subest.

Susatum in Westphalia, ab Imperatore possidetur.

Brueckelia, Warberga, Lemgavia, de his inter Principes eximere eas conantibus, & Fiscalem Imperii lis pendet indecisa.

Gedanum & Elbinga, Matriculæ Imperii quidem insertæ repeiuntur, sed à Polonis hodie sunt avulsæ.

Quod autem harum Civitatum aliquæ *Freye Reichsstädt*, liberæ Imperiales, aliæ *Reichstädt*, Imperiales simpliciter quandoque vocentur, id nullam inter eas inducere differentiam cum doctissimo Reinkinkio existimo; cui rei probandæ vel illud sufficiat, quod in novissimis Imperii constitutionibus non modo hæ voces promiscue usurpentur; sed ut plurimum copulari soleant *freye undt Reichs-Städte*. Et quamvis omnes liberæ dicantur, nonnullæ tamen ex iis Imperatori certam nummorum summam diversis ex titulis vel annuatim, vel etiam certis conditionibus vel modis contribuere tenentur. Quod libertati earum minime officere videtur, præsertim cum cuivis illarum statuta particularia, quæ *Städtrecht* vocant, vel condendi vel abrogandi, vel immutandi jus competat, singulaque Rempublicam constituat.

Prædicti omnes Statuum & Ordinum Imperii prærogativa gaudent, & quamvis Nobiles nonnulli Sueviæ, Franconiæ, ad Tractum Rheni, & Hassiæ, quos *freye vom Adel*, vel *freye Ritterschafft*, vocant, immediate ab Imperatore dependeant, nullique superiori obediant, non tamen eodem cum Statibus Imperii censentur jure, quod ad Comitia non vocari soleant, nec jus sessionis nec sententiæ dicendæ, in iis habeant, nequidem matriculæ Imperii inscripti sint, plerique tamen dictos nobiles eo Privilegio olim gavisos sed desuetudine inveterata privatos esse contendunt.

COMITIA GENERALIA.

Comitia (*Reichstägen* vulgo dicta) Imperator prævio Electorum & consilio & consensu necessitate Imperii urgente indicit; tempus locumque Comitiorum celebrandorum indicat, tempus fere 4. mensium præscribitur, locus una è civitatibus Imperialibus; litteræ indicatoriæ ab Archiepiscopo Moguntino distribuuntur. In hisce Comitiis Legumlatio, bellorum indictio, fœdera, contributiones, de pace tam Politica, quam Ecclesiastica conservanda, de monetis, de Matriculæ innovatione, &c. tractari solet. Comitiis hisce congregatis Moguntinus Sac. Romani Imperii per Germaniam Archi-Cancellarius, copias seu exempla Propositionis, à Secretario Cæsareo prælectæ, petit, easque in singulas classes distribuit. Classes autem Statuum vel Ordinum Imperii tres esse, Electorum scilicet primam, alteram Principum Ecclesiasticorum & Sæcularium, Comitum & Baronum, tertiam liberarum S. R. Imp. Civitatum supra monuimus. Hæ singulæ in suis quæque curiis secessi capita propositionis ad trutinam examinant. Electores in Consilio suovulgo *im Churfursten Rath*, suffragia ineunt, reque expedita, & explorato in Consilio deliberatum quid sit, Moguntinus & Bavarus, hic Principum sæcularium, ille Ecclesiasticorum Electorum Princeps Consultum Imperatori exponunt. In Principum Consilio Archiepiscopus Salisburgensis, & Archiducum Austriæ is, qui vel ætate provectior, vel dignitate excellens sit, alternative præsident, ita ut is qui vota colligit alteri Propositionis publicandæ cedat honorem. Quod si ambæ hæ classes conveniant, sufficit ad quodvis decernendum; si dissentiant, eo usque consultationibus & persuasionibus tempus teritur donec commune sentiant, quod tum liberis communicatur Civitatibus. Electores autem & liberæ Civitates in suis consiliis viritim suffragia ineunt. In Principum senatu diversa est ratio. Episcopi singuli viritim sententiæ dicundæ jus habent, quibus accedunt sequentes ex veteri Prælatorum ordine, quibus idem jus competit, Magister Ordinis Teutonici, Magister ordinis D. Iohannis sive Melitensis, Abbates Fuldensis, Hirsfeldiensis, Campidonensis, Murbacensis, Corbejensis, Prumensis, Stabulensis; Præpositi Elbangensis & Berchtolsgadiensis. Principum Politicorum autem familiæ quædam uno, quædam pluribus respectu diversarum linearum gaudent votis. Prælatorum autem curia unum duntaxat habet votum, Comites autem & Barones in duas tribus Suevicam & Wetteravicam divisi duo olim habebant suffragia, donec anno 1641, Comitiis Ratisbonensibus tertium suffragium Imperiali Decreto consentientibus Imperii Statibus, Comitibus ab Hohenloe, aliisque Franconici circuli Comitibus & Baronibus fuerit concessum.

Modus consultandi in Comitiis.

Civitates autem Imperiales, in duo Scamna Rhenanum & Suevicum, *Rheinische und Schwäbische Banck*, divisæ, duorum suffragiorum gaudent jure.

COMITIA PARTICULARIA.

Electorum.

Præterea particularia Statuum S.R. Imp. sunt Comitia Electorum, Deputatorum & Circulorum Conventus, Electorum Conventus, vulgari vocabulo *Chûfursten tâge* dicitur, conveniunt autem sede Imperii vacante ad novi Imperatoris vel etiam Romanorum Regis creationem, & tum *Wähl tage* vocantur, vel ad eorundem ab habenis Imperii gravissimas ob causas remotionem, &c.

Deputatorum.

Deputatorum Conventum in Comitiis Augustanis anni 1554. primum institutum constat; Huic conventui congregando gravissimi motus in Imperio exorti, quibus coërcendis vires quorundam Circulorum sint impares, causam præbent, tum enim comitia hæc Moguntinus Elector, ab eorum Ducibus de iis certior factus, nomine & autoritate Cæsarea tanquam S. R. Imp. Archi-Cancellarius, ex sequentibus cogit Personis; scilicet Commissario Cæsareo, septem Electoribus, ex Principum numero Archiduce Austriæ, Episcopo Wurtzpurgensi, Episcopo Monasteriensi, Duce Bavariæ, Duce Iuliacensi, & Lantgravio Hassiæ;

Haſſiæ; Abbate Weingartenſi è Prælatis, ex Comitibus Comite Furſtenbergio; civitatibus vero Imperialibus Colonia & Noriberga. Hiſce in Comitiis Imperii anni 1570, adjuncti ſunt: Epiſcopus Conſtantienſis, Burgundia, Dux Brunſwicenſis & Dux Pomeraniæ. Francofurti ad Mœnum ut plurimum conveniunt.

Circulorum

Circulorum conventus, vulgo *Kreyſz-tage*, ob negotia circulorum particularia convocantur, hancque ob cauſam ſinguli Circuli Duces, Legatos & Conſiliarios ſibi conſtituunt, quibus omnium rerum decernendarum poteſtatem tribuunt. Regiminis autem conventus (vulgo *daſz Reichs Regiment*) Comitiis Auguſtanis anno 1500, à Maximiliano I, in locum Imperii Senatus inſtitutus, tempore Caroli V, fuit abrogatus. Huic conventui olim cauſas privatas dijudicandi non ſolum, ſed etiam de Pace & Bello, omnibuſque ad ſummam Imperii poteſtatem pertinentibus negotiis deliberandi & decernendi conceſſum erat jus.

Camera Imperialis.

Cauſæ ſæculis præteritis omnes in Aula Imperatoria, ejuſque curia (*beym Reichs Hoff-Rath*) dijudicabantur, donec Maximilianus I, ob litium multitudinem, cui curia illa non ſufficeret, conſentientibus S. R. Imper. Ordinibus, in Comitiis Wormatienſibus, an. 1494. Cameram Imperialem (*daſz Cammer-gericht*) inſtituit, eidemque jam inſtituto Francofurti ad Mœnum ipſe interfuit. Locus autem hujuſce Cameræ hiſce temporibus fixus & immotus Spiræ eſt, unde, niſi Imperatore & Imperii Ordinibus conſentientibus, transferri nequeat. Hujus judicii autem omnes Imperii cives ac ordines, qui Imperatori parent, ſubjiciuntur juriſdictioni, exceptis Auſtriaca, Saxonica & Brandenburgica familiis, quæ tamen coram eodem in motuum vel pacis ruptæ cauſis conveniri ſolent; Eæ vero cauſæ quæ ad Eccleſiam & ſpiritualia ſpectant, Cameræ non ſubjiciuntur juriſdictioni, nec eæ in quibus pœna aliqua corpori infligitur, niſi forte rurſum cauſas pacis infractæ aliaſque parvo licet numero excipere libeat. Cameram autem Iudex, Præſides, & Adſeſſores conſtituunt. Iudex, vulgo *Cammer-Richter* dictus, caput hujus collegii ab Imperatore conſtituitur is, qui Principis & dignitate, & titulo gaudeat, legum & conſtitutionum patriæ maxime ſit gnarus, cæteroſque inter hujus collegii dignitate & potentia excellat. Præſides (qui quatuor ſunt numero) Imperator Cameræ quoque præponit eos, qui Comitum vel Baronum præditi ſint dignitate. Adſeſſores hiſce adjungebantur olim triginta ſex, nunc poſt novam pacis conſtitutionem quinquagenarium implent numerum. Horum autem viginti ſex Catholici, viginti quatuor Auguſtanæ Confeſſionis Status præſentant. In locum autem demortuorum Circuli ſeu Principes eorum præmature alios præſentare neceſſe habent, quos, parum idonei ſi judicentur, repudiare Iudici reliquiſque Adſeſſoribus integrum eſt. Si vero intra ſex menſium tempus Circuli ipſi idoneos non ſubſtituant, Iudici & Adſeſſoribus ex eodem Circulo, vel vicinis Adſeſſorem in demortui locum eligere fas eſt.

Cameræ Iudices.

Ejuſdem miniſtri.

Præter hos Cameræ Imperialis Iudices ſunt præterea hi miniſtri; Fiſci Procurator & Iuriſconſultus ei aſſiſtens, ab Imperatore ambo conſtituti; Cancellarius, Protonotarii duo, Tabellarii bini, Amanuenſes, ii qui copias actorum extrahunt, tres numero, hi autem omnes ab Archiepiſcopo Moguntino conſtituuntur. Præter hos Miniſter eſt cuſtodiæ introitus Cameræ præpoſitus, quique Adſeſſoribus congregationis tempus indicat ſententiaſque in publicum recitat; præterea is cui ſententias exequendi officium injunctum eſt, duodecim ſtipatus equitibus armatis; Denique Theſaurarius, cui ſtipendium Adſeſſoribus cæteriſque Cameræ miniſtris debitum Electores vel reliqui Imperii Ordines dinumerari curant.

Stipendia Cameræ.

Stipendium annuum autem Iudicis Cameræ duo millia florenorum attingit, excedit tamen ſummam illam ſi Principis ſit ornatus dignitate. Adſeſſori Comiti vel Baroni ſeptingentos, Adſeſſori vero Iuriſconſulto, ſeu Nobili minorum gentium quingenti annuatim tribuuntur floreni, Fiſco Præpoſitus, quingentos, Advocatus ejus trecentos, Theſaurarius ducentos accipiunt florenos. Omnes autem cujuſvis generis Cameræ Imperialis tam Iudices quam Miniſtri, onerum & impoſitionum Spiræ gaudent immunitate; ſententiæ Camerales vero quamvis in ſupremo judicio pronunciatæ, reviſioni, & rejudicationi ſunt ſubjectæ.

Curia Rotweilenſis.

Curia Rotweilenſis in Suevia, vulgo *das Kayſerleiche Hoffgericht zu Rotweil*, à Conrado III. Imp. eodem & Sueviæ Duce, anno 1147 inſtituta, à Maximiliano I. reformata tam ampla non utitur juriſdictione; Imperatoris enim non vero Imperii totius eſt judicium Alſatiam ſolam, Briſgojam, uſque ad Rheni tractum reſpiciens, hujus incolæ prima ut vocant inſtantia ad hoc vocari poſſunt judicium, exceptis tamen ſpeciali privilegio Electoribus ad Rhenum ſitis, ut & Comitibus ab Hohenzollern. Iudicio huic Comes Sultzienſis Præſes naſcitur, & Adſeſſores ex numero Senatorum Rotweilenſium fere ſumuntur.

Auſtregarum judicium.

Sed cum Electorum, Ducum, Principumque ſubditi immediate prima inſtantia eos in Camera Spirenſi convenire nequeant, conſtitutum eſt ut immediati S. R. Imperii cives, ſive ab immediatis, ſive à ſubditis appellentur, coram Auſtregarum Iudicio conveniantur. Iudicii autem hujus dictam ob cauſam inſtituti nomen barbarum, è Germanico vocabulo *Auſzträgen*, quod lites coram judicibus judicii hujus componantur & decidantur, originem duxiſſe videtur. Iudicium vero diverſimode pro diverſorum conditione & dignitate immediatorum civium conſtituitur, conſtatque ex judicibus non ordinariis, ſed delegatis, notionem tantum non etiam executionem habentibus; quam ob rem ſententiæ ab iis judicatæ ab Imperatore & Camera Imperiali executioni mandari ſolent. Liberæ vero Imperii civitates, quamvis Statuum & immediatorum Imperii civium cenſeantur numero, hoc privilegio tamen non gaudent, ſed coram Cameræ Imperialis judicio prima conveniuntur inſtantia: niſi ex ſingulari privilegio, vel longiſſimi præſcriptione temporis ſingulares primæ inſtantiæ habeant judices, quod jus pleræque ex iis hucuſque uſurparunt.

Su-

Das Keyserliche Hoffgericht. Supremum Iudicium, quod nullam admittat appellationem, est curia Imperatoris, vulgo *das Keyserliche Hoffgericht*, sive *Reichs Hoffrath*. Huic Consilio ipse præsidet Imperator tamque in comitiis Imperialibus quam in aula Imperatoris celebrari solet, & eodem quo camera Spirensis utitur officio. Constat ex Consiliariis residentibus & absentibus iisdemque è Comitum, Baronum, Nobiliumvel Iurisconsultorum desumtis numero. Absentes, si quandoque ad Consilium accedant, eadem qua præsentes gaudent authoritate. Causæ autem in hoc tractari solitæ sunt eæ, quæ ad solius Imperatoris spectant judicium, veluti Ducatuum, feudorumque majoris ponderis causæ. Solemnitates vero juris civilis in hoc Iudicio observari non solent, cum Cæsar iis nullo sit obstrictus modo.

Consilium Status. Consilium Status ex Principibus, spectatæque nobilitatis viris, ut plurimum Germanis, præsentibus, absentibusque est compositum. Absentes prægrandi numero Consiliariorum Imperatoriorum titulo magis, quam ipsa valent authoritate.

Consilium ærarii. Præterea est Consilium ærarii, redituumque Imperatoris, quod financiarum vulgari dicitur vocabulo; huic tam redituum quam expensorum rationem tenendi onus injunctum est.

Consilium bellicum. Consilium bellicum vero, in quo omnia tractantur ad Bellum spectantia, ex Ducibus, Comitibus, Baronibusque tanquam Consiliariis Belli aulicis; & Militum Tribunis majoris notæ, ut Consiliariis in expeditione constat; & plurimi quoque hujus dignitatis gaudent tantum titulo.

Cætera Iudicia. Cæteræ, Electorum, Principum, & S. R. Imp. Ordinum Curiæ seu Iudicia specialia sunt: Cancellaria, vulgo *Cantzleii*. Iudicium aulicum vulgo *Hoffgericht*; Iudicium Regionis vulgo *Landtgerichte*, & judicium civitatis, vulgo *Stadtgerichte*; hæc singula quisque in suo exercet Electoratu, Principatu, Civitate, vel Territorio; cum omnibus & singulis imperii Ordinibus eadem, quæ Imperatori competat jurisdictio; hinc est quod Decretis suis præfigunt *Wir von Gottes genade*, Nos Dei Gratia; causas enim tam civiles quam criminales judicandi judiciaque exequendi, reos pro delicti qualitate puniendi; imo veniam & remissionem iis largiendi, qui gravissimo mortem meruerunt crimine Ordinibus indubitata competit potestas.

Societas Civitatum Anseaticarum. In quantum ad Societatem Civitatum Anseaticarum, eam jam circa annum D. N. 127. extitisse quorundam firma est opinio, alii eam solummodo paullo ante tempora Friderici II. Imp. circa annum 1200 coiisse affirmant; illud certissimum est, fœdus hoc à Carolo IV. fuisse confirmatum. De etymologia nominis varii varie quoque sentiunt, mihi eorum magis arridet opinio, qui civitates eas *an Seestädte* quasi ad mare sitas dictas existimant. Fœdus autem ipsum ad commerciorum tam securiorem quam faciliorem est institutum expeditionem, ut tanto faciliori negotio varias merces in Germaniam asportare possent alienigenæ, tanto difficilius tormenta aliaque ad bellum necessaria avehere possent indigenæ. Civitates autem hodie in quatuor Classes seu Metropoles, Lubecam, Coloniam, Brunswicum, & Gedanum partitæ sunt. Lubeca Caput & Princeps omnium, Hamburgum, Rostochium, Wismariam, Straelsundium, & Lunenburgum, civitates complectitur, quæ communi vocabulo Vandalicæ appellantur, hisce Pomeraniæ adjunguntur hæ civitates: Stetinum, Anklen, Golnavia, Gryphiswaldia, Colberga, Stargard, & Stolpia.

Civitatum 4. Metropoles: Lubeca.

Colonia. Sub Colonia Agrippina Metropoli continentur, Vesalia inferior, Duisburgum, Embrica, Warburgum, Vnna & Hamum Cliviæ & Marchiæ Civitates; Præterea Monasterium, Osnabruga, Dortmunda, Susatum, Herefortia, Paderborna, Lemgavia, Bilevelt, Lippia & Coesveldia Westphaliæ; nec non Noviomagum, Zutphania, Ruræmonda, Arnhemium, Venloa, Elburgum, Hardervicum, Geldriæ; Daventria, Swolla, & Campa, Transisulaniæ; Groninga, denique Stavera, & Bolsuerdia, Frisiæ Civitates.

Brunsvicum. Sub Brunsvico, tertia Anseaticarum metropoli sunt civitates Saxonicæ: Magdeburgum, Goslaria, Einkecka, Gottinga, Hildeshemium, Hannovera, Vls, Boxtehuda, Stada, Brema, Hammeln, & Minda.

Gedanum. Quarta Metropolis Gedanum cum cætera Borussia in fœdus admissa sub se complectitur Regiomontium, Colmariam, Thorunium, Elbingam, Brunsbergam; quibus Rigam, Derpt, & Revaliam in Livonia Germanice loquentes adjungere licet.

4. Domus Commercii. Fœdus hoc in exteris remotisque regionibus quatuor communes habebat domus mercatorias mercimoniis & commercio destinatas. Vnam Londini communiter *Staelhof* dictam, hanc Angli mutuis discordiis dissentientes, expulsis mercatoribus Germanis, occuparunt; alteram Brugis Flandrorum, quæ postea Antverpiam translata, vulgari vocabulo *'tOostershuys* dicitur, ædificium structuræ elegantissimæ, sed hodie ob commercii ob causam Belli præteriti cessationem nullius fere usus: tertiam Novogrodiæ in Russia, unde Mercatores à Moscis expulsi sese Revaliam, dein Narvam conferre coacti sunt. Quarta erat Bergæ in Norvegia, hic commercia & hodie quamvis floreant, ob Danorum tamen Belgarumque perpetuas huc navigationes, non minima pars commercii Anseaticis est detracta.

Londini. Antverpiæ. Narvæ. Bergæ Norvegiæ.

Leges Societatis. Leges præcipuas vero fœderis Anseatici, has constituerunt: Nemini, qui non sit sub hac societate comprehensus, jus commercii in civitate Anseatica concedatur. Nemo sub pœna capitis viis haud frequentari solitis utatur, seu portus inusitatos appellat, ne cuiquam introducendi merces vetitas sit occasio, quamvis in quovis portuum præfecti visitationi mercium sint constituti. Commercium permutatione non emtione aut venditione tractetur. Nemo ferrum, æs, cæterave metalla quæ ad usus bellicos apta sint, remotas in regiones avehat.

Cæterum societas hæc ab Imperatore & Imperio, ut utilis & honesta fuit comprobata, quamvis vero quædam civitates ea comprehendantur, quæ nec in Statuum imperio numero sint,

ſint, neque immediate dependeant, nihilominus ſocietatem hanc ratamImperatores voluere ſalvo & reſervato tamen cujuſque Principis, cui parent, jure & ſuperioritate. Cum autem ampliſſimæ Societatis negotia ſine conventibus expediri nequeant, cujuſque Civitatis Legati quotannis Lubecam,Societatis Anſeaticæ Caput & Metropolim, ubi & Archivium ſeu Grammatophylacium habent commune, ad negotia tractanda conveniunt.

Religio. In tota autem Germania, Catholica Romana, & Lutherana, quam Auguſtanam Confeſſionem vocant, permittuntur Religiones; quamvis Calviniſtas, Anabaptiſtas, Iudæos, Huſſitas, Taboritas & Picardos hinc inde per Germaniam ſparſos invenias.

Imperatores Germaniæ ſucceſſores ſeſe Cæſarum Romanorum in Imperio Romano dicunt, Cæſares & Auguſti cognominari quoque ſoliti, eorum Cathalogum ſeu ſeriem huic deſcriptioni adjungere non abs re viſum fuit. Seriem igitur à tranſlatione imperii in Germaniam exordiar, & à Caroli Magni Imperatoris temporibus, cum Conſtantini ſeptimi temporibus Imperium Occidentis in eum tranſlatum ſit.

Imperatorum ſeries. Carolus Magnus igitur, Primus Romanorum in Germania Imperator, Galliæ Rex, Pipini illius filius, qui Aſtulphum Longobardorum Regem anno 756 Eccleſiæ Rom. omnia reddere coegerat quæ injuſte uſurpaverat, & Pontificibus Rom. ſubjecerat civitates omnes, quas Exarchi Imperatorum Orientis in Italia poſſidebant. Hic inquam Carolus, ab Adriano Papa ad inſolentiam Longobardorum reprimendam evocatus, Theodoricum eorum regem ſimul cum uxore & liberis captivos cepit, ſimul dominationi eorum in Italia finem imponens, & ditiones omnes Regibus Gallorum ſubjiciens anno 774. Non multo poſt Adelgiſium Theodorici filium, magnam Græcorum, ad quos confugerat, in auxilium ducentem manum, magno devicit prælio, morteque mulctavit anno 789; donum quoque à Patre Pipino Eccleſiæ Rom. factum confirmavit: poſtmodum Leone Imperatore ab Irene Matre excæcato, à Romanis electus Imperator à Leone tertio Pontif. Rom. anno 801 coronam accepit; Pipinus vero illius filius in Regem Italiæ fuit aſſumtus. Carolus denique omni cumulatus gloria, poſtquam Gallorum per 45 annos, imperii 13. moderaſſet habenas, Aquisgrani anno 814. vitam cum morte commutavit.

Ludovicus Bonus, Caroli Magni & in Gallorum Regno & in Imperio Romano ſucceſſor, Auguſti nomen à Patre ipſo Nativitatis D. N. anni 813 die, coronam vero Rhemis à Stephano Papa 28 Octobris 816. accepit. Filii ejus Lotharius, Ludovicus, & Pipinus graviſſimis eum affecerunt moleſtiis, captum una cum Iuditha uxore Cœnobio includentes. Hinc tamen opera Ludovici filii elapſus rurſus Imperii arripuit habenas, Lotharioque filio remiſſionem malefactorum petitam conceſſit; dein prope Ingelhemium poſt imperii an. 27. an. 840. fato functus eſt.

Lotharius ejus filius & in Imperio ſucceſſor Aquisgrani anno 820 Auguſtus denominatus eſt; coronam vero Romæ anno 823 à Papa Paſchali impoſitam accepit, poſt cruenta cum fratribus bella, Monachorum cœnobii Prumenſis ſeſe adjunxit numero, ubi & naturæ ſolvit debitum anno 855. poſtquam imperio 35. præfuiſſet annis.

Ludovicus II, Lotharii filius in Regem Italiæ aſſumtus, eandem à Saracenis depopulantibus liberavit, Auguſti à Patre Aquisgrani anno 850 nomine inſignitus, ab Adriano II Papa anno 871 coronatus, Mediolani anno 875, poſt Imperii annos 24 deceſſit.

Carolus Calvus, Galliæ Rex, Ludovici II patruus, poſt obitum ejus in Imperatorem cooptatus, & Romæ à Ioanne VIII Pont. Max. corona ornatus: prope Vercellas anno 877. Imperii ſui ſecundo, Imperium ſimul cum vita reliquit.

Ludovicus tertius, *Balbus* cognominatus, Patris ſucceſſor, Rex Galliæ idem & Imperator, diadema à Ioanne VIII. in Synodo Trojenſi Campaniæ anno 877. ſibi habuit impoſitum, Trojæ quoque vitam, poſt Regni & Imperii annum unum & 6 menſes finivit.

Carolus III, cognomento *Craſſus*, Ludovici Germaniæ Regis filius, Lotharii Imperatoris nepos, Ludovico III morte erepto Imperium adeptus eſt; Romæ à Iohanne VIII anno 881 diademate ornatus, idem poſt annos octo relinquere coactus, anno 888. deceſſit.

Arnulphus, Carolomanni filius, Ludovici Germaniæ Regis nepos, in Caroli Craſſi ſubſtitutus locum anno 887, Aquisgrani à Luitberto Archiepiſcopo Moguntino primum, poſt Romæ anno 895 à Formoſo Pontifice coronatus, Normannos maxima afflixit clade, & Ratisbonæ anno 899. poſt 12 Imperii annos defunctus eſt.

Ludovicus IV. Arnulphi filius, in Regem Germaniæ & Imperatorem Forchemii cooptatus, & Aquisgrani ab Hattone Archiepiſcopo Moguntino coronatus, Ratisbonæ poſt 12 Imperii annos fato functus eſt.

Conradus I. Franconiæ Dux, anno 911. in Imperatorem Rom. electus, & Aquisgrani anno 912 coronatus, Imperium ſeptem rexit annis, an. vero 919 morte abreptus eſt; ejus tempore Berengarius nomen Imperatoris in Italia uſurpavit.

Henricus I. Saxoniæ Dux, cognomento *Auceps*. Hunc Proceres Germani Friſlariæ congregati poſt Conradi obitum comunibus ſuffragiis Imperatorem pronuntiarunt, quamvis Berengarius in Italia, Hugo vero Comes Arelatenſis ab Italiæ Proceribus contra Rudolphum Burgundiæ regem Italiæ Rex electus in Provincia Imperatorium titulum uſurparent, 17. annos Imperio præfuit, & anno 936 moriens idem ſucceſſori reliquit.

Otho I. cognomine *Magnus*, in Patris electus locum, Aquisgrani coronatus, Berengarium Regis Italiæ titulum uſurpantem captum in Germaniam relegavit, & Romæ Imperii coronam anno 962 ſibi à Iohanne XII. Papa imponi voluit, Imperium adminiſtravit annos 36, obiit vero anno 973.

Otho II. Mors Saracenorum ſeu *Sanguinarius* appellatus, Patri in Imperio collega anno 958, poſt ſucceſſor Aquisgrani, poſt Romæ anno 968 coronatus, bellum contra Imperatorem Conſtantinopolitanum in Calabria geſſit, unde rediens

diens Romæ anno 983 deceſſit, poſtquam Imperium poſt Patris obitum decem ſolus gubernaſſet annos.

Otho III Aquisgrani primo, poſt Romæ anno 996 à Gregorio V. Pontifice in Imperatorem eſt coronatus. Vix in Germaniam redux intelligens Creſcentium Conſulem Romanum Gregorium è Pontificatu dejeciſſe, & Græculum quendam Iohannem nomine, Epiſcopum Placentinum, in locum ejus ſubſtituiſſe, ſecundo iter Romam inſtituit; Creſcentium, qui Caſtellum S. Angeli occuparat, capit, Pſeudo-Papæ oculos eruit, Gregorium dignitati reſtituit, redux mortem anno 1001, poſt 17 imperii annos, oppetiit.

Henricus II, Bavariæ Dux, è familia Othonis Saxoniæ Ducis originem trahens, primus Imperatorum, ſecundum inſtitutionem Othonis III, & confirmationem Gregorii V, ab Imperii Electoribus eſt electus. Bella plurima in Italia, Germania, & Bohemia mira perfecit felicitate, Arduinum Marchionem Mediolanenſem anno 1002 à Longobardis Regem Italiæ nominatum feliciſſimè devicit, ut & Eginhardum in Germania eundem titulum uſurpantem; Virginitatem uſque ad obitum cum uxore Cunigunda ſanctiſſime ſervavit, cum eadem Bambergæ ſepultus; imperium 23 rexit annos, & pie anno 1024 obdormivit.

Conradus II, cognomine Salicus, Franconiæ Dux in ſucceſſorem Henrici nominatus; Aquisgrani anno 1025, poſt Romæ 1027 coronatus; è Ghiſelia, Lotharii Francorum Regis filia, filium Henricum tertium ſuum in imperio ſuſcepit ſucceſſorem, rexit imperium annos 14, ſubitanea morte prope Vltrajectum anno 1039 eſt extinctus.

Henricus III Rex Romanorum à Patre anno 1030 nominatus, eodemque anno Aquisgrani, Romæ vero anno 1047 coronatus eſt. In Saxonia diem ſupremum vidit anno 1056, poſtquam imperium gubernaſſet 17 poſt deceſſum Patris ſui annos, Spiræ ſepulturæ accepit honorem.

Henricus IV tempore obitus Patris ſui ſex ſolum natus annos Matris Agnetis ſub tutela educatus, magnum in Principem evaſit: cum Gregorio VII, ob auctoritatem ſibi debitam diſſentiens Romam cepit; ipſumque Pontificem Maximum in Caſtello S. Angeli obſidione cinxit, quamvis eam ob adventum Roberti Guiſcardi, Normanni, Siciliæ Regis, ſolvere coactus fuerit; imperii regimen poſt mortem Patris ſui 47 adminiſtravit annos, Leodii autem anno 1106 defunctus eſt.

Henricus V Romæ coronatus, Paſchalem & Gelaſium Pontifices Romanos perſecutus eſt, donec pace cum Gelaſio facta Capitulis Epiſcopos creandi jus conceſſit: imperium poſt obitum Patris ſui (quem captivum detinuerat) 18 annos tenuit; Vltrajecti ſupremum obiit diem anno 1125, Spiræque tumulo fuit conditus.

Lotharius II, Saxoniæ Dux, Comitis Gebhardi Supplinburgenſis & Arnspergenſis filius in locum Henrici ſuffectus eſt. Innocentium ſecundum ab Anacleto Antipapa ejectum, dignitati reſtituit, Romæ ſe coronari curavit; Rogerium Siciliæ regem Apulia & Campania ejecit; Fridericum Suevìæ, & Conradum Franconiæ Duces magnis devicit præliis; tandem poſt imperii annos tredecim, anno 1138, ex hac vita migravit.

Conradus III, Suevìæ Dux è familia Stophenia oriundus, Friderici & Agnetis ex Henrico I V progenitæ filius, Henricum Superbum Bavariæ Ducem, Lotharii II. Imperatoris generum Imperatoris titulo & dignitate abutentem devicit; Terræ ſanctæ, perſuaſionibus S. Bernardi inductus, iter arripuit, numeroſo comitatus exercitu. Imperio duodecim præfuit annis, & anno 1152 mortuus eſt.

Fredericus I, cognomine *Barbaroſſa*, itidem è familia Stophenia Ducum Suevìæ originem ducens, Imperatoris Conradi III fratris filius; in Imperatorem menſe Martio 1152 electus, Aquisgrani, poſt Romæ anno 1155 coronatus. Diſſenſiones & bella civilia Guelphorum & Gibellinorum ſopivit; anteceſſoris inſiſtens veſtigiis innumeris ſtipatus militibus Terram ſanctam petiit, ubi flumini innatans periit anno D. N. 1190, poſt imperium 34 annos adminiſtratum.

Henricus VI à Patre Frederico Rex Romanorum deſignatus coronatusque Aquisgrani anno 1170, poſtea Romæ 1191, Siciliam capto Tancredo occupavit. Imperii gubernationi poſt Patris obitum octo annis præfuit, Meſſanæ in Sicilia obiit anno 1194.

Henrico ſexto è vivis erepto, Procerum Imperii Germaniæ inter ſeſe diſſentientium quidam *Philippum* Suevìæ Ducem, Frederici I. filium, Henrici VI. fratrem Imperatorem pronuntiarunt; alii *Othonem* IV, Saxoniæ Ducem, Henrici Leonis filium elegerunt. Philippi ſors prævaluit, nam Othonem magno devicit prælio. Tandem, Papa partes ſuas interponente, fœdus hiſce conditionibus pepigerunt, Philippus ſcilicet gauderet dignitate imperatoria, filiamque ſuam Othoni (qui ei in imperio ſuccederet) uxorem daret: Philippo poſt Bambergæ ab Othone Vitelſpachio Comite Palatino, poſt novem Imperii annos interemto, ſucceſſit

Otho IV, qui Imperio diſſenſionibus diviſo decem, poſt mortem vero Philippi octo annorum præfuit ſpatio, in Saxonia anno 1218 morte è vivis ereptus eſt.

Fredericus II, Henrici ſexti filius, Siciliæ Rex & Suevìæ Dux, Rex Romanorum contra Othonem IV. anno 1210, Aquisgrani anno 1212, poſt Romæ anno 1220 coronatus eſt; maximis cum Honorio & Gregorio Pont. Maximis diſſentiit diſcordiis; Exercitum numeroſum in Terram ſanctam contra infideles duxit, in Apulia denique anno 1250 imperium cum vita reliquit, poſtquam imperii gubernacula per 30 moderaſſet annos.

Conradus IV, Frederici ſecundi filius, Rex Romanorum declaratus jam anno 1236, celeberrimas urbes Neapolin, Capuamque vivo adhuc patre cepit, poſt exceſſum Frederici tres gubernavit annos, & ex hac vita deceſſit Neapoli anno D. N. 1254.

Sequitur *Rudolphus*, Comes Habspurgenſis & Alſatiæ Lantgravius, hic, poſt diſſenſiones ob Electionem duorum Regum Romanorum graviſſimas, tandem omnibus Electorum concur-

rentibus suffragiis 29 Septembris 1273 Imperator electus est; Ottocarum Bohemiæ Regem Austriam, Stiriam Carinthiamque sibi renuntiare coegit, & post promissa exequi recusantem cruento devicit prælio, morteque mulctavit anno 1278; Bohemiam Wenceslao Ottocari filio reliquit, Austriæ Albertum filium suum præposuit, (cujus in hunc diem Austriæ præsunt posteri) cunctis denique terribilem sese effecit Principibus. Imperium 17 rexit annos, tandem Germersheimii prope Spiram placide occubuit. Huic Rudolpho stemma Austriacum gloriam & splendorem maximum debet suum.

Adolphus Comes Nassovius mense Januario 1292 Francofurti in Cæsarem electus, & Aquisgrani coronatus, in prælio contra Albertum Austriacum in campis Wormatiensibus anno 1299 gloriose occubuit, postquam ab imperii habenis anno 1298, à Proceribus, qui in locum ejus Albertum Austriacum elegerant, esset remotus.

Albertus I, Dux Austriæ, Rudolphi Habspurgensis Imperatoris filius, Aquisgrani coronatus, Rudolpho filio suo Bohemiæ Regnum acquisivit, postmodum à Iohanne fratris sui filio anno 1308 interemtus est, post imperii annos octo.

Henricus VII, Comes Lutzenburgensis, in locum Alberti Francofurti electus, Aquisgrani, post Mediolani in Longobardorum Regem, tertio Romæ in Romanorum Imperatorem coronatus est, obiit anno 1313.

Ludovicus V, competitore suo Frederico Austriaco, ab Electoribus dissentientibus electo, profligato, Mediolani in Italiam profectus anno 1337, postmodum Romæ à Nicolao Antipapa coronatus, imperium per 32 annos detinuit, tandem in Bavaria anno 1347 obiit.

Carolus IV, Ioannis Lutzenburgici Bohemiæ regis filius, Henrici septimi nepos, Wenceslai primo, post imperium acquisitum Caroli nomine appellatus, Rex Romanorum vivo adhuc Ludovico V, anno 1346, ab Archiepiscopis Moguntiaco, Trevirensi & Coloniensi, Rege Bohemiæ patre suo, & Duce Saxoniæ, in pago Rens Diœceseos Trevirensis congregatis, ex mandato Clementis Sexti Papæ, qui Ludovicum V excommunicaverat, pronuntiatus est. Bonnæ prope Coloniam, dein in urbe Monza prope Mediolanum, tertio Romæ anno 1355 corona imperatoria ornatus est. Bullam Auream imperii præcipuas continentem leges in comitiis Noribergensibus publicari jussit, imperium ipsum 32 gubernavit annis, & in Bohemia anno 1378 ex hac vita migravit.

Wenceslaus, Caroli IV filius & successor, ob inertiam suam decantatus, magnâ ab Imperio remotus anno 1400 ab Electoribus Boppartii congregatis ignominiâ, 18 annis interlapsis apoplexia ictus Pragæ in Bohemia anno 1419 misere periit.

Robertus Bavariæ Dux, & comes Palatinus Rheni, ab ipsa Wenceslai ab imperio remotione anno 1400 in Regem Romanorum electus, & Coloniæ Agrippinæ coronatus, Papæ & Florentinis contra Ladislaum regem Neapolitanum, & Galeatium ducem Mediolanensem belligerantibus, suppetias ferre conatus est; sed à Galeatio devictus redire in Germaniam re frustra tentata necesse habuit, obiit anno 1410.

Sigismundus, Hungariæ & Bohemiæ Rex, Caroli IV. Imp. filius, Francofurti anno 1411 in Imperatorem electus, Aquisgrani primo, post Mediolani, tertio Romæ coronatus; sua Concilium Constantiense corroboravit præsentia, Hussitasque in Bohemia repressit, imperium 26 annos tenuit, Pragæ anno 1437 vita excessit.

Albertus II, Archidux Austriæ, Bohemiæ & Hungariæ Rex, Imperator primo Ianuar. 1438 salutatus, Aquisgrani coronatus, unico Imperium tantum rexit anno 1439 è vita ereptus.

Fredericus III, Ernesti Ferrei Austriæ, Stiriæ & Carinthiæ Ducis, Comitis Tirolensis filius, anno 1440 electus, Aquisgrani, postea Romæ coronatus 1451, post Imperii annos 53 Linti in Austria anno 1493 decessit.

Maximilianus I, Frederici filius, vivo etiam tunc patre Rex Rom. pronuntiatus anno 1487, & ad imperii gubernacula admotus 7 conjunctim cum Patre, 25 vero annis, eo vita privato, imperio præfuit, mortuus anno 1519.

Carolus V, Hispaniarum & Indiarum Monarcha, Belgii Princeps potentissimus, Philippi Archiducis Austriæ filius, Maximiliani I. nepos, in Imperatorem Romanorum Francofurti anno 1519 promotus, Aquisgrani, postmodum Bononiæ diademate Imperatorio redimitus, duodecim annis solus imperii rexit habenas, post fratre ejus Ferdinando in Regem Romanorum adsumto, cum eo conjunctim 26 annos. Post voluntate motus propria imperium Ferdinando fratri in manus tradidit, sese in Hispanias recipiens, ubi pie in Monasterio S. Iusti prope Vallisoletum vitam hanc cum meliori commutavit, postquam 58 vixisset annos.

Ferdinandus I in Regem Romanorum Francofurti anno 1531 electus, & Aquisgrani coronatus est, postmodum in imperatoria fratris successit dignitate, mortuus Viennæ in Austria 1564 post Regni 7, & vitæ 61 annos.

Maximilianus II, Ferdinandi filius, electus est in Regem Rom. Francofurti 24 Novembris 1562, in Imperatorem post Patris obitum evasit anno 1564, obiit Ratisbonæ in ipsa comitiorum imperii celebratione 12 Octobris, 1576.

Rudolphus II, Maximiliani II filius, in Regem Romanorum 1 Novembris 1575 assumtus est, imperatoriam nactus est dignitatem post patris sui obitum, Pragæ fato functus decessit 20 Januarii die, 1612.

Mathias I, Rudolphi frater, 24 Iunii, 1612, Romanorum Imperator coronatus, Viennæ in Austria 10 Martii 1619 obiit.

Ferdinandus II, Caroli Stiriæ Ducis filius, Ferdinandi I. Imp. nepos, Mathiæ anno 1619 in imperio successit. Gravissima per Legatos gessit bella adversus Fredericum Comitem Palatinum Rheni; Christianum IV Daniæ, & Gustavum Adolphum Sueciæ Reges: liberos procreavit Iohannem Carolum, in urbe Gratz in Stiria anno 1619 defunctum; Ferdinandum Ernestum Regem Hungariæ anno 1625 creatum: Mariam Annam: Cæciliam Renatam Vladislao IV, Po-

Ioniæ

loniæ Regi matrimonio junctam: & Leopoldum Guilielmum, Belgio Regio ab anno 1647 ad annum 1656 nomine Hispaniarum Regis Præfectum. Obiit hic Imperator 15 Februarii die, anno à nativitate Domini nostri 1637.

Ferdinandus III, filius secundi, pace cum Gallorum & Sueciæ Regibus Monasterii Westphalorum 24 Octobris 1648 icta, finem cruentissimis Germaniæ bellis imposuit, primis nuptiis Mariam, Philippi IV. Hispaniarum Regis sororem, uxorem duxit, ex qua liberos suscepit Ferdinandum Franciscum Bohemiæ & Hungariæ Regem, 18 Iunii 1653 in Regem Romanorum electum, principem optimum, præmatura morte ante patrem ereptum, 8 Iulii 1654: Leopoldum Ignatium fratris in Regnis Hungariæ & Bohemiæ, patris in imperio dignissimum successorem: Ferdinandum Carolum Josephum denique Augusti 1649 natum, in cujus puerperio mater Imperatrix ex hac vita emigravit: secundo matrimonio Mariam Leopoldinam Austriacam sibi conjunxit; tandem optimus Imperator ad vitam meliorem tendens lachrymarum vallem hanc piissime reliquit 2 Aprilis 1657.


Leopoldus I, Ferdinandi filius & successor, 9 Iunii 1640 natus, Rex Bohemiæ 14 Septembris anni 1656, & minimo post temporis intervallo Hungariæ Rex coronatus, Francofurti in Imperatorem 18 Iunii 1658 electus, primo vero Augusti coronatus, nunc in Germania rerum potitur. Princeps omnibus heroicis virtutibus ornatus, & qui, si fata vitam concedant, omnem prædecessorum suorum obscurabit gloriam.





ARCHIDVCATVS
AVSTRIA.

Nomen.



A *Vstria* nomen non habet ab Auctore, sed à mundi cardine Orientali; qui Germanis **Oost** dicitur; quanquam aliqui ab *Austro*, hoc est à meridie, vocitatam velint; sed malè. Antiquitus enim Ostrasia, **Oestreich** Germanis, dicta, eodem quo Ostrogothia, & Ostrofrancia, modo; sicut ipsi quoque Græci Οςρίκιον Austriam nominant: ad distinctionem *Westrasiæ*, **Westreich**; in quæ duo regna olim Imperium divisum fuit. Etsi vero Austrasia ad Rhenum ab initio fuerit, cum tempore tamen serpsit appellatio etiam ad partes longius Orientem versus à Rheno dissitas, pro ratione nimirum prolati Imperii. Atque hæc est caussa, cur illam Otho Frisingensis *Teuthonicorum Marchiam* vocet. Olim fuit Austria pars Pannoniæ Veteris, in qua forte Ptolemæi *Teracatriæ* & *Racatæ* sedes habuerunt, quia & hoc tempore Poloni Austriacos *Rakuszy* appellant; at Bohemos Moraviosque *Rakaussy* & *Rakussané*. Pirckheymerus vult Ptolemæi *Curiones* & *Chætuoros* ad Cremsirium, Znaimum, & Nicolaiburgum habitasse. Lazius *Bojos* quoque egregiam hujus partem insedisse arbitratur, antequam à Marcomannis sedibus expulsi sint; quibus se postea Longobardi aliæque nationes junxerunt: ultra Danubium autem *Norici* fuerunt. Anno 928, quum Hungari crebris excursionibus Austriam atque inde Bavariam reliquamque Germaniam vexarent, commendavit Henricus I. Imperator cognomento Auceps ejus curam Leopoldo Illustri Alberti filio, Henrici nepoti, Comitibus Papebergensibus, qui ex Sueviæ Ducum Familia originem ducebant. Is Leopoldus primus Marchio ab Othone I. dictus est, & sic Austria Marchiæ titulum accepit, quem in Henrico II. Fridericus Barbarossa Ratisbonæ in Ducalem mutavit, usque dum Anno 1245 Fridericus Bellicosus à Friderico II Archidux creatus est.

Limites. Habet autem ad Ortum Hungariam, Styriam ad Meridiem, ad Occasum Bavariam, & Moraviam ad Septentrionem Tejo amne discretam. Latitudo ejus erit trium, longitudo circiter sex dierum.

Divisio. Dividitur in Superiorem & Inferiorem Austriam, quarum illa *Trans-Anisiana*, hæc *Cis-Anisiana*, ab *Aniso* seu *Ens* fluvio nomen habet, qui utramque dissecat.

Mores. Indigenæ Austriaci faciem vultumque gratum habent, sed passim apud Authores & curiosos rerum indagatores vinosi audiunt & superbi: Nobiles, ut in aliis rebus, ita quoque in his communem vulgum longè superant, & splendidissimi sunt in vestitu; quod vitium ita pullulavit, ut opifices & passim cives exemplum ab illis capientes, mutuis sese honoribus, titulisque se indignis excipere gaudeant eousque, ut nobilium titulos captantes, illos ad majores & à vulgo magis alienos respicere cogant, ita quoque his deditos, ut & in Regimine Cis-Anisianæ Austriæ, omnes supplicationes & alia scripta reijciantur, si debitus in chartæ frontispicio titulus non inveniatur: hoc vitium ex solo splendore vestium ortum trahit, quæ vulgo passim ex serico erant, antequam Imperator Leopoldus I. statim post reditum à Coronatione, publica lege omnibus vestiendi modum præscriberet, & auri argentique usum in vestibus interdiceret. Ingenio feruntur esse obtuso; nullo modo industrii, sed fideles nihilominus; curam rei domesticæ, præsertim Viennæ, uxoribus relinquunt, ipsi interim in diversoriis, vel alibi recreare se student: In diem vivunt, quod laborando lucrifaciunt, id vino & sumptuosis cibis insumitur: nullus fere invenietur ex mediocribus opificibus, qui non sex septemve fercula suis famulis seu familiæ ministret. Cerevisia cum sit, sed ejusdem cum vino pretii, vinum semper eligunt, idque quærunt habere bonæ notæ. Festis diebus prodigunt, si quid profestis reservatum adhuc fuerit. Hinc perstrepentes totam diem cauponæ & choreas agentium murmura audiuntur. Fœminæ tamen viris nihil concedunt: ubi res domi taliterqualiter peracta, ipsæ cum filiabus ambulatum eunt, nunc huc nunc illuc ad cauponas appellentes; ubi *talis* ludentium (*Kiegeln*) Catervas conspicere licet, quanquam hic lusus viris quam fœminis aptior sit. Amant quoque à Iuvenibus circumduci, scribunt literas amatorias satis dulci & Italico fere stylo. Amores earum satis assidui ex nuptiis & conviviis ortum trahunt; in quibus vulgus adeo modum superat, ut sæpe sexaginta, imo centum convivas habeant, eo majori honori id sibi esse arbitrantes, quo frequentior cœtus est. Illic Iuvenes cum puellis amoris sui fundamenta jaciunt, quæ saltationibus, choreis jocisque aliis plurimum consolidantur. Fœminæ minoris conditionis proprium vestitum habent moris patrii; imprimis caputia lunata & palliola parva, quæ ambo pretiosis pellibus ornata sunt. Omnes autem permixtim valde religiosi sunt, nullum fere Missæ audiendæ tempus negligentes; in qua omnem religionis apicem constituunt: Post auditam Missam aliqui tempus audiendi concionem sibi indulgent; alii vero magis festini, vel domum vel in cauponam divertunt. Magnates & majoris conditionis homines, utriusque sexus, habilitate Gallica delectati, ad eorum modum se vestiunt, & eorum linguam simul cum Italica summo studio addiscunt, utpote in quibus linguis libri Amatorii, *Romani* dicti, majori cum gratia leguntur.


AVSTRIA
ARCHIDVCATVS
auctore Wolfgango Lazio
MORAVIAE vulgo MERHERN PARS.
BOHEMIAE REGNI PARS
REGNI HVNGARIÆ PARS
SALISBVRGENSIS EPISCOPATVS PARS.
Charinthiæ pars.
STEIRMARCK
DVCATVS STIRIAE PARS.
Septentrio
Meridies
Occidens
Oriens
Notarum explicatio
Vrbs Statt
Oppidū Marck
Monast. Closter
Arx Schloß
Pagus Dorf
Vinetum Weinperg
Milliaria Germanica communia
Milliaria Gallica communia
AMSTELODAMI
Guiljelmus Blaeuw
excudit.

2

Vires.

Tempore belli poterit Austria absque ullo incommodo Imperatori præstare x millia peditum & duo millia Equitum. Locos munitos & diuturnæ defensioni aptos paucissimos habet; sola Vienna sicut præstantia situs & magnitudine, ita quoque munimentis cæteras longe anteit; videturque sola fame tantum posse vinci: munimenta namque eximia habet & muro circumdata latissimo & crasso valde. Neapolis huic quoad artem secunda est. Natura autem loci Melicum Götvinumque inexpugnabilia reddit, quibus Neoburgum annumerari posset; non tamen illis comparandum. Hæc loca semper Bohemorum & Hungarorum vires eluserunt. In Armamentario Imperator multas quoque triremes habet, quas Galiotas vocant, quæ valde usui ipsi venerunt tempore belli Hungarici: Nunc tantum spectaculi caussa reservantur.

Regimen.

Archiduces Parlamentum seu Consessum instituerunt Viennæ, sub quo plures aliæ Hæreditariæ provinciæ comprehenduntur. Habent illic quoque pro reditibus earum Cameram Rationum. Res Civiles *Provinciæ Austriacæ Regimen* communiter sic dictum administrat; Criminales Mareschallus Aulæ, quousque jus ejus competit. Viennensis vero Iurisdictionis quæ sunt, ad Senatum, ejusq; Consulem & Civitatis Iudicem referuntur.

Quatuor Ordines sunt Austriæ, quos **Landsstände** appellant: Primus Ecclesiasticus; è quo Episcopi à Principe, Abbates & Prælati à suis Capitulis eliguntur: secundus Principum, Comitum, Baronum: tertius Nobilium, qui cum omnibus suis ab Archiduce dependent: quartus & ultimus urbium est, quæ suis legibus reguntur, suis magistratibus Iustitiam administrantes. Quia autem hæ urbes reditibus sui territorii fruuntur, tenentur mœnia sua reædificare, & portas stationibus observare suis sumptibus. Vnicuique Domino ultima in vasallos seu subditos suos justitia patet: agnoscunt tamen Archiducem; sed si quædam Archidux efflagitet, seu immutare in ratione Status desideret, tenetur prius consensum Conventus seu Diætæ, ubi isti quatuor Ordines præsentes sunt, vel eorum Deputati, acquirere. In Comitiis comparent Episcopi Viennensis & Neustattensis, seu Neapolitanus Austriæ, quos duos Episcopatus à Friderico IV fundatos nunc unus administrat: supremus Magister Ordinis S. Georgii eidem Imperatori originem debentis, Magister Ordinis Teuthonici, ut & Magister Equitum Melitensium: Prælati Viennensis, Neoburgensis & Melicensis, hunc alii sequuntur, alios tres iterum Ordinis Carthusianorum Priores, Aspachensis, Gemminganus & Maurbachensis. Mittunt quoque Canonici Viennenses unum ex se deputatum. Hos sequuntur Status civiles juxta ordines jam memoratos.

Religio.

Austria tota nunc Catholica est, quanquam aliqui pauci sint ex Comitibus & Magnatibus, qui diversæ religioni addicti sint. Anno 1568 permiserat Maximilianus Imperator libertatem religionis; unde tanta apud Magnates licentia exorta est, ut Hornam auderent convenire, de confirmando Religionis Statu acturi. Imperator vero Ferdinandus II, Viennæ 1623 edictum promulgari jussit, ut nullus diversæ religionis illic admitteretur: anno autem 1625 omnes Lutherani ex Superiori Austria ejecti sunt. Tandem sub Ferdinando III, per totam Austriam eorum religio interdicta est, ita ut nullibi aliquod religionis suæ publicum seu privatum exercitium habeant. Viennæ tamen aliquod sodalitium mercatorum est, **die Niederlag** dictum, qui Lutheri & Calvini opinionibus adstricti sunt. Hi propriis gaudent privilegiis, nec Vrbi, sed Inferioris Austriæ Regimini subjecti sunt.

AVSTRIA SVPERIOR,

SEV

TRANS-ANISIANA.

Limites.



TRans-Anisiana Regio, seu Superior Austria ad Orientem Inferiori Austria, Occidentem versus Passaviensi Episcopatu, Bavaria & Salisburgensi Archiepiscopatu, à Meridie Styria, & Bohemia ad Septentrionem terminatur.

Qualitas.

Solum habet satis fertile, & aliquibus in locis vineas. Multa copia piscium varii generis abundat, quos lacus & fluvii ministrant: Avium & ferarum non minor copia, cujus vulgo per edictum captura interdicta. Montosa est ubique & silvis obsita; inveniuntur quoque in his montibus ferri cuprique metalla, ut & fontes prope Gemundam, qui multum salis proferunt. Aër hic valde salubris est, qua in parte Inferiori Austriæ multum præstat.

Flumina.

Flumina quæ hanc alluunt, præter Danubium, sunt, *Anassus*, regioni adjacenti nomen dans, qui ad pagum Rachsstat originem referens, per Streckauw & Wolckensteyn fluens, paulo post *Salzam & Steyram* fluvios recipit; exinde se in Danubium prope sui nominis oppidum exonerat. Minor *Kremisius*, qui *Drauno* aquas suas devehendas tradit, prope Linzium in Danubium se effundenti. Multi præterea parvuli rivi hinc inde ex montibus scaturientes regionem humectant. Multi quoque lacus ubique sunt, inter quos eminent *die Gemunderſee*, ex quo Draunus profluit, *die Alterſee*; *Lacus S. Wolfgangi*; *Vrſee* & *Fileſee*. Quod *Danubium* attinet, multi in eo sunt turbines satis periculosi, præcipuè paulo infra Linzium nominatus *Sewrussel*, sive suis grunnitus, & alius prope Greynam, de quo infra.

Vrbes

Vrbes. *Linzium.* Vrbium in superiori Austria præcipua est *Linzium*, ad Danubium sita, cui ibidem Draunus confluit. Antiquis, teste Lazio, *Aurelianum* seu *Aureliana Colonia* fuit appellata. Locum amœniorem ad totam Danubii ripam inveniri vix posse credo, ita commodus est: hinc circumcirca castella & villæ nobilium piscaturæ & venationi addictorum; illæ namque hic eximiæ sunt, & gratissimæ. Vrbs ipsa ornata est egregio templo, cui conjungitur non mediocris turris. Visitur quoque Palatium Imperiale & domus, quæ vernacula lingua **das Landthauß** nominatur. Ad lævam Vrbis Castellum in edito colle situm est, eximiæ structuræ & magnitudinis; neque longè hinc Capucinorum Cœnobium loco opportuno structum, ex quo in interiorem regionem pulcherrimus patet prospectus. Danubii hic utraque ripa ponte ligneo juncta est & suburbiis septa. Singulis annis Nundinas binas urbs habet, alteras ad Festum Paschatis, ad 24 Augusti diem alteras, ambas multitudine adventantium undique mercatorum in tota Austria celeberrimas; quibus commodissima est magnitudo areæ, quæ valde lata à porta Danubii ad alteram, regionem interiorem versus, porrigitur. Multis hæc urbs bellis vexata, non tamen expugnata fuit. Tempore Friderici II fuit ab Othone Bavariæ Duce obsessa tantum. Anno 1532 Turcarum XV millia eodem tetenderunt: nullus autem ex iis remansit, qui ubique acceptæ cladis nuncium domum ferret, nisi forte unus aut alter ab Hungaris captus & redemptus fuerit. Anno 1542 ignis bonam ejus partem absumpsit. Anno 1626 bello Civili (quod rustici & agrestes in Dominum moverunt) diu à rusticis obsessa est, sed multis eorum millibus trucidatis feliciter liberata, in circumjacentibus tamen ædibus suburbiisque non exiguum damnum passa est.

Ens. *Anisianum* olim *Claudiodunum*, (prope vicum *Lorch*, qui antiquis *Lauriacum* & *Laureacum* dictus est, & *Colonia Aureliana Laureacensis*) ab Aurelio Antonino conditum, prout Lazius asserit, cum in Marcomannos aciem duceret. Dicitur olim eximiæ magnitudinis & duorum millium passuum longitudinis fuisse. Monumenta multa jam ante ex ruderibus effossa, ut & nummi Romani in agris inventi, hæc satis probant: Nunc temporis modicum oppidum & amæno situm loco est. Sunt & alia oppida minora, **Freystadt**; **Gemünd** / Antonini *Laciacum*, ut Cluverius existimat; *Steireck*, amœno & eximio castello gaudens; *Steira*, ad Steiram fluvium; **Wels**, Noricorum olim sedes, *Welaps* dicta, & Romanis *Ovilabis*, *Ovilavis*, *Ovilia*, ac in antiquo lapide *Colonia Aurelia Antoniana Ovil*; & **Vockabruck**.

INFERIOR AVSTRIA.

Limites. AVstria Inferior, seu Cis-Anisiana Regio habet ad Solis ortum Hungariam, ad occasum Austriam superiorem, à meridie Stiriæ montes, & à septentrione Bohemiam ac Moraviam. *Qualitas.* Vbertate agrorum, magnitudine, atque delicatissimorum vinorum copia Trans-Anisianæ Austriæ longe præstat: Aer tamen satis insalubris est, sed multis & fere continuis ex Oriente ventis purgatur: de hac sola dici potest, quod de tota dictum fertur:

Austria ventosa est, si non, esset venenosa.

Vbi enim ventus cessat, Febris, Pestis, aliaque mala ingruunt, & præcipuè morbus, *Hungaricus* dictus, in eos maximum dominium tenens, qui fortibus vinis inassueti fœcundiori ea calice hauriunt; est autem hic morbus species rabiem adferentis Febris, hominibus omnem boni sensum adimentis. Agrorum adeo facilis cultura, ut unus isque macilentus equus vomeri sufficiat: nulla hic fimi ratio, ad agrorum stercorationem, sine qua aliarum regionum fallaces agri. Hinc natum inter vulgum proverbium: **O Ostenreich wo ist deins gleich?** *O Austria ubi tui similis est?* Vltra copiam frumenti magna hic croci abundantia, qui Italico Gallicoque longe præfertur. Vinorum tantus proventus, præsertim circa Viennam, ut vindemiæ plusquam quadraginta dies aliquando durent; innumerabiles sunt equi currusque, qui illud ter quaterve de die in urbem deferunt, tanta multitudine ut vix portæ satis pateant. Apothecæ quoque seu cellæ vinariæ Viennæ tantæ magnitudinis sunt, ut structuræ subterraneæ illis terræ superexstantibus vix cedant. Hinc Moravia, Bohemia, Silesia, Bavariaque providentur, & magna utrimque mercatura exercetur. Præterea Ligni affatim, ut & mineræ ferri, cupri, argenti, stanni aliorumque metallorum venæ. Flumina abundant piscibus, quorum maximus Huso, *Haus*, à magnitudine domus appellationem traxit: incredibile porro esset si Veneris diebus in foro Viennensi piscium venalium abundantiam enarrarem. Certè Ceres & Bacchus præsides & dii Tutelares hujus regionis videri volunt; quibus non inimica Venus in sodalitium posset asciri.

Flumina in ea sunt *Danubius*, huic *Ipsa*, major *Flumina.* *Cremisius*, *Melicus*, *Tulna*, *Vienna*, *Greina*, ad cognomines sibi urbes confunduntur; *Erlap*; *Leyta*, quod Austriam ab Hungaria dividit; *Pyesting*, *Schwegad*, *Marck*, *Stob*, *Rabnitz*, *Guns*, *Pinck*, & *Teya*, Moraviam ab Austria distinguens. In Danubio ultra memoratum turbinem famosus est alter prope Grein oppidum; ubi inter saxosas rupes decurrens, & paulo infra in circulos se agens, plurimorum navigiorum naufragiis & absorptionibus *Strudel* & *Wurbel* addita cognomina Scyllæ & Charybdis famæ exæquat.

Montes quoque in hac regione plurimi *Montes.* sunt & grandes, inter quales mons olim *Cæcius* nunc *der Kalenbergh* dictus prope Neoburgum à Danubio ad Dravum se extendit, & pro locorum varietate plurima nomina adipiscitur, vocaturque *der Schneebergh*, *Seemering*, *Kemperg*, *Hertperg*, *Deubsberg* &c. Est & Hainburgensis mons, qui ad urbem Rab pertingit, antiquis *Cognamus* appellatus. Sylvæ sunt *Freystattensis* & *Kunigwisensis*, partes antiquæ sylvæ Hercyniæ. *Sylvæ.*

Vrbes in Inferiori Austria multæ sunt, inter *Vrbes.* quas *Vienna* eminet *Vienna.*

Velut inter Ignes Luna minores.

Hæc ad Danubii profluentis dextram sita ripam, Antiquorum *Fabiana* videtur fuisse, ab *Annio Fabiano* Legionis x Præfecto denominata, qui his locis præsedisse dicitur. Lazius eandem cum

ARCHIDVCATVS AVSTRIÆ SVPERIORIS Vulgo SVPRA ANISVM cognominatæ NOVA DESCRIPTIO Iuxta accuratissimas dimensiones ABRAHAMI HOLZWORMII.



BOHEMIÆ CONFINIA

EPISCOPATVS PASSAVIENSIS PARS.

AVSTRIÆ INFERIORIS sive CIS ANISIANÆ PARS.

BAVARIÆ DVCATVS.

ARCHIEPISCOPATVS SALISBVRGENSIS PARS.

STYRIÆ CONFINIA.

STYRIÆ PARS.

Notarum explicatio.
Vrbs
Oppidum cum Arce.
Oppidum absque Arce.
Pagus munitus cum Arce.
Pagus munitus sine Arce.
Arx.
Pagus cum templo.
Templum.
Abbatia.
Præpositura.
Balneum.
Vinetum.
Salisfodinæ.
Metallifodinæ.
Molendina.

Milliaria Germanica Communia

Septentr. Meridies. Occidens. Oriens.

Ptolemæi *Iuliobona* & Strabonis *Vendo*, & Antonini *Vindebona* putat, quam Aurelius Victor *Vendobonam* vocat in vita M. Antonini Imp. liber Notitiarum *Vindomanam* Citatur & antiquum marmor, effossum ad portam Scotensem;

MARCIANVS DECVRIO ÆDILIS ET DVVMVIR MVNICIPII VINDOBONÆ ET PRÆFECTVS COHORTIS FABIANÆ.

Sclavi appellant eam *Wydme*, Turcæ *Petz* sive *Petsch*, aut ut aliis videtur *Wetsch* & *Beetz*; Hungari vicini *Bécz*, Germani *Wien* ab ejusdem nominis fluvio, qui ad latus urbis dextrum se Danubio sociat. Vrbs hæc per se non adeo formose structa, neque eximiæ magnitudinis, sed valde populosa est. Ædificia rara in ea nulla sunt; nam aula Imperatoria à magnificentia tanto Imperatore digna longè est aliena. Templa plurima habet, inter quæ primarium S. Stephani excellit, altæ & curiosè elaboratæ turri annexum: multæ in hoc Imperatorum aliorumque magni nominis virorum sepulturæ inveniuntur. Suburbia grandia sunt & frequentia; unum ex iis trans pontem in insula Iudæis concessum est, qui satis magnis privilegiis fruuntur, & profestis diebus mercaturam suam in sibi destinato foro ad vesperam usque exercent:nam ante solis occasum exire urbe coguntur. Hac in insula sylva est undique asseribus septa, *der Brader*, nominata, ubi in delicias Cæsaris venatorias multæ feræ reservantur: In ejus medio duorum vel trium milliarium perspectiva est ex duplicata arborum serie facta. Huc sæpe quinquaginta aut sexaginta paria ex primoribus conveniunt, ambulando sese oblectantibus. Nullus Veneri aptior lucus est, ita favent sylvæ densitas & magnitudo.Non deest quoque Iacchi & bonæ Cereris usus, exstructo in hoc ædificio, quo fames sitisve sedari posset. Sunt & alia populosa satis, inter quæ illud ad Scotensem portam *die Schottenaw* dictum, maximum est. Hodie Vienna quasi domicilium est sex potentissimarum nationum,Germanorum, Italorum, Hungarorum, Polonorum, & Sclavorum: non mediocris quoque Gallorum in ea pars est: Omnes hi lucro intenti sunt, quia indigenis sufficit, si victum & amictum habeant, de pecuniis porro non sollicitis; à quibus levi pretio omnia coëmunt, sua interim carissimè venditantes. Excellentiorum opificiorum hic ratio nulla; requirunt enim industriam & laborem, quibus indigenæ frui, non uti volunt: sed pergamus ad majora. Sub annum Christi CCCCLXIV fertur Severinus Barbaros hoc loco docuisse, eoque perduxisse, ut intra Fabianam duas Basilicas exstruxerint, quas postea disjecerunt Longobardi. Sub annum vero DCXL fertur Gisalaricus à Rudberto istuc missus sacellum intra Fabianam magistro suo excitasse. Ab hoc inde tempore numerantur Episcopi Fabianenses, qui & Vigennenses dicuntur. Carolus Magnus postea Basilicam B. Petro hic ædificavit, sicut etiam fecit in Sicambria & Carnunti, quod tunc quidem Carnburgum, postea à templo *S.Peternell* vocatum fuit. Sub Ludovico Arnulphi filio,Conrado item & Henrico Augustis ab Hungaris & Anaribus dolendum in modum vastata est. Iacuitque ita aliquamdiu, donec circa annum 1158 ab Henrico Austriæ Duce Scotica Abbatia illic erecta est. Postea anno MCC Richardus Rex Angliæ ex Palæstina, ubi militaverat, domum revertens, quum hac iter faceret, captus à Ludovico Austriæ Duce,suis impensis mœnia urbis excitavit. Circa annum vero MCCXXXVI Fridericus II, Imperator receptus est Viennæ à civibus summo honore, estque ibi cum filio suo Conrado Romanorum Rege tres menses commoratus. Hoc tempore urbs ista facta est Imperialis, accepitque insignia, quæ adhuc servat, aquilam auream bicipitem & coronatam in nigro campo. Eodem anno instituta est illic Academia ad normam Scholæ Parisiensis. Mansit autem quadriennium duntaxat sub imperio, devoluta postea ad potestatem Austriacorum. Anno MCCLXXVI, hebdomadibus quinque obsessa est à Rudolpho Habsburgio, defendente Othocaro Bohemiæ Rege. Composita autem est controversia hisce legibus: ut Imperator Othocaro Bohemiam Moraviamque beneficii loco conferret; Austria, provinciæque reliquæ Styriæ, Carinthiæ, Carniolæ, ad Imperium redirent. Anno MCCCXL, cœpta est exstrui turris S. Stephani; estque sexagesimo demum post anno absoluta. Anno MCCCCLXIII, obsessus est Imperator Fridericus à civibus suis in Arce Viennensi, ac per Georgium Podiebracium Bohemiæ regem tandem liberatus: Eam tamen optimus Imperator injuriarum immemor valde evexit. Anno MDXXIX, obsedit eam arctissime Solymannus Turcarum Imperator adducto exercitu CCC M. militum. Oppugnavit eam vicies, omni adhibito tormentorum genere, cuniculis quoque actis suffossos muros disrupit: nihil artis, virium, industriæ intermisit, ut urbe (certissimo Germaniæ totiusque Europæ propugnaculo) potiri posset; sed defensa est singulari Dei bonitate & virtute civium à XXVI Septembris usque ad XV Octobris, quo hostis amissa magna exercitus sui parte domum recedere coactus est. Anno MDXC, tantum terræ motum sensit, ut S. Stephani Turris ruinam minaretur, & multæ ædes disrumperentur. Anno MDCXIX Henricus Comes Mathesius à Thurn cum Bohemis suis urbem, sed frustra, aggressus est. Passa quoque est gravia incendia, inprimis anno MDCXXVI & XXVII. Tempore Torstensonii multis incommodis objecta fuit, cum Suecici ad pontem Danubii majorem urbi incubarent, & continuis transeundi molitionibus eam fatigarent.

Neustat.

Viennam dignitate & magnitudine *Neapolis Austriæ* sequitur, sedes Episcopalis, illâ octo milliaribus distans, amœnis & fructiferis in campis sita, qui grande spatium complexi altissimis montibus cinguntur. Ipsa Vrbs quadratæ formæ forti muro circumdata est, & castello provisa, in quo Maximilianus avus Caroli V. natus est. In frontispicio Portæ Castelli (sicut & Viennæ ad Imperiale Palatium) hæ litteræ vocales habentur A. E. I. O. V. quarum diversæ explicationes, sed hæ præcipuæ:

Austria

Austria Erit In Orbe Vltima.
Aquila Electa Iustè Omnia Vincit.
Austria Erit Iusta Orbis Vindex.
Aller Ehrn Ist Ostenreich Voll.

Austriaci in hac urbe Fridericum IV. Imperatorem diu obsederunt, quod Ladislaum Posthumum, annorum 13 Adolescentem detineret; & coëgerunt, ut eum dimitteret. Anno MCCCCLXXXV fame expugnata est à Matthia Corvino post multorum mensium obsidionem, & ab Hungaris possessa, donec ipsi cives eos anno MCCCCXC expellerent. Anno MDCXXV fortuito igne valde fœdata est, aliquibus templis cum permultis domibus deflagratis.

Cremisium ad Danubium situm loco amœno & mercatoribus opportuno, qui ad binas nundinas frequentes huc conveniunt. Adjacet huic *Stein* oppidum: quæ duo eodem Magistratu utuntur, ita ut Cremisianus Consul altero insequenti anno *Steinæ* Iudex sit, & tertio anno iterum Cremisii Consul. Ambo hæc oppida bello Suecico à Torstensonio occupata sunt; sed Steina destructa, nunc vero iterum reædificatur. Alia oppida minoris momenti nominare sufficiet: sunt vero *S. Hippolyti oppidum* (*S. Pölten*;) *Tulna*; *Ibissa* (*Ips*;) *Corneoburgum*, anno 1645 à Torstensonio captum & diu conta Austriacos defensum; *Retza*; *Zwettaal*; *Laha* multis bellicis casibus celebre ad Moraviæ fines; *Baden*, salutaribus balneis celeberrimum, ad quæ multi sanitatis recuperandæ caussa concurrunt; plurimi vero delitiarum ergo; *Egenburgum*; *Waidhofen*; *Weytrach*; *Thirensteyn*; *Schraitenthall*; *Scheibs*; *Pechlarn*, Antiquis *Præclara* dicta; *Horna*, *Greina*, seu *Gruna*, Cluverio *Cluna*, Lazio *Artagruna*; & *Hamburgum Austriæ*, ultimum Austriacæ provinciæ Hungariam versus; cui adjacet pagus *Petronilla*, Veterum *Carnuntum*, ut ex effossis munimentis & numismatibus apparet.

Neque omittenda arbitror tria illa primaria Cœnobia, *Melicum*, *Neoburgum* & *Götvinum*, seu *Ketwein*, illius oræ ditissima & munitissima; adjuncta sunt prioribus oppidula ejusdem nominis.

Status Archiducum Austriæ.

Archiduces Austriæ possident jam ultra centum annos quasi hæreditarium regnum *Hungariæ*, seu partem illius, quæ adhuc sub Christianis est, ut & regiones dependentes, *Sclavoniam* & *Croatiam*. Post bellum Bohemicum *Bohemia* hæreditaria eorum provincia facta est, cum antea Electiva esset: huic adjuncta est *Silesia*, *Moravia*, & *Lusatia*. Iure successionis possident *Stiriam* & *Carinthiam*, Ducatus, *Cilli*, *Windorum Marchiam*, *Carnioliam* & *Görtz* Comitatus cum parte *Istriæ*. Possident quoque Comitatum *Tyrolis*, Dominium *Frauwenberg*, & valles *Montafun* & *Klosterthall*. Domini sunt octo Iurisdictionum *Vnionis Decem*; & quanquam non absoluti totius Vnionis sint Domini, conservant nihilominus authoritatem suam per suas Arces & Præpositos. Tenent quoque Arcem cum suo Gubernatore in *Vnione Domus Dei*; ut & Comitatus *Sonneberg* in confiniis Grisonum, & *Veldkirchen* ad Lacum Constantiæ, *Bludens* & *Walgouw*. Quod *Habsburgi* in Helvetia Comitatum attinet, licet titulum usurpent etiam nunc, exstinctus attamen fuit cum diruta à Lucernensibus ipsa Arce circa annum 1352. Comitatus autem *Kyburg* venditus fuit Tigurinis à Sigismundo ad annum 1424. Possident quoque Comitatum *Bregentz* ad extremam Lacus *Constantiæ* oram, cujus urbis, quamvis Imperialis, domini sunt, ut & Vrbis *Cell* sive *Ratolfcel*. In Suevia illis subditi sunt Comitatus *Hohenberg*, Landgraviatus *Nellenburg* & *Hegow*; Marchionatus *Burgouw*, & *Algouw*, omnes cum suis urbibus & castellis: item *Villinga* urbs in **Schwartswald**, seu Sylva Nigra. Domini quoque sunt urbis *Waldshut*, prope dictam Sylvam, ad Rhenum in regione *Klekgouw*, cujus quoque partem tenent. In Comitatu *Sigoviæ*, qui fere totus territorio Basileënsi includitur, possident totam illam partem, quæ se ultra rivum Film extendit, cum Comitatu *Rheinfelden*, sive *Frickgovia*, cujus præcipua urbs ejusdem nominis quatuor tantum communibus leucis Basilea Orientem versus distat. Illorum quoque est Landgraviatus *Alsatiæ*, cujus primaria urbs est *Ensheim*: item Comitatus *Pfyrt* in Sangovia ad oram Alsatiæ, & *Brisgovia*, cujus majorem partem possident. Quia autem Archidux Episcopatu Argentinensi fruitur, qui multas egregias urbes in se comprehendit, credibile est, omnem moturos lapidem, ut in sua Familia Episcopatus ille remaneat, quo commodius toti Alsatiæ incumbant. Vltra hæc omnia Imperium quasi hæreditarium ad se traxere; jam anni sunt ducenti: & videtur Germania illis hanc prærogativam voluntariè concedere. Taceo adhuc plurimas terras & provincias vel urbes, quas ultimo bello Germanico in Germania suas fecerunt.

Nunc ad originem Archiducatus transeamus. Iam ante diximus Henricum I. Imperatorem cognomento Aucupem *Leopoldo* Illustri Marchionis titulum dedisse, sive Othonem I. ejus Patrem. Hunc Leopoldum sequuntur ordine:

2 *Albertus* II. Leopoldi filius, obiit anno 996.
3 *Henricus*, Leopoldi filius, obiit anno 998.
4 *Leopoldus* II.
5 *Leopoldus* III.
6 *Albertus* III.
7 *Ernestus*.
8 *Leopoldus* IV.
9 *Leopoldus* V, *Sanctus*.

Hic Leopoldus fuit *Othonis Frisingensis* nobilissimi Historici Pater, quem idcirco Radvicus nominat, Imperatorum Henrici IV nepotem, sororium Henrici V, Conradi Regis fratrem uterinum, Friderici Imperatoris patruum, ex clarissimo regni Principe Leopoldo Patre & matre Agnete filia Henrici IV. Ejus Fratres idem memorat Conradum Pataviensem Episcopum, Leopoldum Ducem Bajoariæ, Henricum Ducem Austriæ, Albertum & Ernestum. Sorores Gertrudem Ducissam Bohemiæ, Bertham Ducissam Poloniæ, tertiam nuptam Henrico Burggravio Ratisbonæ, quartam Hermanno Lantgravio de Saxonia, quintam Marchioni de Phetum.

10 *Henricus* II, quem post obitum Conradi Imperatoris Fridericus Barbarossa primum Austriæ Ducem creavit, quum esset ejus patruus, anno Christi 1156. Ratisbonæ, die 17 Septembris; quod tum ex Othone Frisingensi constat, tum ex privilegio Cæsareo, in quo Henricus ille *primus Austriæ Dux & dilectissimus patruus Imperatoris*,

ratoris, terra vero Auſtria *Clypeus* & *Cor Sacri Romani Imperii* appellatur.

11 *Leopoldus* VI, qui *Virtuoſus:* Hic Richardum Angliæ Regem ex bello Aſendico per Auſtriam iter facientem cepit, extorſitque inſignem ſummam argenti, ſe Ioppæ injuriis affectum querens, cum ſua inſignia ab Hoſpitio diripi & in latrinam conjici Rex juberet. Obiit 1191 quum renuntiaſſet ſæculo.

12 *Leopoldus* VII, Prioris Filius, defunctus anno 1232.

13 *Fridericus*, cui Imperator Fridericus II, privilegia à Barbaroſſa data innovavit, addiditque ad priora inſignia crucem Auream, qualem in coronis geſtant Imperatores, cum titulo Regio. Multa hujus ſunt fortiter geſta. Periït in bello adverſus Hungaros, interfectus ab ipſis anno 1246.

A Friderici morte ſucceſſio intercidit Ducum Auſtriæ, invaſeruntque provinciam hinc Hungari, inde Bavari. Provinciales verò ad defenſionem ſui & Ducatus gubernationem evocant *Henricum* Miſniæ Marchionem, cujus tunc celebris erat virtutis fama; vel ſi is recuſaret, alterum ex filiis Theodoricum vel Albertum. Sed Wenceſlaus Boemiæ Rex *Othocarum* filium ſuum, qui uxorem duxerat Margaretam Viduam Henrici VI, Imp. in poſſeſſionem illam mittit, connivente Imperatore, vel potius ob remp. diſturbatam aliis rebus diſtento. Ita excluſi ſunt Miſnici. Sed quum Imperii fata Rudolphum Habsburgenſem rebus præfeciſſent, dejectus eſt pulſuſque Auſtria Othocarus, quod cum Hungaris contra Imperatorem conſpiraſſet; ac tandem in prælio interemptus. Sublato Othocaro Rudolphus Auſtriam tanquam jure belli captam filio ſuo Alberto tradidit anno 1282. à quo deinceps fluxit Stemma Auſtriacorum Ducum; de quibus in Generali Deſcriptione ampla facta mentio eſt.



B O H E M I A.

Situs.



Ohemia patrio vocabulo *Czechia*, Regnum antiquiſſimum, ovali quaſi forma Hercynio Saltu includitur. De eo Strabo hoc modo ſcribit: ὁ δὲ ἑρκύνιος δρυμὸς πυκνότερός τε ἐστι, καὶ μεγαλόδενδρος ἐν χωρίοις ἐρυμνοῖς, κύκλον περιλαμβάνων μέγαν. ἐν μέσῳ δὲ ἵδρυται χώρα καλῶς οἰκεῖσθαι δυναμένη. *Hercynia*, inquit, *Silva admodum denſa eſt, habetque locis deſertis proceras arbores, magnumque ambitum complectitur. In ejus vero Silvæ meditullio ſita eſt regio habitationi apta.* Refert idem, Suevorum partem eam regionem coluiſſe, in eaque fuiſſe *Bubiemum* Marobodui regiam, tranſlatoſque eò ab ipſo Marcomannos. Quæ quidem cum Taciti deſcriptione conſentiunt, qui tamen hoc addit, Bojemos ortos à Gallis Boijs; verba ejus hæc ſunt: *Inter Hercyniam Sylvam, Rhenumque & Mœnum amnes, Helvetii, ulteriora Boji, Gallica utraque gens, tenuere. Manet adhuc Bojemi nomen, ſignificatque loci veterem memoriam, quamvis mutatis cultoribus.* Dixerat autem Bojos pulſos à Marcomannis. Ptolemæus regionem quidem ipſam non ponit, gentem tamen agnoſcit, μέγα, inquit, ἔθνος οἱ Βαῖμοι. Ex quibus diſcimus, Germanorum olim eas ſedes fuiſſe, poſtea illas Gallis Bojis ceſſiſſe: Hos pulſos fuiſſe à Marcomannis. Sed & ipſi quoque Marcomanni ejecti ſunt à Sclavis, ducibus Zecho & Lecho, quorum ille hunc tractum, hic Poloniam occupavit, durante ad noſtra uſque tempora Sarmatici ſermonis inter vicinas has gentes cognatione.

Termini. Clauditur Regio ad ortum Moravia & Sileſia, ad occaſum Noricis & Bavariæ parte ea, quæ Danubio prætexitur; ad meridiem Auſtria, & Miſnia ad Boream.

Inſignia. Inſignia ejus non quæ nunc ſunt, olim fuere. Nam cum inde ab ipſius gentis incunabulis Aquilam nigram in Scuto albo geſtaſſet, Imperator Cæſ. Fridericus Barbaroſſa eam Leone albo bicaude, diademate aureo caput cincto in ſcuto rubeo, commutavit.

Cœli qualitas. Aëre puro & ſalubri fruitur, quanquam continuis Aquilonis flatibus paulum duriore & frigidiore.

Soli fertilitas. Ipſum vero ſolum hordei ac tritici, lupulique feraciſſimum eſt: hinc optimâ cereviſiâ regio claret, & vicinis eam ut & illa largè communicando, non mediocriter diteſcit. Vina tamen parcius exhibet, & auſtera & acidiora; quanquam & aliqua provenire conſtet, quæ ſaporis ſatis boni ſint. Crocum è contrario, ſucco, odore & colore optimum mittit. Aromaticarum rerum Pharmaceuticæ inſervientium ditiſſima regio eſt: olei tamen, quemadmodum reliqua Germania, ſterilis. Iam illa rara ac prorſus beata telluris dos, quod ex venis ejus tanta ubertate argentum

Fodinæ. adfluit, ut vix credi poſſit. Nec auri, ſtanni, cupri, plumbi, ferri, argentivivi, nec ſulphuris, aluminis, nec vitri deſunt fodinæ ac officinæ. Eruitur autem aurum ex fodinis Gilovianis & Crinenſibus, eluiturque ac eliquatur ex ſabulo in aquis Tetinianis, Vatavæque amnis volutato. Habet Bohemia marmoris, molariumque latomias; habet calaim, amethyſtum, ſmaragdum, ſapphirum & jaſpidem, ex cotibus ſuis metallicis abruptos; habet varias, eaſque raræ elegantiæ, gemmas, quæ ex conchis propter Horazdegovicium in amnis Vatavæ profluento collectis eximuntur; habet ſcintillatione flammam imitantes carbunculos, *Granatos* dictos, qui exportatæ ex puteis Podſedicianis ac Strzebivlicianis ſaburræ glareæque permiſti, crebris percolationibus, aqua elevantur ac perpurgantur.

Animalia. Non habet autem urſos lupoſve tanta in copia, ac cæteræ regiones, neu ſerpentes ſcorpioneſve multos, nulloſque dracones. Ferarum porro, ut vulpium, cervorum, urorum ſeu bubalorum (quos *Lomi* ſua lingua vocant,) copia aſſiduam venationem præbet. De hac autem fera *Lomi* perhibent, quod in venatione veſicam aqua calidiſſima, dum canes inſequentes fugit, impleat, eoſque hac, dum poteſtas datur, inſpergat, qua quicquid tactum fuerit, aduritur, non ſecus ac ſi ferventi aquæ fuiſſet immerſum, ut & pilos & cutem abſumat.

Flumina. Fluviorum præcipuus eſt *Albis*, ſuis *Labe* dictus, qui (ut Xiphilini verbis utar) ῥεῖ ἐκ τῶν Ουανδαλικῶν ὀρῶν; hoc eſt, ex præruptis montibus in Sileſiæ confinio, quos *Krkonoſſe* vulgus, **das Rieſengebirg** Germani, Latini *Giganteos* appellant. Modico primum fonte erumpens, mox aliis decem fontibus in eundem alveum confluentibus (unde Germanis **Elb** / vel **Elf** / id eſt, undecim) verſus meridiem vadit, ubi abſorptis Vpa, Metuge & Wortice; ad Aquilonem vertit curſum: inde Cydlinam, Mrlinam, *Gizeram* excipiens, Vultavæ ſeu Multaviæ occurrit, quo ſibi conjuncto Oegram alioſque imbibens, per ſaxis rupibuſque horridas valles in Miſniam eluctatur. *Vultava* ſeu *Multavia*, proxima Albi quoad magnitudinem & dignitatem, ex Lunæ Sylva Paſſavio finitima ebulliens, & recepto Malcza, ſeu Malice Budiejovicium prætérlapſus, & pluribus amnibus auctus tandem Pragam caput gentis curſu ſuo diſſecat, & ſuper Mielnicum in Albim exoneratur. *Egra*, *Saſſana* & *Miſa* fluvii, aliique complures amnes totam ubique regionem irrigant. Thermas valetudinarias quamplures, ut & acidos fontes temperando æſtivo calori affatim natura loci ſuppeditat. Piſcinas lacuum magnitudine piſcibus refertiſſimas plurimas invenias, cum ſtagna fere nulla, vel certe nullius nominis ſint.

Mores. Notant in hac gente Authores plura vitia, quam virtutes: Sunt enim incolæ verſatilis ingenii & inconſtantis, glorioſi, inediæ, ſitis, ſudoriſque ac ſqualoris caſtrenſis impatientes, truculenti & rapaces, belli quam pacis avidiores, inquieti, ſeditioſi, novitatis in veſtibus maxime appetentes, & exterarum nationum ſimiæ. Hinc illi verſus: *Eoſdem habet cum Simia*
Mores ferox Bojemia:


BOHEMIA
Miliaria Germanica communia
1 2 3 4
NOTARUM EXPLICATIO
Civitas Regia libera
Oppidum Regis Bohemiæ
Oppida Baronum et Nob.
Pagus
Arx
Castellum
Monasterium
Oppidum cum Arce
Pagus cum Arce
Fodinæ auri argenti stanni ferri
Thermæ
Officina Vitriaria
Nomina quæ habent triangulum in fine sunt Bohemica
SEPTENTRIO
MERIDIES
ORIENS
OCCIDENS
MISNIÆ PARS
SILESIÆ PARS
COMITATUS GLACENSIS
MONTES GIGANTIUM
NATUS BAVARIÆ
Praga
Leithomerit
Rakoniker kraiß
Czaslawer kraiß
Sternberg
Neustat
Litta
Krulich
Kaldestein
Frijberg
Neuburg
Schwartz
Waldmunchen
Kaltzbach

4.

Quæ facta viderit, facit,
Cultusque priscos abjicit.

Sunt enim domi nascentium fastidiosi contemptores, & peregrinarum tantummodo rerum æstimatores. Fortunæ cum adversæ tum secundæ habere socios quamplurimos gestiunt; Disciplinæ severioris impatientes; dum hilari sunt, tractabiles; dum mœrent, stomachantes; indignabundi cum esuriunt; non tam ingenio judicioque quam industria destituti; in inimicitiis deponendis & suscipiendis tardi, bello primum quasi indociles, ubi tamen illi assueverunt, perquam habiles & impavidi. Sunt tamen magnanimi, hospitales, fortes, &, ut Poëta quidam canit,

Servant sua pacta Bohemi.

Divisio. Veterum in plurimas partes Bohemiæ distinctionem relinquentes, videbimus ut hodiernis temporibus unaquæque ejus provincia discreta sit. Carolus IV, ejus nominis Imperator, diviserat eam in quindecim provincias seu Districtus, ut nunc vocant; hæc publicè approbata hucusque obtinet. Sunt autem,

1 *Pragensis*	9 *Prachensis*
2 *Kaurzimensis*	10 *Piltznensis*
3 *Hradecensis*	11 *Racounicensis*
4 *Chrudimensis*	12 *Slanensis*
5 *Czaslaviensis*	13 *Zatecensis.*
6 *Bechynensis*	14 *Litomierzicensis, &*
7 *Vultaviensis*	15 *Boleslaviensis.*
8 *Podbrdcensis*	

His nihilominus superadditi ante Caroli ætatem fuerunt, peculiaribus viventes institutis, ab ortu *Comitatus Glacensis*, ab occasu *Territorium Hebanum* seu *Oegranum* & *Loctense*, seu *Cubitanum*.

Districtus Pragensis. Praga. Ex Pragensi districtu sola nobis Praga memorabitur, quæ, Vrbium clarissima, est regni caput, in ipso veluti umbilico posita, sedes & patria multorum Regum, Ducum & Imperatorum. Condita fertur à Libussa celebri tunc temporis mantissa & Bohemiæ regina. Tanta est amplitudine, ut in tres civitates distinguatur, nominibus discretas, vocant enim *Veterem*, *Novam* & *Parvam*, quarum illæ duæ sitæ sunt ad dexteram, hæc ad lævam amnis ripam. Pragam Veterem cum parva jungit pons quadrato saxo exstructus, inque sedecim arcus porrectus, habens utrimque in aditu insignes turres. Vetus in valle sita est. Nova à Veteri olim distincta fuit fossa & muris: postea muris partim collapsis vetustate, partim dirutis, fossaque oppleta, cessit ager in hortos & arva. Varios casus experta est. Anno 930 circumsedit eam Henricus Auceps, & in illas angustias adegit, ut Dux Cæsari se dedere, ac tributum pendere coactus sit. Iterum capta est à Ioanne Lucelburgio anno 1316. Sed in extremas angustias redacta est bello Hussitico, quo præter alia immanis crudelitatis exempla, factiosi Curiam irrumpentes, Senatores septem primarios de fenestris præcipites in confertam multitudinem projecerunt, quos illa hastis exceptos misere interemit. Ea res ita Wenceslai regis animum consternavit, ut apoplexia correptus sit, ac non multo post extremum diem clauserit. Wenceslao successurus Sigismundus Pragam obsedit: qui, cum ipsi cives repugnarent, occupata arce, ab Archiepiscopo coronam regni accepit anno 1420, abiitque in Hungariam: unde post tumultum Ziscæ pacatis rebus regressus est, ut narrat Æneas Sylvius. Cæterum sub Carolo V, quum is adversus Iohannem Fredericum Saxoniæ Ducem proscriptum arma sumsisset, Pragenses à Rege suo Ferdinando abalienati, de Caspare Pflugio in regem adsciscendo consilia agitaverunt, missisque ad Saxonem legatis auxilia ipsi adversus hostes suos polliciti sunt. Victo Saxone persliterunt Bohemi in suo adversus Ferdinandum odio. At is auxiliis fratris adjutus, ex arce, quæ semper in fide manserat, directis in subjectam urbem tormentis, facile ad deditionem cives coëgit. Ex eo sub Maximiliano, Rudolpho, Matthia Imperatoribus tranquilla civitas opibus ac potentia floruit, usque dum defuncto Matthia, ob electum & coronatum Bohæmiæ regem Fredericum Comitem Palatinum, grave bellum inter Ferdinandum Austriacum & Bohæmos exarsit, in quo suppetias Austriacis ferente Saxone & Bavaro, admotoque ad urbem exercitu, post cæsas Palatini copias, capta fuit urbs deditione subita, fugato Palatino, imperium delatum Ferdinando Imperatori. Temporibus vero belli Suecici à Saxone primum capta, dein à Wallenstenio recuperata est. Postea Coningsmarkius Novam urbem, & in ea palatium per proditionem intercepit, diripuit, & misere destruxit.

Districtus Kaurzimensis. Pragâ ad ortum tendentibus primus se offert districtus Curimensis, vel potius Cauzimarus, ab omnium hujus regionis vetustissima urbe Caurzima sic cognominatus. A vulgo vocatur Kaurzimsko. Limes ejus ab occidente est Vultava, & ab eo cognominatus districtus; à Septentrione Albis, ab Oriente districtus Czaslaviensis; ab Austro districtus Bechynensis. Sunt in eo liberæ regni urbes Caurzima, Colina, & Broda cognomento Bojemica. Oppida quæ cum omni vicino agro in Regis patrimonio censentur, sunt, Gilovia cum aurifodinis, Brandeisum sive Brundusium, cum arce Albi imminente, Costelecium ad Albim, loco à natura communito, Schelacovicæ, Sadscaque. Nobilitatis autem ditione continentur cum agro suo, Libna, Neczanum, Chwaterubæ, Clorinum, Przerovum, Cluczorum, Caunicæ, Cerhenicæ, Zasnuky, Colodegæ, Aurxinovesium, Ratagæ, Sternberga, Costelecium in edito colle supra silvam quæ Nigra vocatur, Pyseli, Hradecum seu castellum ad Sazavam, Lissno, arces partim solæ, partim cum oppidis, & Domassinum Benessovumque oppida: Cœnobium hic unum est, Abbatia clarum, monachorum ordinis Benedictini, quod ad D. Procopii supra Sazavam vulgo vocatur, Brzetislai II Ducis opus: Sacra in eo, inde à principio, Slavica, non Latina, vel nulla peregrina lingua peragi erant solita. Tractus hic silvis abundat, ex quibus recisæ arbores Scaindo, Sazara Vultavaq; Pragam, & ultra in cæteram Vultavæ Albique adjacentem viciniam subvehuntur. Est hic silva per quam Praga Brodam euntibus iter habere est necessum, & quæ Fridolet vocatur, latrociniis eo usque infamis, ut cum locum furibus obnoxium notare volunt Bohemi proverbio, *Gest tuco na Fidrolcy*, dicere soleant.

Caput

Caput hujus circuli urbs Kauzima est, antiquissima totius Bohemiæ, quinque mill. Praga distans, inter Brodam Bohemiæ & Ianowitz; à Lecho Chechi structam esse ferunt, & à voce kaurziti, Latinis fumare, nomen accepisse.

Intra duos à Cuurzina lapides abest urbs Colina, quæ à quibusdam Colonia Bohemica dicitur. Ædificarunt eam veteres ad sinistram Albi latus, nomenque ei à sudibus, quæ Koli vocantur, indidisse videntur. Propterea autem quod à magna Iudæorum multitudine habitaretur Colina urbs, à plerisque per ludibrium Iudæorum nidus appellatur.

Ab hac occasum versus tertio, à Praga vero quarto lapide diremta, subortoque anno 1627 per imprudentiam incendio, flammis tota cum tribus templi turribus, cumque Curia prorsus absumpta stat in plano Broda cognomento Bohemica. Cinxit eam muro Ernestus Archiepiscopus primus; cæteris urbibus regiis, diplomate singulari eam in rem dato, accensuit Rex & Imperator Sigismundus, Anno 1437.

Districtus Hradecensis. Digressi ex Caurzimensi districtu ad Ortum hybernum, venjamus in peramplam situque admodum amœnam provinciam seu districtum Hradecensem, qui vulgo Hradecsko & Koninggræcensis, ab primaria similiter istic urbe Hradecio Regina cogno mentum est sortitus. Circumscribitur autem is ab Occidente districtu Boleslaviensi, ab Aquilone montibus Krkonossis & silvis ad Silesiam pertingentibus, ab Ortu Comitatu Cladscano Moraviæque plaga Septentrionali, ab Austro denique districtu Chrudimensi. Sitæ in eo sunt liberæ urbes, Hradecium, Iaromierza, Bydzovum, Trontnovum ad Vpam, & Dwurum seu Curia, quæ Reginarum Bojemiæ sunt dotales. De Regis patrimonio sunt Podiebradæ arx & oppidum cum omni suo agro, vivario, multa silva ac piscinis. Has inter maxima per integrum ferè milliare quaquaversum diffunditur, & Blato dicitur, Albis oppidum id à parte occidua alluit. In Nobilitatis bonis censentur cis Cydlinum Dymocuræ, Copydlenum, Velissus, Chlumecium; ultra Cydlinam vero Gitmiczinum, quod à Fridlandiæ Duce dilatatum & mirifice exornatum, Cumburgum, Cylomnice, Schatsierzum, Adrspachum, Peczka, Costa, Smirzicæ, Nachodum, Novo Hradisstium, Opocznum, Boruhradeca, arces, partim solæ, partim cum oppidis: Oppida denique, Tyncium, Zizelicium, Bodaneczium, Horzicæ, Wrchlabium à vicinis Albis scatebris vocatum, Hostinnæum, Police, Dobrusca, Trzebochovicium, Solnice, Rychnovum, Costelcium, & Vsta seu Ostia, sub Aquilæ fonte, & si qua sunt alia.

Opulenta hic quoque est Abbatia & Cœnobium monachorum ordinis S. Benedictini ab Abbate Brzcvnoviensi Paulo Bavaro ad limitem Silesicum, Iohannis regis ævo fundatum, & Volframi cujusdam nobilis patrimonio dotatum, cui Braumovio est nomen.

Hradecium Vrbs in hoc districtu primaria ad Albis & Vorlices, Aquilæ Latine, confluentem loco editiore ac perquam amœno, à Dobroslao illustri quodam Dynasta condita esse perhibetur anno 782. Vrbs est satis elegans ac populosa, à Praga & Cutna Pilsnaque dignitate proxima. Nomen traxit à muniendo, quod Bohemi, nostri Hraditi dicunt. Vocatur vero Hradecium Reginæ, tum quia Reginarum Bojemiæ est dotalis, tum ut ab alio Hradecio, quod Henrici vocamus, discernatur. Destinata ac in usumfructum olim fuit data, anno 1055 à Brzetislao I, filiorum natu minimo Iaromiro, jam tum Episcopo Pragensi à Duce patre designato, à Vladislao vero I Duce, Sobieslao fratri, anno 1115. Sed posteriore tempore Reginio Bojemiæ dotis titulo attributa, nunquam inter urbes dotales connumerari, ac primaria esse desiit. Arx in ea fuit latere cocto non ineleganter ædificata, quam incendio aliquanto prius deformatam, oppidani ipsi tumultu excitato, diruerunt, ita ut ad hoc usque tempus nitori pristino nequeat restitui; & nisi Iudicum singulari tribunali, de quo suo loco erit dicendum, nobilitaretur, jam dudum vastata desertaque in ruderibus jaceret. Schola in hac semper frequens fuit, liberaliumque artium studiis celebris, templa similiter multa inprimisque primarium, quod Spiritui S. consecratum, & Archidecanatu insigne est. Inter alia commendantur à bonitate pressi in hac vicinia versicolores caseoli. Sunt præterea, Iaromierza in loco ubi Alpis Vpam haurit, sive à Iaromiro Principe, sive ab eo quod Xaromierziti (ver metiri) dicimus; Bydzovum similiter à Bydo conditore; Trutnovum vel potius Trudnovum, ab eo quod trudno ægrimoniam vel τὸ μοχθηρὸν notat; Dwurum denique, hoc est curia, à conventibus quos Reginæ olim istic cum suis agitare consueverunt, cognominatæ regni urbes liberæ. Distant illæ à Hradecio, Iarzomierza secundo, Bydzovurum, ut & Dwurum tertio; Trudnovum fere sexto lapide, seu milliari.

Districtus Chrudimensis. Sequitur districtus Chrudimensis, quem Hradecensis provincia à Borea attingit, quique Orientali ac australi suo limite Moraviam respicit; Occidentali vero districtum Czaslaviensem. vulgo Chrudimsko dicitur à Chrudima urbe. Sunt in eo liberæ eædemque Bojemiæ reginarum dotales urbes, Chrudima, Paumbergæ vitiferis collibus decora, Altamyta, & Policzka.

In patrimonio Regis hic sunt, situm in monte, subjectamque quaquaversum planitiem ex alto despectans propugnaculum Kuneticska hora sive Cunaci-Mons, itemque Pardubiciæ arx ad Albim cum splendido egregieque munito oppido, ita ut Bohemis in proverbio sit: *Splendet instar Pardubicii.* Ditio est cum ob saltuum venatu aucupioque, tum ob piscinarum, quæ quadringenta præter propter numerantur, piscationi opulentæ juxta & voluptuosæ, accommodatissimarum, Rege haudquaquam indigna. Regiæ etiam huic ditioni paret Przelauczium oppidum ad Albim. A nobilitate tenentur arces Miestecium-Hermanni, Chrastum, Cholticium, Chraustovicium, Cossumberga, Rychumburga, Chocena, Brandeisum ad Vorlicem, Novo-Hradæ, Cruceburga, Raubovicæ, Bystrus, Ziumberga, Rosycæ, Worle, Aurzeczicæ, Svogesticæ, Morassicæ, Dobrzicovum, Zamrscus, Auhersèum, Geleninum, Przebora, Landescorona, & quæ Episcopatu quondam fuit celebris, civitas etiamnum arxque non obscura Lito-

Litomysſlæa. Vitri officinæ hic quoque ſunt ad Heralecium & Wrziſtum. Tractus præterea hic, ut & Hradecenſis totus, equorum fœtura cæteris anteit.

Diſtrictus Czaſlavienſis. Ad occaſum attingit Chrudimenſem hanc provinciam diſtrictus Czaſlavienſis, cujus fines obvertuntur à Septentrione diſtrictui Hradecenſi, ab Auſtro Bechynenſi ac Moraviæ parti, ab occaſu provinciæ Caurzimenſi. Bojemica lingua Czaſlawsko vocatur ab urbe Czaſlavia. Regias hic & liberas urbes habemus Cutnam ſive montes Cutnæos & Czaſlaviam.

Cutna eſt urbs metallica, in qua ex repertis, Wenceſlai II Regis ævo, fodinis, argentum, cuprumque præſtantiſſimum permultis jam hominum ætatibus, ad hæc uſque tempora magna copia eruitur, ita ut montis iſtius tricollis viſcera, nunquam intermiſſis foſſorum operis, noctes atque dies urgeantur. Vrbs Cutna eſt ab oneribus publicis immunis, & jam inde ab Iohannis regis temporibus anno 1338, percuſſo arctiori, ac ei quod Rhodios inter & Athenienſes, olim viguit ſimili quodam fœdere, cum majori Praga in unam quaſi civitatem coiit, ut nempe qui civis eſſet Pragenſis, idem jus haberet civitatis Cutnenſis, & qui eſſet civis Cutnenſis, gauderet etiam jure & civitate Pragenſi. Emendis vendendis hæreditariis ſeu allodialibus in regno fundis, poſſeſſionibus, ac ſolo cohærentibus id genus bonis, parem cum nobilitate impetravit anno 1501 à Vladiſlao, & anno 1541 Ferdinando I. Regibus libertatem, nec urbium cæterarum more de tabulis regni inſerendo contractu, Regis aſſenſum ſpecialem, aut qui de eo referant, Internuntios ex Nobilitate procurare habet neceſſe. Mercatores Cutnenſes à vectigali Francofurti ad Mœnum ſolvendo, prorſus immunes eſſe juſſit anno 1359 Imp. Cæſ. Carolus IV. dato ad Aquas Granenſes diplomate, pari jure ut Pragenſes, Wratiſlavienſes, & Sultsbachienſes. Vno ab ea, ſed prægrandi, lapide diſtat Czaſlavia, urbs amœna planoque loco à Raſlavo conditore, viro quodam opulento, magnæque apud Wnyſlaum principem authoritatis, cognomentu ſortita, anno 796. Vt autem principio adverſus inopinatas Moravorum irruptiones fuit ædificata, ita poſterioribus temporibus, quoties ex ea plaga furor militaris ſæviit, prima fere ſemper infeſta vidit hoſtis ſigna.

Quinto ab urbe hac lapide ad Auſtrum euntibus occurrit non ignobile oppidum Brodu Teutonice dictum, à prædonibus Germanis ad ſiniſtram Sazavæ amnis ripam, loco edito anno 793 olim fundatum, paulatimque amplificatum. Id neque libera urbs eſt, nec in Regis, nec in ullius ex Nobilitate patrimonio. Et quamvis anguſtis in rebus, ſicut quondam ex Maximiliani Regis liberalitate ad Comitum Turrenſium; ita poſtea ex contractu recentiore anno 1561, ad Trczkææ ſtirpis Baronum patrocinium confugere, illiuſque eo nomine temporarium, ſive honorarium quoddam pecuniæ vectigal, quaſi ex tutelari jure pendere ſingulis annis ſoleat; ſui nihilominus eſt juris, & multis gaudet immunitatibus. In Regis patrimonio nihil his locis præter argentifodinas jam dictas fuit, priuſquam ditio Moleſſoviana ab Rudolpho Rege eſſet comparata, Anno 1586. Sub nobilitate ſunt Novo-Dwory, Zeluſſicæ, Ronovum, Lichtemberga ſeu Lichnicium, Krchlebæ, Czéſtrinum, Zbraſtavicæ, Wylimovum, Genicorum, Crzivuſoudorum, Lipxicum, Humpolecium, Polna, arces cum agris, quædam etiam cum oppidis ſuis, Malinum foſſorum Cutnenſium petulantia olim vaſtatum, Ledecium, Habrum, Chotieborzum, Przibiſtarum oppida. Eſt præterea in hoc diſtrictu ordinis Ciſtercienſis monachorum cœnobium, qui ſub Abbate vivunt. Conditum & Sedlicenſe, ex Ephippio cognominatum id eſſe perhibetur ab Epiſcopo Pragenſi Daniele, ſtirpe Barone de Lippa, anno 1149. Et quia Cutnæ urbi nimis eſt vicinum, perſæpe cum ea de finibus ac juriſdictione ſolent contendere.

Diſtrictus Bechynenſis. Diſtrictum Czaſlavienſem excipit Bechynenſis, inſignis ſane terræ tractus, à Bechyna propugnaculo, nomen adeptus, qui ab ortu æſtivo diſtrictum Czaſlavienſem, ab hyberno Moravos, à meridie Auſtriam, ab occaſu diſtrictum Pragenſem, à Borea partim Vultavienſem, partim Caurzimenſem attingit: Lingua Bohemica Bechynsko vocamus. Vrbes in eo liberæ ſunt, Budiegovicium, Taborum, Peldtzimorum, Tyna ad Muldam.

Budiegovicium, vel potius Budiegovicæ, quam Germani corrupte *Budweis* vocant, eſt urbs non ſolum ſplendida, ſed & probe communita, ad dextram Vultavæ amnis, loco oportuno ædificata. Eſt vero non admodum vetus, ut quæ demum poſt Przemyſli Othcari II, Regis tempora, propter cœnobium, quod eo loco à S. Dominico cognominatis ſodalibus, idem Rex erexit, conſtrui cœpit; neque dum trecentos quinquaginta annos ſtetit. Magnis donata eſt privilegiis, & inter alia habet jus ſtapulæ, quo ſalis ex Auſtria Bavariaque vectores in ipſorum civitatem divertere, ſalque vænum proponere tenentur, & non niſi depenſo prius certo vectigali ultra progredi permittuntur.

Taborum, ſive, ut cives ejus ſcriptitant Hradiſtie Hory Tabor, hoc eſt, Caſtrum montis Tabor, ab Huſſi diſcipulis, quinto poſt ſupplicium Doctoris ſui anno, fundatum, cum ii primo, in abditis ſilvarum montiumque receſſibus, exædificatis ligneis ædiculis, agitarent. Tabor Bohemis eſt id quod Latinis caſtra, Taborzi idem, quod homines caſtrenſes. Vrbem hanc libertate donavit, poſt res ſuas in regno confirmatas Imp. Sigiſmundus, privilegiiſque abundè exornavit, & inter urbes Regias connumerari juſſit. A cujus morte cum Albertum generum regem ea habere anno 1438 recuſaret, & proceres regni, qui Caſimiro Polono regni coronam imponere contendebant, inter muros cum Polonis præſidioque cætero accepiſſet, gravem ab eodem Alberto, ejuſque aſſectatoribus obſidionem, per dies fere quadraginta perpeſſa, fortiter ſuſtinuit, ac tricies mille bellatorum aſſultus fruſtraneos fecit, nec arma priuſquam Albertus in vivis eſſe deſiiſſet, depoſuit. Rudolphi II, Regis anno ultimo, à Paſſavicis, ut vocabantur, militibus, ſtratagemate occupata anno Chriſti 1611, grandi in periculo fuit. Nuper anno 1621, ſimiliter

liter cum datam Frederico Palatino fidem,contra Ferdin. II, Imp. pertinaciter obſervaret, ab ejus copiis duce Balthaſare de Charradas eſt cincta, quarum impreſſiones à 21 Maij, uſque ad 8 Novembris viriliter retudit, & non niſi neceſſariorum penuria ad deditionem compelli potuit. Imminet ipſi Pintorca ſaltus haud inamœnus, itemque piſcina ingens Iordanis cognominata, quæ vaſto permagnæque altitudinis ac craſſitiei aggere coercetur: quem ſi quando diruperit, inundatione vulgo creditur Pragæ Veteri aliiſque, ad Vultavam & Albim depreſſionibus locos, prægrande damnum allaturum. Luznice flexuoſus & aurifer amnis, ab occidua, alius vero quidam, ex ſupra memorata piſcina, ignoto nomine evolutus, ab Auſtrali eum parte lambit. Peldrzimorum ſive Pelhtziniorum, urbs eſt opibus cum quavis urbe regia comparanda, ſed quia à literarum liberalium ſtudiis hactenus fere abhorruit, eapropter nec de ejus origine, nec de ullis rebus memorabilibus, quicquam potuimus obſervare. Archiepiſcopos Pragenſes, dominos quondam agnoſcebat. Nomen accepit ab Epiſcopo Peregrino, quem Bojemum vulgus Pelhrzmi vocabat. Reliqua inter Regias urbes hic eſt Tyna, urbecula necdum ex veteribus favillis, ut oportuit recreata, nec ita pridem inter Vrbes regias cooptata; Vocatur autem Tyna, à voce tyniti, quod eſt ſepire, quaſi ſepimentum, vel ſeptum, dicas, & Tyna ad Muldam ſeu Vultavam, ut ne cum Tyna Horſſi confundatur. Vultava abundat hoc loco ſalmone piſce nobili, qui opulentioribus ſolet in deliciis eſſe. Fiſci bona ſeu regum patrimonialia, ſunt Budiegovicio vicinæ argentifodinæ Rudolphſtadianæ. Quæ vero procerum nobilitatiſque ditioni ſubſunt arces,oppida, vici & permulti ſunt & nitidi, & complures bene muniti. In his principes ſunt Henrici-Hradecium, Trzebona, Bechynia, arces cum oppidis adverſus vim hoſtilem non vulgariter munitæ.

Henrici-Hradecium, alias Nova-Domus, ſeu caſtellum, mea opinione, ab Henrico quodam gente Vitcoveri cognomentum traxit. Ad noſtram enim uſque ætatem hanc, gentis ejus proceres qui Roſam auream pro inſigni gerebant, & de nova-domo vocabantur, dominos ea agnoſcebat. Eſt urbs ſatis ampla, ſplendideque ædificata, & digna quæ libertatem pleniorem, locumque inter urbes regias aliquando inveniat. Erexit in ea Patribus Societatis Ieſu, collegium luculentum loci dominus Adamus de Nova-Domo, Baro inclytæ ejus ſtirpis penultimus.

Trzebona propugnaculum eſt perquam validum, in planitie inter paludes ſitum, Petri Woci, ex inclita pervetuſtaque procerum Roſenſium ſtirpe ultimi, induſtria ac magnificentia, cum aliis decoribus, tum imprimis bibliotheca ac armamentario exornatum. Nominis ejus origo videtur eſſe ſumpta ex voce Trzeba, quod Latini dicunt voce aptata opus, quaſi quis dicat loco iſtoc ſibi fore opus. Germani *Wittigenaw* vocant. Pro porta ejus reſtagnat Swiet (quod eſt ſi interpreteris, mundus) prægrandis piſcina, in qua ædicula ſtat pervetus, D. Ægidio conſecrata.

Bechynia ſimiliter eſt arx egregia, loco opportuno & à natura munito, à primis Regni incolis Bojemis, in ardua rupe ædificata, cui oppidum ſubjacet jam olim in hoc tractu non ignobile. Minoris vero notæ, pleræque tamen non incelebres nobilitatis arces,caſtellaque, partim ſola, partim cum oppidis hic ſunt: Sobeſlavia, Neuſteipovia, Horzepnicum, Lautcovia, Zelivum, Paczovia, Giſtebricium, Chauſtnice, Nova-Byſt-Zicia, Liſſovia, Landtſteina, Novo-Hradium, Roſenberga, Rzeczice, tum qua Rubra, tum qua Cardaſſii vocatur, Cercquicie, altera nova, altera (ut & Camenicia) Leſcovecii cognominata, Prezatſcy, Czernovicium, Weſſelium, Lomnicia, Svinæ, Beneſſovia cum Officinis vitriariis, Caplice, & quædam alia. Cœnobia monachorum tria in hoc tractu ſunt, Vadum altum, Ordini Ciſtercienſi à Zaviſſio Roſenbergio dynaſta erectum, ejuſque familiæ monumentis inſigne: Bechynenſe pro Franciſcanis à Zdiſlao Sternbergio fundatum, & Mileuſcanum, monachis, qui Præmonſtratenſes vocantur, à Babona quodam Comite exſtructum. Totus autem hic diſtrictus bello paullo ante Matthiæ regis obitum accenſo Anno 1618, ferro ignique miſere fuit vaſtatus, incolæ pars trucidati, pars diſſipati, ita ut ad hoc uſque tempus multa calamitatis iſtius veſtigia in oculos incurrant.

Diſtrictus Vultavienſis.

Bechynenſi diſtrictui ſeu provinciæ adhæret tractus omnium minimus, qui à Vultavo fluvio, Vultavienſis cognominatur. Vulgus Wltawsko vocat. Eſt autem is figura oblonga,ad Septentriones quaſi faſtigiata, cui ab Ortu & Borea, adjacet diſtrictus Caurzimanus,à meridie triangulata quædam diſtrictus Bechynenſis portio, ab occaſu partim Prachenſis, partim Podbrdſcenſis Provincia. Nullæ in eo ſunt urbes liberæ, nullum regis vel fiſci patrimonium, nullum Cœnobium. Sedlczanæ,ſive ut quidam ſcribunt, Sedeſſa, habentur hic pro oppido primario, quod tamen nobilitatis ditione tenetur, ut & Conopiſtæ, Tloſcovium, Oſecznum, Merulæ mons, Obdennicium, caſtella & arces,itemque Novoclovum, quod proverbio apud Bohemos fecit locum, ut cum ingratiis quid agere aliquando volunt ſignificare, ſoleant dicere, *Nechoeſe czortu do Neweklowa*, quod fere eſt, averſatur Diabolus Neveclovum.

Diſtrictus Podbrſcenſis.

Ex hoc diſtrictu in alium haud paulo ampliorem tranſitur, qui Podbrſcenſis nuncupatur, à licio forte, quod Brdo appellant, quaſi ſublicianum dicas. Vulgo Podbrdsko ſolet nominari. Fines ejus attingunt ab Ortu æſtivo Caurzimenſem, ab hyberno Vultavienſem, à Meridie Prachenſem, ab Occaſu Pilznenſem, à Septentrione partim Racounicenſem, partim vero Slanenſem diſtrictum. Regia ſeu libera urbs in eo eſt unica Beraura, ad dextrum Miſæ amnis latus exſtructa, quæ quia in eam perſæpe Vulcanus deſæviit, non admodum ſplendide reædificari potuit, ſed nec prorſus eſt invenuſta: Tertio à Praga abeſt lapide. Teritur ejus via aſſidue à viatoribus in Imperii Germanici regiones, ex Vngaria, Polonia, Sileſia ac Moravia, per Bojemiæ Regnum iter facientibus. Quoties hoſtis aliquis

aliquis à meridie vel occasu Pragam armis tentavit, nunquam periculo urbs hæc caruit. Sic memoria nostra Passavicus miles eam An. 1611 expilavit, sic Ferdinandicus nunc nuper An. 1620. & 1632, acerbe vexavit. Vno ab ea lapide abest clarissima à conditore Cæsare Carolo Anno 1348 Carolosteina cognominata, & superiore seculo inexpugnabilis judicata; nostra vero hac sagacissimæ solertiæ ætate ob circumstantes montes, bello parum utilis æstimata arx & propugnaculum: servabantur in ea hactenus singulari ac accurata diligentia Regni corona, privilegia, & κειμήλια quæque Reip. præstantissima. Ager vicinus cum castellis aliquot pagisque & villis circumjacentibus, est in ejus ditione, cujus incolæ singularibus gaudent immunitatibus, quorum munus est custodiis perpetuis, pro arce excubare. Redituum ordinariorum, luculentorum sane, Burggravius est usufructuarius. Agnoscit quoque arcis hujus dominium pervetustum, & cum aliarum provinciæ principum sede, tum imprimis Lidmiliæ martyrio olim illustre castellum ac oppidum Tetinum, à Tetka Libussæ sorore & conditum & denominatum, in cujus aqua præterfluente statimque in Misam illabente, auri ramenta reperiri consuerunt. Regis ac fisci patrimonium peramplum hic est eximium; Cors regia Tocznicum, Zebracum cum oppido; Zbirolium, Dobrzissium, cum villis, silvis, agroque omni, & Cninensibus aurifodinis: sunt Cœnobia, Zbraslarianum (Latinis Aula Regia) Cistercienſibus monachis anno 1297, à Venceslao Rege II, ad Vultavæ Misæque confluentem amœnissimo loco exstructum: S. Iueni seu Iohannis in petra vel spelunca, à Borzivogio I, Duce Anno 909 conditum, & aliquanto post monachis, sub Abbate, Benedicti regulam observantibus traditum, quod, ad sepulchrum S Ivani eremitæ, peregrinatione anniversaria 9 & 8. Calend. Iunias, à maxima hominum multitudine, religionis ergo solet frequentari. S. Dobrotivæ, hoc est, Benignæ, monachis Augustinianis ab Vlrico Hasenburgio Anno 1262, ædificatum. In Nobilitatis fundo bonisque, sunt Horzovicium, Lochoviciumque arces cum oppidis Nyzburgum, Comaroriumque castella cum ferri fodinis, Mnissecum & Myta oppidula, & quæ dam notæ obscurioris alia.

Districtus Prachensis.

Districtus Prachensis à vetusta, & jam in ruderibus jacente arce Prachno, nuncupatus, confines habet ab Ortu Vultaviensem & Bechnensem districtus, ab Austro Austriam Superiorem, ab occasu diœcesin Passaviensem & Provinciam Pilznensem, ab Aquilone districtum Podbrdscensem: Peramplus quoque hic terræ tractus est, & nisi bello miserabiliter fuisset vastatus, cum populosus, tum opulentus. Vulgus Prachensko appellat. Liberæ hic ac Regiæ urbes sunt Piseca, Suffice, Vodnana & Prachaticium. Piseca est urbs in dextro Vatavæ amnis latere infra Blanices confluentem, à primis auriferorum ramentorum seu arenæ istis in locis in Vatavæ amne repertoribus, condita, & Pisce quod arenam sonat vocata. Ii namque cum experimento didicissent magnum se, si eluendo è glarea auro invigilarint, operæ pretium facturos, conjunctis studiis Vrbi isti principia dederunt, quæ pedetentim est aucta, & munita, & populi multitudine impleta fuit. Excoluerunt ejus pomœria & agrum posteri, ita ut, & domi necessaria affatim, & foris congruam ordini suo authoritatem haberet.

Suffice sive Suticium, Vrbs hujus tractus secunda, ex vico quodam parvulo ab auri ex glarea purgatoribus, qui ab hominum vulgo Ryzovonicy vocantur, jam olim urbis celebritatem accepit. Cum enim ii, divitem auri ramentorum copiam, inde ab ipsis, Vatavæ vicini amnis, scatebris, in aquis volutari animadvertissent, laribus figendis locum hunc, jam ante nonnullis ab hominibus habitatum, accomodum esse judicarunt. Metallicas igitur operas suas in amne, fabriles vero in sicco, ea industria urserunt, ut brevi & res eorum familiaris, & Vrbis inchoatæ, incrementa haudquaquam contemnenda sumpserit. Probavit hæc studia Renata Princeps, surgentemque metallicam hanc urbem, libertate cum aliis pari gaudere voluit. Nomen ei ex voce Bohemica Sussiti, hoc est à siccando, est datum, quasi siccatorium dicas. Ramenta enim ista recens ex aquis educta, crebrisque ablutionibus madentia, ad solem siccare hic oportuit. Sexto ab ea lapide dirimitur, contraria ex caussa nomen sortita, Vrbs libera Wodn' any, locum in quo aqua redundat, usitate notat. Ideoque Wodnary, Latine loquentibus non inepte fortasse possent Aquilegia dici. Germani corruptè ut pleraque omnia, Budnam vocant. Vrbs est ad Blanicen amnem, mediocriter munita, pervetus illa quoque, sed cujus conditæ, nec tempus, nec authores à quoquam hactenus sunt proditi. Verisimile tamen & ex nominis notatione probabile est, eodem, quo Sufficem ævo exstructam fuisse. Pruclaticium locum & nomen interurbes regias nuper sortita, urbs limiti Bavarico vicina.

Imminet ei mons ex ipso cacumine fontem aquæ dulcis effundens; Libichonius ab incolis vocatur à latere dextro, Blanice amnis à sinistro. In regio patrimonio, procurante Rudolpho rege, esse hic cœpit, Rosebergicæ Domus proceribus, longa prius serie possessa, perampla ac perquam locuples ditio Crumloviana, in cujus territorio visitur, re pariter & nomine oblectabile viridarium, ac spatiosa tempe, à Wilhelmo ejus nominis ultimo dynasta Rosensi, figura quadrilatera ædificata, toparioque splendido eleganter exornata, Kratochwil Bojemis dicitur. Est autem Crumlovia arx pariter & oppidum nitidum, probe communitum, in sinistra Vultavæ ripa, opportuno fruticetisque & pratis læto loco constructum: certum est id, ut & permultas in hac ora arces alias, à Vitionis cujusdam inter proceres viri potentis, & multorum filiorum patris posteritate ante annos plus minus sexcentos esse ædificatum, & voce ut ajunt, à saltus curvatura desumpta, vel ab eo quod vulgo Kry id est glaciei tabulas & militi commolere dicimus, quasi Krumlovo nuncupatum. Collegium Iesuitis in eo erexit idem Wilhelmus Rosenbergius. Iter ad hoc oppidum Bavaria, per Lunæ silvam à Passavicis militibus ante prætentatum, & posteritati Bohemicæ forsan periculosum, bello

Bohe-

Bohemico nuper apertum ac via nova appellatum. Ejus beneficio Cæsariani, quasi ex improviso, & Crumloviam occuparunt, & Comitem Mansveldium ad Zublatium oppresserunt, & speratam Bohemis Budieguricii expugnationem eluserunt. Sunt hic non uno loco argentifodinæ, ad montem videlicet Reichensteinianum, Hradecæ, Nalzioviæ, & imprimis Przibramæ.

Vicinum Crumloviæ est monasterium ac abbatia S. Coronæ spineæ, Cisterciensis instituti monachis, ab Ottocaro rege, aliquanto antequam commissa adversus Rudolphum Imperatorem infelici pugna occubuisset, à fundamentis anno 1263 excitatum, & mox à victoribus Cæsarianis flammis absumptum. Est & alterum, à S. Corona sexto lapide diremptum, sive Cœnobium, sive castellum cum oppido Equitum D. Iohannis Melitensium, vestem alba cruce insignem gestantium, Prioratu magno, sive supremo nobile, à pica ave garrula Strakonice cognominatum, cujus Prior supremus, quoties ex indigenis optabatur, inter regni Ordines semper fuit præcipua dignatione.

Nobilitatis opes luculentæ sunt in hac provincia. Arces enim, oppida, castella, prædiaque optima ab ea possidentur, qualia sunt Orticum, Zwicovia, Hluboca, tria ad sinistrum Vultavæ ripam propugnacula, quorum virtus bello nupero præcipuè enituit. Ante Carolosteinam conditam, Zwicoviæ, regni coronam, ceterumque ornatum servari solitum ferunt, in qua Ferdinando Imperatori ad obsequium compellanda, à Læzanscio Tribuno an. 1621 operose ac diu sudatum fuit. Situs ejus est ad Vultavam & Varavam confluentes. His adde Brzeznicen, Lnarzium, Sedlecium, Horazdicgovicium, Strzelam, Rzepinum, Carolibergam, Vimbergam, Helfenburgum, Vitcovum, arces ac castella, quædam sola, quædam cum oppidis vel vicis. Mirovicium, Miroticium, Baltnam, Volinam, Bavorovum, Netolicium, & alia gentium minorum oppida non pauca, quorum origines, & pagorum, collium, nemorum, rivorum cognominationes, etsi magnam partem non sint ignotæ, iis tamen describendis Lectori molesti esse nolumus.

Districtus Pilznensis.

Pilznensis provincia, districtus nobilitatis, populi, rerumque omnium copia præcipuis nihilo inferior, præstantium vero ac scite compactorum caseorum bonitate, cœteris omnibus commendatior est. Vulgus Plzensko, & incolas Plzaky, vocat, à durissima urbe regia quæ à limacibus, eo loco, tum cum urbs anno 775 condi inciperet; maximo numero repertis, Plzen sive Pilsna dicitur. Fines ejus pertingunt versus Ortum ad districtum Podbrdscensem, Prackensemque, versus meridiem ad oram Bavariæ, versus occasum ad Palatinatum superiorem seu Nortgoviam & oram Oegranam, versus Boream vero ad districtum Lucensem, & Racounicensem. Vrbes in eo regiæ sunt Pilsna, ut diximus, Glatovia, Strzibro, seu Miza. Domazlizium, Rokyssana. Pilsna, est urbs celeberrima, tuto à natura loco, inter Mizam, & Bordaucæ aquis auctum Cadburzen amnes, splendide admodum ædificata, & probe communita. Vhlava quartus in hoc tractu amnis, paulo infra eam Mizæ com-

miscetur. In magna Vrbs hæc fuit gratia apud Vencessaum & Iohannem Reges, apud Sigismundum, & Ferdinandum utrumque Cæsares, qui eam & privilegiis & opibus exornarunt. Ziſciano bello, minas insultusque Hussitarum anno 1421, & 1433 bis irrisit & fortiter contempsit. Anno 1618 Ernestus Mansfeldius Ordinum Bohemiæ nomine urbem binis locis adortus, vi cepit, & multis defendentium civium cædibus replevit.

Defensa autem fuit à Mansfeldicis viriliter adversus Cæsarianos, ab eo die Pilsna, etiam post cladem Pragensem, tantisper usque dum anno 1621 in eorum manus deditione venit. Huic urbi natalitia debet Ioannes Dubravius, historiæ patriæ celebris scriptor. Glotovia, vel fortasse melius Clatovia, urbs regia, Zimislao præclaro cuidam dynastæ originem suam fert acceptam, anno 771, ac cum conderetur, nomen à Clautoca Czimistai uxore accepisse fertur; sed demum sub Vldrico Principe anno 1000 vallo murisque est circumdata, ac in ordinem urbium liberarum cooptata. Data olim fuit à Vladislao Principe, anno 1243 paternæ hæreditatis titulo fratri Theobaldo, cum omni terræ tractu, qui inde à fonte Vultavæ, usque ad Myzæ fluvii crepidines protenditur, fuitque in ejus ac Theobaldi filii ditione per annos septem & quadraginta. Theobaldus enim junior, accepto tandem Znoymensi Ducatu in Moravia ab agnato Principe Cunrado, urbis ac tractus hujus dominio renuntiavit. Strzibro, sive Argentina nostra (Strzibro siquidem argentum Latinis significat) ad lævum Mizæ amnis latus sita, conditorem agnoscit Principem Sobeslaum, ejus nominis Primum. Vocata autem urbs hæc est Strzibro, propterea quod in fundamento ubi ædificanda erant ejus mœnia, argenti glebæ fuerunt inventæ, anno 1131. Commode est & ædificata & munita, commendabaturque hactenus non tantum Bohemicorum hominum, sed & Noribergensium mercatorum præconio; coctæ è tritico cerevisiæ bonitate. Bello Hussitico anno 1462 occupavit eam, ex composito, ut tum quidem Pilsnenses querebantur, Przibico Clenovius, nec ea decedere voluit, quam accepta in compensationem ab Imperatore Sigismundo Volina cum omni ejus agro. Arma nuper per eam oram circumferente Bavariæ Duce Maximiliano, in Ferdinandi Cæsaris potestatem 16 Octob. anno 1620 invita venit, & ab eo paulo post Illavio militum tribuno, nobili Marchiaco tradita est. Domazlicæ porro est urbs regia in limite Bavarico, ad inhibenda hostium Bavarorum latrocinia, tempore Boleslai sævi principis condita. Bello Bohemico, Bavarorum hostium impetus, omnium prima urbs hæc sustinuit. Ab eo enim limite, pro Ferdinando Cæsare bellum in Bojemiam gesturus Maximilianus Dux irruptionem anno 1620 Septembri mense fecit, & resistentes per triduum Domazlicenses, agro ipsorum ferro ac igni vastato, quin & castris urbi admotis murisque verberatis, deditionem facere coegit.

Rokytsana denique quinta hujus provinciæ urbs Regia, clivosa fere & silvosa, feraci tamen in regione est sita. Nomen videtur accepisse à vimine, vel vimineto, quod apud nos Rokiti dici-

dicitur. Epiſcopi Pragenſes urbis hujus libertati non raro olim fuerunt graves. Opes urbis ſunt luculentæ. Regius Fiſcus nulla hic habet bona, præterquam, ſi forte uſus poſtulet, opulenta aliquot cœnobia, qualia ſunt Cladrubinum à Vladiſlao Duce anno 1122 monachis Benedictinis; Choteſſovinum & Teplenſe à Hroznata Comite, Virginibus inſtituti Præmonſtratenſis; Plaſſenſe Ciſtercienſi Ordini, ſub Abbatibus; & Pivoncanum, à Brzetiſlao Principe in monumentum maxima ſtrage à Bojemia depulſi ab ſe Henrici III Imperatoris Eremitis Auguſtinianis, ſub Priore, conditum. Nobilitati ſubjiciuntur arces, caſtella, oppida, prædiaque perquam multa, ut ſunt Cacerovia, Suanberga, Tachovia quondam urbs regia, Przirda, Borum, Suihoviam, Tyra Horeſſi, Ronſperga, Ryzimberga, Viridis mons, Opulca, Herſteinum, quædam ſola, quædam oppidis vel pagis aucta. His adde oppida ſola, Planum, Radnicen, Pilzenezium, Przeſticen, Stodum, Bielany, Toſtaunam, Negitzſcum, & quæ ejus notæ ſuperſunt.

Diſtrictus Lucenſis.

Pilſnenſi provinciæ cohæret diſtrictus Lucenſis, à pratis, vel Zatecenſis à Zatecio urbe, cognominatus. Fines ejus junguntur ad Auſtrum, ei de quo diximus, tractui Pilſnenſi, ad occaſum Loctenſi, ad Aquilones Miſniæ montanis, ad Cæciam Litomeczicenſi, ad Subſolanum Slanenſi,& ad Eurum Racounicenſi diſtrictui. Vernacula lingua dicitur Lucsko vel Ziatesko. Frugum, vini, & præcipue lupuli terra ferax. Incolis hujus diſtrictus innatum fere eſt, ut ſint ſupercilioſi, ſubſannatores, & religionis publico conſenſu approbatæ pertinaciſſimi cultores. Vrbes hic regiæ liberæque ſunt, Zatecium, Moſta, Launa, & Cadana.

Zatecium urbs præclara à præterfluentis, atque ab eo quod Latinis eſt tepefieri, vocati amnis Ohrzes, ſive Oegræ ſinu, quem inſubter urbem facit, nomen adepta. Religionem Chriſtianam cæteris diutius ſunt averſati, eam tamen ſemel ex Græca diſciplina amplexi, conſtantiſſime coluerunt. Commendationem non vulgarem habet de cocta ex hordeo cereviſia præſtanti, quæ vocatur *ſamec*. Huſſiticis motibus propius cum copiis accedentes Germanos Præſules abſcedere coëgit inglorios, anno 1421. A Ferdinando vero Rege, cum is bellum Ioanni Friderico Saxoniæ Electori feciſſet, & Zatecenſes ad militiam iſtam coacturus, in urbem immodico ſtipatorum numero ingredi vellet, nec à Civibus admiſſus eſſet, graviter ſunt multati, proſcripto primate M. Nicolao Artemiſio, ſolique bonis omnibus, imo & portarum valvis, civitati, ne clauderetur,ademptis anno 1547 Aperta igitur nocte dieque ſemper ſtabat urbs hæc omnibus, reliquo Ferdinandi Regis tempore, & gratiam claudendarum portarum factæ, eam in rem alligationis,in regni Archivo diſpunctionem non niſi ægre demum ab ejus ſucceſſore Maximiliano Rege impetravit anno 1565. At vero Fridericus, cum ſumendæ regni coronæ cum Eliſabetha uxore liberiſque Pragam è Palatinatu ſuo Octobri menſe anno 1619 contenderet, in hanc urbem omnium primam ex itinere divertit, feſtaque populi acclamatione eſt exceptus, unde poſtea victores Cæſariani milites eo magis ejus cives habuerunt ſuſpectos ac exoſos.

Iohannis Georgii Electoris Saxoniæ ſuſcepta Novembri menſe anno 1631 in Bojemiam expeditione bellica, accepit quidem urbs hæc ex ejus exercitu præſidium ſignorum aliquot, ſub vicaria Caroli Boſii præfectura; ſed ejus incuria ab Hermanno Ozerninio, cum aliquot militum Cæſarianorum manipulis anno 1632 dolo capta eſt. Moſta ſeu pons Germani *Bruck* ſeu Bryxs, urbs inter regias, hac in provincia, ſecunda, & loco quidem limoſo, ſub montibus, Bilinæ piſcoſo amni à dextris ſita, populoſa, ampla, & ſatis nitida eſt. Nomen ei à ponticulis, ob ebullientes è terra aquas paſſim in orbe poſitis, vetuſtas dedit. *Moſt* videlicet lingua Boemica pontem vocat. Deſpectat in eam nobile propugnaculum ſeu arx inter limitaneas numerata, ac in montis ardui vertice ædificata. Primi ipſius conditores ignorantur. Vetuſta tamen eſt ejus origo, & multa libertas. Lingua Bojemica jam fere obſolevit, & id quidem non alia validiore de cauſa, quam Miſniorum connubiis cum hujus urbis puellis frequentatis, & Magiſtratûs, contra quàm leges ratioque ſuadent, de linguæ cultura præpoſtera negligentia.

Abeſt ea tertio lapide Launa, urbs in dextro Ohrzes amnis latere,figura ſemicirculari à Vlaſtaco & Sobeſſio fratribus,graſſatoribus,metu latrociniis promeritæ pœnæ adverſus Vegenum principem,ex Launa vico quodam tenui ædificata, & egregiè communita.Res quaſque victui quotidiano neceſſarias, frumentum vinumque domi habet abunde; piſcibus ſaltem exceptis, quos amnis ſuburbanus ſubminiſtrat parcius. Cives ejus ſunt jurgioſi, & conventibus quibuſdam commeſſatoriis, qui ab illis D. Margaretæ vocantur, æquo impenſius dediti, & advenas dicacitateque procaci agitare, urbanitatis loco habent. Huſſitico bello Zatecenſium conſilia erant ſequuti; ſed Bohemico proximo, ac uno quaſi momento ad Catholicorum placita tranſiverunt univerſi.Cum poſt,prælio ad Lipſiam ſuperatum Tylium,Saxoniæ Elector Iohannes Georgius in Bojemiam Novembri menſe anno 1631 irruptionem faceret, militem ejus ſimili facilitate admiſerunt.

Zateio diſtat tribus milliaribus occaſum verſus, urbs regia à conditore Cadano Cadania dicta an. 821.Sita eſt in læva amnis Ohrzes ripa,ſatis amœna, & Germanis pleriſque inſeſſa: Regii fiſci ditio non alia eſt in hac provincia quam quæ Fodinis argenti Prziſeznicenſibus, Sonnebergh, Platnenſibus, & Baſtianbergenſibus, itemque ſtanni fodinis Slaveorianis, & Lauterbachianis, Schonfeldianiſque comprehenditur. Chomutovia quoque oppidum nitidum ac amplum, Georgio Baroni Lobcovicio Rudolphi Regis edicto eſt ex poteſtate exempta, regiſque fiſco anno 1595 adſcripta. Erat olim in uſufructu Crucigerorum Pragenſium, quam Sigiſmundus Imperator tandem Iacobo Wrzeſovecio pignori dedit.Laudem ex eo habet cum paucis communem, quod cereviſia ejus non vulgaris eſt bonitatis. In Nobilitatis agro ſunt Carlariæ, mons Eiſenberga, Czerveno Hradecum, hoc eſt rubrum caſtellum, Boreca ſeu Gorcovium, cum

oppido

oppido saluberrima cerevisia, viciníque aluminis officinis nobilitato, Iuvenicium, Beczovum, Postolopetæ, Novo-Hradæ, Liczcovum, Wintirzovum, Massitorum, Walecxium, Bochovum, Angelicus mons, Clastercium, Novo-Schumburgum, Hassensteinum, Hrjevesium, arces, tam cum, quam sine oppidis, cum prædiis, villisque permultis, ut & oppida sola, Gessenicium, Zluticium, Chyssæ, Slaucovum, Ostrovum, Przisezmicium, repertis sub Imperio Regis Caroli anno 1341 argentifodinis clarum, & quæ accolis nota sunt cætera.

Districtus Racounicensis. Districtus Racounicensis, & vulgo Rakownicsko, à Racounico urbe Regia, & his in locis sola, cognominatur. Adjacet autem is, Zatecensi districtui parte sui occidua, ad Ortum vero cuspide tantum quadam mucronata inter districtum Slanensem à latere Septentrionali, & inter districtum Poebrdscensem à latere australi interjectus pertingit. Regiuncula est silvosa & montana.

Racounicum, seu ut alii loquuntur, Racona, regiæ urbis ac libertatis plenioris honorem, Ordinibus in comitiis regni intercessoribus, à Rudolpho rege, anno 1588 est consequuta: antea siquidem regio fisco accensebatur. Nomen à Cancro, quem propterea in insigni gestat, obtinuit: is enim Boëmis *Rack* dicitur. Est urbs mediocriter munita, verum non adeo magna. Ob cerevisiæ singularem bonitatem semper fuit celebris; nuper vero anno 1620 & Cæsareanorum & Friderici Boh. Regis castris, quæ utrique habuere ei propinqua, etiam exteris innotuit. Vladislaus I, ejus nominis, Princeps, paulo plus quam uno ab eo lapide, ædificavit in silva, trans Mizam fluvium, celebrem illam, omnis pretiosioris regni supellectilis custodia magnorumque virorum carceribus arcem, Krzivocludum, Burg-Leysam Germanis vocatam, eique agrum multum ac reditus luculentos fisci regii hæreditarios adsignavit. Ex hujus ditionis silva, singulis annis ingens lignorum multitudo, Miza secundo Pragam submittitur, indeque per Vultavam & Albim, in loca materia fabrili destituta distribuitur. In hac arce captivi sub custodia tenebantur olim; Otho Dux anno 1110 à Vladislao principe agnato, Henricus Iohannis regis Cancellarius anno 1318 à regni proceribus; Henricus Dux Austriæ anno 1322, ut & alias alii permulti. Huic arci subest oppidum novum Straslecium. Ditione nobilitatis continentur Horosediæ, Pertsburgum, Sosna, Poulcæ, arces, & Senomatæ oppidum. Cœnobium in hac ora nullum est.

Districtus Slanensis. Slanensis Districtus Racounicensi conjungitur à parte meridionali, versus Occasum habet Provinciam Zatecensem, versus Aquilones Litomienzicensem, versus Ortum Cauzimanum. Vulgariter Zrzitsko & Slansko vocamus. Zrzitsko à Zrzito monte; Slansko à Slana urbe Regia hujus oræ similiter unica: Horreum urbis Pragensis, districtum hunc quidam judicant. Est autem

Slana urbs à salsedine dicta, sub vasto monte de voluntate Nezamysci Principis, à priscis nostris salis coctoribus, loco humili condita, & contra Lucensium incursus utcumque munita. Erumpebat enim ex monte isto aquæ salsæ fons, & accolis erigendarum salinarum, ac mox urbis extruendæ occasionem dabat, sed qui intra paucos annos, ut & alter Bilinensis, exaruit. Etsi vero disparentibus aquæ istius scatebris, emolumentorum omnium spes salinatoribus istis videbatur perisse; nihilominus tamen conditam ab se urbem neutiquam deseruerunt, sed ad agri hortorumque culturam, ac cerevisiam coquendam se converterunt. Iuventus urbis parum morate educari olim solita, sicut & virgines Pragenses, equique Curnenses, dicterio cuidam locum dederunt Virgines nempe Pragenses, equos Cutnenses, adolescentes Slanenses, tria esse, quæ perraro sunt bona. Patrimonium fisci regii, præter Vnhosstam oppidum, vicosque aliquot ditioni Krziracladenæ adscriptos, non memini hic esse ullum: duo nihilominus Virginum cœnobia: unum Doxanæ, & rerum omnium abundantia lautissimum, & loci inter saltus amœnitate lætissimum, anno 1144, à Gertrude Vladisslai Principis uxore, Vestalibus instituti Præmonstratensis, est conditum. Ohrze seu Oegra pomariis virgultisque passim cinctus amnis id alluit. Alterum Tynecianum, à Plichta Zerotinio, Vestalibus D. Claræ erectum, & honeste, non tamen ad luxum, dotatum. Est similiter hic uno saltem lapide à Slana urbe disjunctum, in præpingui glarea temperato solo ab Vngaris olim anno 956 conditum oppidum, Velvaræ seu Welvarium. Nomen traxisse fertur ex Vngaricis vocibus Bel & War, farris oppidum significantibus. Non numeratur id quidem inter urbes regias, veruntamen sub προεδρείᾳ Burgravii supremi, plerisque urbibus regiis immunitatum amplitudine est par; in hoc etiam superior, quod ager ipsius cum magnam partem sit juris liberi, adeoque emphyteusis perpetua, tabulis regni absque regii consensus internuntiis, quoties legitimus contractus intervenit, potest inseri; quæ alioquin Nobilitatis prærogativa censetur. Nobilitatis dominium agnoscunt cætera, ut est Raudnicia arx & oppidum peramplum, olim etiam cum Archiepiscopi Pragensi procerum Smirziciorum ac ex Polonia Ostrorogorum, dominatione leni tenebatur, satis fortunatum. Mercatura enim ac cæteris honestis quærendæ rei mediis, ex Albi, quo alluitur, percommode potest uti. Talis præterea est Budina, arx & muris cinctum oppidum, ad Ohrzes latus dextrum, Hostiviti principis ævo, ex vetustiore vico ædificatum, ac à tuguriis nuncupatum. His adde Berzcovicium, Bezcoricium, Hospozinum, Nelahozesium, Micovicium, Ocorzen, Bustehradam, Rubrum Augezdum, Cladnum, Smecznum, Corhusam, Srbecium, Dievicæum, Slavietinum, Patcum, Wrahum, cum prædiis agroque perquam fertili. Est in hac provincia mons celebris ille, ac patenti in planitie eminus conspicuus, Zrzit, à specula, vocatus, ab aliis Zrzip, hoc est mons κατ' ἐξοχὴν appellatur. Primi gentis Bohemiæ conditores sub eo primum omnium anno 550 consedisse, illiusque reipublicæ initia dedisse feruntur. Vertici ejus perquam spatioso imposita, à Sobeslao Principe instaurata potius quam fundata stat ædicula D. Georgio dicata.

Districtus Litomierzicensis. Litomierzicensis provincia, vulgo Litomierzicsko,

zicsko, à primaria ejus urbe cognominata est. Ea fere tota sub Sudetis montibus protenditur, figura pyramidali, cujus basis Zephyro, Africo, Libanotoque obversa, Lucensi & Slanensi districtui incumbit: latus vero Septentrionale Misniæ montanis, Australe limiti districtus Boleslaviensis adhærescit, conus denique versus Boream Cæciamque ad Lusatiæ Superioris limites pertingit. Provincia vini imprimis, ac pomorum, quin & frugum feracissima, Misniæ cis-Albinæ horreum. Regis seu fisci patrimonialia bona nulla hic sunt. Sunt autem duo saltem cœnobia reliqua, Osecanum sub Abbate ab Ottocaro rege Cistercienſi, & sub Melnicanum Priore ab Hroznatæ Comite, Augustinianorum ordini datum, quamvis Osecanum Ferdin. I, regis ætate Archiepiscopus Antonius, ut & Suetecianum, quod principio Rubeæ crucis gerulis institutum, tandem vero alendis D. Claræ Vestalibus datum fuit Rudolphi II tempore Zbynecus, ad se pertraxit. Dotalis hîc præterea est Reginarum Bojemiæ ditio arcis Mielnicanæ, ditio opima ac locuples, sed quæ plerumque nostra memoria alicui ex proceribus pignoris titulo utenda fruenda concedebatur; nuper autem anno 1627, per Imp. Ferd. II, inito cum Wilhelmo Slavata quodam contractu, à reginarum patrimonio penitus avulsa. Nobilitatis ager hic similiter peramplus esta & opes luculentæ. Tenentur enim ab ea arces Teplicium, Duckzovum, Bilina cum oppidis muro cinctis, Libezonesium, Strzebiulicium, Podsedicæ, cum gemmarum fodinis, Libochovicium cum oppido, Clopcium seu Hasenburgum, Brozanæ, Lovosiciæ, Sulevicæ, Czizcovicæ, Cossalovum, Scalca, Nedviedriczium, Costomlætæ, Milissovum, Vgezda sub monte qui acutus dicitur, Sobocklebæ, Daubravius Mons propugnaculum Radislai Wchynicii industria nuper è veteribus ruinis egregie instauratum, Supius seu Vulturnius mons, Brzrzcitea Blanchensteniæ succenturiata, Schonsteina, Giloria, Bideburga, Dieczinum propugnaculum limitaneum, Brzcznum, Svadovum, Strzecovum, Libochovanæ, Zirenicæ, Zahorzanæ, Ploscovicea, Enchswanæ, Gizterpæ, Aussteum cum oppido muris cincto; Radaurum, Brocenum, Conogedæ, Strolinquæ, Marquardiciæ, Libchava, Bircosteina, Nova arx, Lippa, Mlado Benessovum, Rumburga, Shlucnovum cum oppidis, itemque Scheracovum, Hanspachumque, & alia permulta, nec inculta nec infructuosa. Oppida præter ea sola, Camenicea, Radussovum, Hossteca, Trzebeniccæ, & metallifera duo, Crupca, Hrobumque monachale. Iam vero liberæ ac cultissimarum vineaum collibus longe lateque omnibus antestantes in hac Provincia urbes, sunt Litomierziceæ, Vsta, Kelnicum, ad Albim sitæ omnes. Vinosi censentur plerique omnes earum incolæ.

Litomierziceæ, seu Litomierzicium, est urbs populosa à dexro Albis latere, splendide locoque oportuno ædificata. A Lidomiro Cossali filio (qui à conciliandis hominibus nomen habuit) anno 771 ea inter Radiczium (qui locus nunc Hradicz corrupte vocatur, & D. Stephani æde est celebris,) Procrateciumque arces, condi cœpta, mœnibus tamen & vallo demum anno 1019, à proceribus Vurssoviensibus, quorum tum in ditione fuit, communibus gentis sumptibus, offensi Vldrici Principis metu, ante annos sexcentos, circumdata ac communita est. Cum vero damnatis à Brzetislao II, ob structas Principum vitæ insidias, atque in Lusatiam deportatis Vursovicensibus, bona eorum universa in ærarium Principis essent illata anno 1096; Litomierzicea libertatem, ac inter urbes sub Principum patrocinio viventes, locum, multaque post hac privilegia obtinuit, quæ anno fere ducentesimo pòst anno 1297, incendio quo urbs hæc fœde fuit deformata, pleraque omnia perierunt. Iohannes rex Ottocarorum privilegia, quæ flammis, de quibus diximus, erepta supererant, adhuc aliqua ei confirmavit, & nova aliquot addidit. Ejus vero filius Carolus Imperator nundinis solemnibus, & jure stapulæ, ab VIII cal. usque ad VI idus Augusti eam locupletavit. Maximiliano vero & Rudolpho imperantibus, Albis prælongo ponte ligneo fuit stratus, quem hosti propinquanti 8 Id. Iunias anno 1632 loco cedens flammis penitus absumpsit Iohannes Melchior Sualbachius, magno civium & accolarum incommodo. Hic in Albi, magno numero capiuntur vernis mensibus, longe quam alibi meliores sapidioresque murenæ & salmones; æstivis vero etiam grandes sturiones. Vindemiæ tempore multò quam alibi suavior conficitur murina, itemque ex sinapi trito ac vini recentis decocto, sapa seu defrutum: amicos & homines excepturi Litomiercenses, ita vino obruebant, eis interim immemores apponendi cibi, ut duplici scommati ansam dederint. Dici namque solet; *hominess à Litomierzicianis potu fere suffocari, fame vero enecari.* Item, *oportere esse felicem, qui non fuerit Zatecii ludibrio habitus, Launæ pulsatus, & Litomierziceæ vini potu immodico gravatus.* Reditus hujus urbis publici, necessariis impensis publicis comparati, modici sane sunt, sed eos tamen bonorum Principum munificentia quandoque sublevabat. Iura ejus agnoscens pomerium perangustum quoque est: Vndique enim Cœnobiorum ac Nobilitatis agro constringitur. Antiquitus jure Saxonico utebatur, & Scabinatûs tribunali clara fuit, ita ut oppida vicina, urbesque adeo nonnullæ domesticorum judicum subselliis ad ejus sententiam provocare, diu in more habuerint, quæ prærogativa non ita pridem ipsi anno 1610 Comitiorum placito est extorta.

Ab ea versus Thrasciam abest altero lapide Vsta, urbs in montium angustiis à Russiivado & Lahoborio fratribus ædificata. Mediocri est magnitudine, sed loco hostibus expugnatu facili, mœnibus suis non magnopere tuta. Nomen ei plerique ab Hausti voce Bohem. dumetum significante, factum esse contendunt: alii tamen probabiliore ratione ab ore, quod *usta* vocant Boëmi, formant: sita enim, ut dixi, est in angustiis, ad quas Albis flumen aquas suas per convalles quasi os vel fauces aliquas in Misniam evomere incipit; Vnde non inepte posset Ostria vocari. Exigitur in ea portorium regium, in limite à mercatoribus quibusque navibus merces portantibus, antehac pendi solitum. Vinum quod hic urbanis sub rupibus nascitur, quodque

que ideo Podskalske dicitur, non habet aliud in Bohemia, à quo generositate superetur, nec locus fere ad Albim alius est, ubi typhlarum, seu oculatorum piscium captura sit uberior. Nobilitati in montanis Vstæ habitanti, quoties suborta controversia coram arbitris ex compromisso disceptanda, vel componenda erat, locus hic præ aliis plerumque conventui ut commodior eligi hactenus suevit.

Melnicum vero Litomierzicea euntibus ad ortum hybernum, inter lapidem quartum occurrit urbs sub Albis & Vultavæ confluentibus, arduo in colle condita, mœnibus à Slaviboro D. Lidmilæ patre circumdata anno 877. Datum enim nomen ei est à molendo; Melnicke idem quod molitor sive locus, in quo sunt molendina, notat. Vrbs quidem est parva, sed peramœno, ac propulsandæ hostium vi opportuno loco exstructa, à rubri vini suavitate præcipue commendata. Refertur in numerum urbium, quæ Reginarum Bojemiæ sunt dotales. In ea (habet enim mœnibus impositam arcem) à Principum maritorum mortibus vitam transigebant, cum aliæ Principes ac Reginæ, tum imprimis Barbara Sigism. Imp. & Iohanna Georgii Regis viduæ. Alluit eam à parte Aquilonari modicus amnis Bslowca. Immunitates ac libertatem, urbibus Regiis parem, jam à vetustis temporibus semper habuit, & adversus malitiosas plerorumque arcis præfectorum machinationes defendit.

Districtus Boleslaviensis.

Reliqua adhuc est provincia, quæ vulgo à Boleslavia urbe, Boleslawsko vocatur, ampla satis, fertilis, ac populosa, Districtum Litomierzicensem parte sui occiduum, Silesiam Septentrionali, Hradecensem tractum Orientali, Caurzimanum meridionali, attingens. Participat ejus fertilitatem non solum Lusatia, sed & ipsa Silesia. Regis patrimonium in ea est Benarchæ, Lyssa & Brandeisenæ ditionis pars trans Albim non modica, cum Opoczino & Hlavenecii voluptuariis. Benarchæ arx est à dextris amnis Giseræ, arduo in colle cum oppido tenui, quæ à Dominææ stirpis proceribus per Rudolphum regem est redemta, fiscoque adjuncta. Lyssa vero seu Mons Calvus arx similiter est cum oppido in subjectam ingentem silvam regiam ex alto despiciens. Reditus utriusque præcipui sunt ex piscinis, quæ iis locis & sunt numerosæ, & cyprinorum delicatorum multitudine præstant. Cœnobia in hoc districtu hac ætate nulla sunt, nisi forte si quis Boleslaviæ veteris, D. Venceslai Cenotaphio nobilem, D. Cyrilli & Metudii ædem, recensque sumptuosissime ac splendidissime ædificatum, & ante annos aliquot, peregrinationibus anniversariis, frequentari cœptum, divæ Virginis delubrum, Cœnobii nomine appellandum putet. Vrbes hujus loci regiæ duæ sunt, Nymburgum & Boleslavia. Nymburgum est urbs in patenti planitie, loco propulsandis hostium insultibus valde idoneo, à Vicemilo dynasta quodam inter Albis & Malinæ confluentem exstructa, lateritioque muro & profunda amni alveum præstante fossa, probe firmata. Vicemilus quidam eam de suo nomine Vicemilovum voluit vocari; domestici tamen propter suum silvestrium familiare illic volutabrum, Suini-Brodam dici maluerunt. Nymburgum vero multo demum tempore post à Germanis hominibus peregrinis, voce peregrina nomen accepit. Venceslaus II Rex, unice eam dilexit, & cum ampliorem, tum privilegiis ornatiorem fecit, quin & primus eam in urbium regiarum numero esse jussit. Olerum omnis generis ac leguminum abundantia pariter & succosa bonitate præ aliis excellit. Proximæ Saxonici militis in Bojemiam irruuptioni anno 1632, quasi obicem urbs hæc objecisse est visa, quam is, quia vi expugnare non potuit, missilibus ignium artificialium machinis totam una cum ponte quo Albis jungebatur, in cineres redegit.

Versum Aquilones lapide tertio ab eo est diremta Boleslavia urbs, non vetus illa, cujus jam ante meminimus, sed alia, à qua tota hæc provincia accepit nomen. Veterem illam ad Albim in totius (ut plerisque placet) Bojemiæ umbilico, Vratislaus Princeps anno 915 fundavit; & Boleslaus Sævus anno 937 excoluit; hanc Iuniorem vocatam, Boleslaus Iunior, seu ut postea frequentius vocabatur, Lenis, vel Pius, in colle Hrobka, qua voce sepulcretum significatur, condidisse fertur anno 973. Fuit urbs hæc olim in ditione procerum Michaloviciorum, Cymburgiorum, tandem Cragiriorum, postea stirpis Hassisteineæ Lobcoviciorum, à quorum postremo Bohuslao Ioachimo libertatem plenam anno 1595 ære grandi emit, ac Rudolphi Regis Cæsaris clementia locum inter urbes regias anno 1600 obtinuit. Gisera ejus latus lambit, & aquam intra muros, hydragogicis machinis seu siphonibus immittit. Subjectam arci vallem rigat Clenice rivus, qui ibidem mox Giberæ miscetur. Ager nobilitatis multus quoque est in hac provincia, multæ arces, castella, oppida, villæ, quales sunt Ronorum, Rozdialovicea, & Dobrovice cum oppidis Brodecæ, Cossatecæ, Libenium, Vidimia, Hausca, Bezdicium, Cosmonosæ, Zuuirzeticium, Costa, Troscæ, Virgo & Anus, Scalæ seu rupes, Semilæ, Waldesteinum, Rohozecium, Suiganæ, Monacho-Hradista cum oppido Zasadca, Dona, Curzivodæ, Zacupium, Wartemberga, Dubum, Wysoccum, Reichenberga seu Libercum, Gralsteina & Fridlanda, partim castella, partim arces, oppida denique, ut Bacovum Mssenum, Bicla muro cincta, originemque & nomen ab Iunioris Croci nepte sortita, Turnovum, Saborca, Mimonia, Gablonia, & alia numero non pauca.

Hucusque ac hactenus versati sumus in recensendis iis Bojemiæ provinciis, seu districtibus qui inde à primis gentis incunabulis sub eodem Magistratu summo, eadem lingua, legibus, moribus, institutis vixerunt; nunc jam accedimus ad tres reliquos describendos, qui tametsi jam olim jure clientelari, cum corpore Bojemico, vinculo indissolubili coaluerunt; actibus tamen panegyricis non solent, ut cæteri provinciales, interesse, neque consiliis de republica intervenire. Immunitates nihilominus, instituta, leges, ac consuetudines quasdam peculiares semper & habuerunt, & ad hæc usque tempora tenuerunt. Linguæ similiter usum neutiquam cum Bojemis communem habere voluerunt, quales sunt Co-

mitatus, Cladſcanus, ſeu Glacenſis, provincia Hebana ſeu Oegrana, & diſtrictus Locţenſis ſeu Cubitanus. Nobilitas horum diſtrictuum pleraque omnis ex ordine equeſtri eſt, pauciſſimis ſaltem exceptis, qui, Barones cum ſint, agrum iſtic poſſidere jam pridem cœperunt. Principum Bojemiæ vaſalli ſunt omnes.

Comitatus Glacenſis. Circumdatur autem Comitatus Glacenſis (cui nomen à Glatz primaria ejus oræ urbe ac propugnaculo munitiſſimo factum eſt) ab Aquilone & Ortu Sileſiæ terminis, ab Auſtro angulo quodam Moraviæ, ac, ſicut & ab Occaſu, provincia Hradecenſi. Fuit olim, nunc in Polonorum, nunc in Bojemorum manibus, donec ex fœdere, quod Ottocarus Rex cum Henrico Duce anno 1280 percuſſit, priſcorum Principum Minſterbergenſium, ſeu Sambicenſium dominio accrevit; quem tandem Ioannes Rex à Boleſlao Duce anno 1322 redemit, ac regno Bojemiæ in perpetuum conjunxit, quinquennio nihilominus pòſt anno 1327 ex pacto, Wratiſlaviæ Duci Henrico VI, uſufructu in eo ad vitæ dies conceſſo. Ardentibus tamen poſtea Huſſiticis motibus, venit in poſſeſſionem procerum gentis Podiebradiæ, qui longo poſt tempore Minſterbergæ Duces erant creati, tenebaturque eorum ditione totos plus minus annos octuaginta, uſque dum ab Alberto Carolo, & Georgio fratribus anno 1500 Vldrico Comiti Haidecchio, cum is paulo ante, more incolis Bojemiæ uſitato, in Regis regnique fidem ſacramento eſſet receptus, venditionis titulo fuit reſignatus. Ex Hardechiorum manu Iohanni Pernſteino dynaſtæ conceſſus fuit, qui eum Erneſto Archiepiſcopo Salisburgenſi Bavariæque Duci oppignoravit. Erneſto è vivis ſublato, ſuccedendi agnato in ejus uſufructu jus habere ſe contendebat Bavariæ Dux Albertus, ſed quia per regni leges non licebat, ut inter provinciæ incolas locus illi eſſet, & alia ratio Erneſti hominis Clerici eſſet, alia Alberti Principis Politici; Ordines Maximiliano regi authores in comitiis anno 1567 fuerunt, ut pignus iſtud ſeu hypothecam à Bavaro, vel ipſe redimeret, vel è proceribus Bojemicis cuipiam qui vellet, redimendam cum uſufructu concederet. Sed res tamen iſta ac Ordinum placitum, non prius quam duodecennio pòſt, Rudolpho jam regnante, exitum invenit, cum ex ære Ordd. collectitio, Comitatus hic anno 1579 onere peregrini æris liberatus, Regum uſibus publico comitiorum decreto, ea lege fuit aſſignatus, ut nec vendi in poſterum, nec in hypothecam dari, nec permutari, nec ad uſumfructum cuiquam concedi, nec alio quolibet modo alienari unquam poſſet. Eſt igitur jam in regia poſſeſſione, perque Præfectos, plerumque Barones, gubernatur.

Primaria, ut diximus, urbs in eo eſt Cladſcum, vulgo Glacium, ſeu Glaciæ, cum arce in colle ac loco arcendis hoſtibus commodo ædificata, hominumque induſtria probe communita. Alluit latus ejus dextrum amnis Niſſa, ponte lapideo ſtratus. De urbis hujus conditore ſilent Bohemici, ut & Polonici ſcriptores, de pervetuſta tamen ejus origine non parva ſunt apud eos veſtigia. A Sobieſlao Principe cum Polonis bellum Vladiſlao fratri faciente anno 1114 igne fuit penitus deleta, ſed quintodecimo anno poſt ſplendidius, quam ante, fuit inſtaurata. Cœnobium quod in ea Canonici Auguſtiniani regulares ab Erneſto Archiepiſcopo erectum, & D. Virgini dicatum habuerunt, non ita pridem anno 1597 occuparunt Sacerdotes Societatis Ieſu. Integro fere poſt cladem Pragenſem biennio, virtute Franciſci Comitis à Turri, in Friderici Palatini fide fuit retenta ac adverſus Cæſareos defenſa, donec commeatus penuria anno 1622 conditionibus æquis dederetur; à fulmine non multo poſt diſturbata, mox vero Bojemicorum Ordinum ſumptibus, ex ruinis viciſſim excitata. Arces & oppida in hoc Comitatu ſunt, Chelnava, Levinum, Homolæ arx ruderibus ſaltem, & luculento Regum Bojemorum patrimoniali agro nota, Duſſnicum ſive Reinhercium, Ryckerzina, Wunſſelburga, Sualdevaſum, Reichenſteinum, Neudecum, Landecum, Habelſwerda, Mitwaldum, Schonfeldum, & ſi quæ ſunt alia.

Provincia Oegrana. Hebana, ſeu ut alii vocant Oegrana Provincia vel regiuncula, cohæret primo ex Occidentali plaga Bojemiæ aditui, ac nominatim accedit diſtrictui Lucenſi parte ſui Occidentali, quæ vero Subſolanum Vulturnumque reſpicit diſtrictui Plnenſi. Ad Auſtrum contingit Palatinatus Bavarici fines: ad Occaſum Vliskensko ſeu Voitlandiam, partim Provinciam Cubitanam. Regiuncula eſt fœcundiſſimis hortis & agris variiſque pomorum ac fructuum generibus luxurians. Scindit eam ac irrigat mediam, erumpens è pinniferi montis jugis fluvius, quem Latinè ſcribentes Germani *Oegram*, nos à tepidiore ejus aqua Ohrzen, vocamus. Ademit autem illam Bavariæ Duci Henrico anno 1193; primuſque belli jure regno noſtro acquiſivit Przemyſt-Ottocarus Dux, quæ cum aliquandiu in Bojemorum poteſtate fuiſſet, per Rudolphum Habſpurgium, cum is ad imperium perveniſſet, Ottocaro II extorta eſt; verum novennio pòſt, in prælio Marchefeldiano cæſi patris Regis filio anno 1285 & in regno ſucceſſori, Venceſlao II dotis nomine reſtituebatur. Et cum in Bavariæ Ducum manus recidiſſet, Ludovicus Imperator ejus nominis IV, eam Iohanni Bojemiæ Regi operæ ſtrenuæ adverſus Fridericum Auſtrium navatæ compenſandorumque ſumptuum bellicorum, qui ad vicies mille marcas puri argenti aſſurgebant, præmium eſſe voluit, ac de Principum Electorum aſſenſu Anno 1322 poſſidendam dedit. Sortita autem eſt hæc regiuncula nomen ab urbe iſtic primaria, quam Bohæmi ab inflexu, *Heb*, Germani à præterlabente amne Eger vocant. Hebrum igitur vel Oegra urbs ipſa, alluitur ab Auſtrali latere Egra fluvio. Eam Marchio Vohburgenſis Friderico Barbaroſſæ dotis loco dedit, quum filiam ſuam Adelheidem ipſi deſponderet, anno 1179. Etſi vero Hermanni Epiſcopi Conſtantienſis opera matrimonium illud poſtea reſciſſum fuerit, tamen adhæſit Imperio Egra, uſque ad annum Chriſti 1315, quo Ludovicus Bavarus capto Friderico III Auſtriaco, quum pecuniæ inopia premeretur, Ioanni Bohæmorum, & Polonorum regi eam

Diſtrictus Loctenſis.

eam oppignorat, acceptis ab ipſo quadragies mille argenti marcis. Ita Egra in confinio Imperii & regni ſita, ceſſit regi Bohæmiæ, cui etiamnum paret, adeo ut in Senatu ad ſolum nomen regis adſurgant patres venerabundi, & in urbis inſignibus aquilæ pars inferior cancellata ſit, lineis decuſſatim productis. Creditur aliquando dicta Saurſtadia à vicinis fontibus acidulis. Sed antiquiora ignorari mirum non eſt, quum tota civitas cum omnibus privilegiis, monumentis, ædificiis, triſti incendio conflagrarit anno 1270. Sita eſt in amœna valle, ita ut pars ejus ex declivi colle pendeat. Cingit eam murus duplex; cui tertius etiam additus, ea urbis parte, quæ à flumine eſt remotior. Arx inter flumen & urbem poſita ornamentum ei & tutelam adfert. Templum S. Nicolao ſacrum ſplendidum eſt, præſertim ob turres duas quæ Orientem reſpiciunt. Templo vicina ac pene contigua eſt domus fratrum Teutonicorum. Eſt & alia Cruciferorum, & alia Stelliferorum domus, prope Xenodochium. Curia ampla eſt & laxa. In ea Carolus V anno 1547 exercitum colligens, quo poſtea Saxoniæ incubuit, diverſatus eſt. Senatus eſt centumviralis. In hoc novendecim lecti è patritiis, Conſules urbi ſufficiunt quotannis quatuor. Tredecim ſunt Scabini, qui jus dicunt, cauſſaſque civium dirimunt, non ex ſcriptis conſtitutionibus Romanorum, ſed ex legibus municipalibus, exque recepto jure. Reliqui 68 ſunt plebei. Porro à Senatus Egrani ſententiis non datur niſi ad ipſum Bohæmiæ regem provocatio. Præter ædificia publica quæ jam diximus, ſunt & horrea, omni frumentorum & leguminum genere referta; Armamentarium quoque inſtructiſſimum. Nolæ duæ. Xenodochia duo. Balnea publica quatuor. Portæ majores tres: minores totidem; quarum non eſt uſus niſi ad Conſules noctu admittendos, ſi quando Reip. cauſa abfuerint. Pons urbem ſuburbio nectit amœniſſimo, in quo fons eſt, quem dixi, acidus, cujus potus æſtivis menſibus leniendis caloribus expetitur. Suburbium illud incolunt magna ex parte coriarii, quorum merces per Bohæmiam, Pannoniam utramque, & finitimas regiones plauſtris petitæ divenduntur. Arcem incolit regio nomine Burggravius ſive toparcha ad urbis præſidium. In ea præter turres urbi imminentes, ſacella ſunt duo, alterum B. Martino ſacrum: alterum B. Vrſulæ. Cives Egrani hydromeli coquunt, expetitum Germanis ac Bohæmis ob vinuli ſaporis gratiam, & aromata quibus temperatum eſt. Arces & oppida in hoc diſtrictu celebriora ſunt, Cimzvardum, Liberſteinum, Neclanicæ, & quædam alia, in quibus eſt Chlumum cœnobium D. Virginis, annuis, Septembri menſe, peregrinationibus notum.

Diſtrictus Loctenſis.

Loctenſis denique ſeu Cubitanus terræ tractus, territorio ſuo attingit ab Ortu Lucenſem, ab Auſtro partim Lucenſem, partim Hebanum diſtrictum, ab Occaſu & Septentrione Voitlandiam: lingua Bohemica vocatur Loketsko, à primaria iſtic urbe, quam Loket, hoc eſt Cubitum vocamus. Germani *Elbogen* dicunt. Fuit autem jam olim, vel Vogeni Principis, ut videtur, ævo, diſtrictus hic non tantum in Bojemiæ Principum poteſtate, ſed & ab ipſis Bohemis habitatus. Iohannis regis temporibus in uſufructu Eliſabethæ reginæ fuit, à qua & ejus liberis, non raro animi colligendi gratia habitabatur. Sigiſmundus Imp. illum ſuo Vicecancellario & tum Egyenſi Capitaneo Caſpari Schlichio dedit. Patrimoniales regum reditus hic præcipui ſunt ex argentifodinis, quæ ad oppidum Ioachimi Vallem anno 1516 ineunte regnum Ludovico repertæ, præſtantes ſane habentur.

Vrbs ipſa Loctum ſeu Cubitum una cum arce in ardua rupe edito colle, locoque inacceſſo eſt ſita, & non tam hominum induſtria, quam naturæ beneficio adverſus vim hoſtilem adeo probe munita, ut inexpugnabilis fere ſemper habita fuerit. Circumſtant eam undique montes prærupti præcipiteſque, in quorum medio una ſola cum baſe ſua aſſurgit. Hanc Ohrze ſeu Oegra amnis infra collem alveo ſuo veluti profunda ac lata foſſa contentus, rapido inter fragoſa montium præcipitia delabente fluento ſiniſter alluens, in obverſa ſibi collis parte angulum conſtituit, è quo tanquam è voragine regurgitans, ſinuoſo illam anfractu ambit, & ſeu cubiti amplexu (unde nomen etiam ſortita) cingit, atque à dextri lateris montibus ſeparat. Aditum illi vicinus in læva mons, qua rupi urbis baſi contiguus eſt, quadam quaſi cervice ad rupem, ceu collo ad caput protenſo, præſtat, eumque adeo anguſtum & brevem, ut hac iter curru facientes, urbem prætervehi minime poſſint; ſed quum per vias undequaque in compita, & ob præcipitia ac invia, in angulum ad portam, qua una tantum clauditur, peracutam coëuntes ad civitatem perventum eſt, nolentes volentes eam ingredi coguntur, & per longum vicum ad forum uſque progreſſi, acto ubi in gyrum curru, iiſdem, quibus paulo ante ingreſſi, vico ac porta exeunt, & ad montis oppoſiti, præruptique bivio imminentis ſaxi alterutrum deflectentes latus iter cœptum pergunt. Hæc nupero bello, Bohæmico, obſidione à Cæſarianis ducibus gravi cincta propter pulveris tormentarii penuriam, nonis Maij anno 1621, deditionem facere coacta. Sunt in ejus territorio multæ arces ac oppida, quæ Nobilium, Regibus Bojemiæ clientelæ juribus obnoxiorum, dominio tenentur; ut ſunt Wary ſeu thermæ Carolinæ, ſcatebris aquæ vehementer calidæ nobiles, itemque Oſtrovum ac Lichtenfordium oppida. His adde Konigsbergam, Neudeccam, Falconovum, Hertembergam, Schonpachum, Cagernum, Stampachium, Globenum, Cetlicium, Pezembiricium, Schancam, Deyſam, Polomum, Delbiczum, Teleazium, Otnoricium, Lucum, Reſſvicium, Machovicium, Berſeticenum, Crupam, Copeznum, & cœteras arces, caſtella, oppida, vicos.

Regimen Bojemiæ.

Primum antiquitus Bohemici regiminis ſpecimen Ducatus erat. Czecho namque Duce hæ gentes primum eum tractum, qui nunc Bohæmia dicitur, occupaverunt. Gzecho ſuffectum à Populo Crocum legimus, qui non ut Princeps & arbitrio ſuo imperaret, ſed ut Prætor ex æquo bonoque jus diceret. Nullæ huic leges erant, ſed vim legum mores & conſuetudo populi habebant. Croco ſucceſſit ejuſdem nominis filius: huic

huic filia iterum Libussa. Sub hac motus animorum ingentes fuere: aspernabantur enim omnes muliebre imperium, & virum rebus præesse volebant: illa ut incassum se populo adversari videt, Przemyslum seu Primislaum Rusticum sibi maritum, populo Ducem adsciscit: equum de populi consensu emittebant, cui is primus se sisteret, ille Rex foret. Stitit is se ante Primislaum forte aratro incumbentem, sicut ipsa prædixerat; qui magna cum populi acclamatione ab aratro ad Solium & Libussæ thorum deductus est. Hic primus feroci populo leges dedit. Libussa fatis functa, res mira & in qua fere Annalium fides laboret, accidit. Wasta enim Libussæ olim puella à cubiculo, & una à consiliis, ubi post illius obitum vilipensam se cum reliquis puellis videt, conspirat cum his, & indutis armis fugatis sæpius virorum copiis, septem integros annos totam Bohemiam devastat & sibi tributariam reddit, usque dum dolo Primislai capta & interempta, reliquæ quoque mulieres internecione deletæ sunt. Primislai nepotes regimen plusquam trecentos & sexaginta annos continuos administravere; cum tandem Vladislao ab Henrico IV Imp. regi corona imponeretur anno 1082 vel (ut quidam volunt) 1072. Non tamen absoluta Bohemicorum Regum in subditos potestas illa fuit, sed certis conditionibus limitata. Primislaus enim leges condiderat, (quæ subinde à Regni Proceribus accumulatæ sunt) in quas servandas jurare Principes, & postea Reges gubernacula arrepturi cogebantur. Permulta sane Principibus illæ in moderanda ex arbitrio Rep. largiuntur, sed nonnulla populo quoque vel soli vendicant, vel cum Principe communicant. Vetantur enim Reges, *A regno quicquam abalienare, pignorive dare; Libertati regni legibusve obrogare; præter Barones, Equites, Civitates, plures in regni Ordines invehere; alienigenas ad arcium præfecturas vel publicas functiones ullas admovere; præter morem priscum, jura & libertatem, militiam incolis imperare*, &c. In decernendis bellis, imponendis tributis, & distribuendis majoribus officiis, siquid novi Rex decernere velit, rem prius ad Ordines universos in comitiis, vel ad Optimates collegialiter in consistorio referre, nec eorum modo consilium, sed & assensum exquirere necesse habet.

SERIES
DVCVM & REGVM
BOHÆMIÆ.

DVCES.

I ZEchus Slavus invasit terram anno 649.

II *Crocus*, hic obiisse dicitur anno 709.

III *Libyssa* filia Croci, primum sola, postea cum *Primislao* marito, qui Pragam condidisse, & leges genti scripsisse fertur. Sub his Valasca comparata ancillarum manu rebellis, excursionibus ex arce Dibin factis, Bohæmiam depopulata est totum septennium, sed victa tandem est.

IV *Nimislaus*, dictus Epimetheus, magni patris degener filius. anno Christi 754.

V *Mnatha* patri similis, vixit anno 783. Sub isto cœperunt Moravi & Germani Bohæmiam invadere.

VI *Voricius* Mnathæ filius, Mysos domuit, Moravos vicit.

VII *Wenceslaus*.

VIII *Bela*, anno 832. Hic cum Vratislaum ducem Soyzensem, qui bellum ipsi inferebat, precibus, muneribusque, mollire non posset, prælio vicit.

IX *Nostricius* patri successit anno Christi 873.

Stemma Ducum Bohæmiæ Christianorum, à Borsivogio usque ad Vladislaum primum regem.

X BOrzivogius anno 890. Vxor ei Ludomilla. Quum autem Zwemtopolcus Moraviæ Rex, cui bellum erat adversus Arnulphum Imperatorem, vicinos proceres ad epulum & societatem belli invitasset, solus Borzivogius, non mensæ admotus, sed humi sedere jussus, quod Paganus adhuc esset, motus ignominia & Cyrilli Episcopi pollicitationibus, qui ipsum Moraviæ regem futurum dicebat, si Christo nomen daret, protinus baptizatus est.

XI *Sbitignævus* Patri successit anno 905. Hic Templa exstruxit & Scholas, in quibus inventus Latine docebatur.

XII *Vladislaus* fratri successit, anno 907, quo defuncto uxor Drahomira Pagana Christianos afflixit, & socrum suam Ludomillam piam fœminam, submissis sicariis, occidit.

XIII *Wenceslaus*, qui Sanctus dicitur, matris odiis exagitatus Ratisbonæ Comitiis interfuit sub Henrico Imperatore, anno 923. Frater Boleslaus eum in templo trucidavit.

XIV *Boleslaus* I, fratricida, anno 929 à Moravis, Hungaris, Ottone I, Imperatore, bellis petitus est.

XV *Boleslaus* II patri longe dissimilis, Mitis à moribus dictus fuit. hic Christianam religionem in Bohæmia valde promovit, evocato Ditmaro Saxone Episcopo. Congressus cum Paganis non aspernatus est auxilia Iudæorum, quibus post victoriam ob egregie navatam operam Synagogam Pragæ concessit, eo quo adhuc conspicitur loco.

XVI *Boleslaus* III anno 999, bellum gessit cum Boleslao Polono: quo Cracoviam, quæ antea Bohe-

Bohæmorum juris fuerat, amisit. Eum hostis oculis privavit.

XVII *Iaromirus* Boleslai III filius, anno Christi 1003.

XVIII *Vdalricus* educatus in aula Henrici II Imperatoris, Iaromiro successit anno 1004. Hic villici cujusdam filiam uxorem duxit, quæ Beatrix dicta est.

XIX *Predislaus* Vdalrici filius, anno 1026 post patrem Bohæmiæ præfuit.

XX *Sbitignævus* II Predislai filius, homo inquies, Germanos Bohæmia expulit, ne matre quidem excepta.

XXI *Vladislaus* anno 1061 fratri successit. Hic Moguntiaci ab Henrico IV cunctis Principibus suffragantibus primus Bohæmiæ rex creatus est, corona manibus Imperatoris ipsius capiti imposita.

XXII *Conradus* Dux, Vladislai frater.

XXIII *Predislaus* II Dux.

XXIV *Borzivogius* Dux.

XXV *Suentopolcus* Dux.

XXVI *Vladislaus* Dux.

XXVII *Sobieslaus* Dux.

XXVIII *Vladislaus* II. hic pontem Pragensem exstruxit. Rex quoque factus est.

XXIX *Sobieslaus* Dux.

XXX *Fredericus* Dux.

R E G E S.

I *Vladislaus* ab Henrico IV ex Duce rex primus (ut jam dictum) Bohæmiæ appellatus.

II *Vladislaus* Dux vigesimus octavus, postea rex Bohæmiæ factus est à Frederico I, anno 1159.

III *Primislaus* I à Philippo Romanorum Imperatore rex factus est, qui potestatem quoque Bohæmis dedit proprios reges deligendi.

IV *Wenceslaus*, dictus quoque Ottocarus, obiit anno 1242.

V *Primislaus*, II vir potens, excelsi animi, bellicosus, dux Austriæ, Styriæ, &c.

VI *Wenceslaus* II, vix octennis patrem amisit, datus in tutelam Ottoni Marchioni Brandenburgico.

VII *Wenceslaus* III, vivo patre rex Hungariæ factus, successit defuncto ei in regno Bohæmiæ. Sed cum per ludum & ebrietatem vitam transigeret, Olomucii à sicario confossus periit, annum agens decimum octavum, anno Christi 1306.

VIII *Rudolphus* Austriacus Alberti Imperatoris filius, accepta Elisabetha Wenceslai vidua in uxorem, anno Christi 1307 electus est in Bohæmiæ regem contra Henricum, obiitque eodem anno in castris.

IX *Henricus*, Tyrolis & Carinthiæ Princeps, factus est Bohæmiæ rex contra Rudolphum Alberti Imper. filium.

X. *Ioannes* Lutzelburgicus Henrici VII Imp. filius, Rex Bohæmiæ factus est anno 1310, pulso Henrico.

XI *Carolus*, ante Wenceslaus dictus, nomen illud accepit à Carolo Galliarum rege, apud quem fuit educatus. Hic anno Christi 1348 novam Pragam condidit, Academiam ad exemplum Parisiensis formavit.

XII *Wenceslaus* Caroli filius, Ioannis nepos, cognomentum Ignavi ex re habuit. fuit enim vecors & plane dissolutus, ob eamque causam imperio motus. Mortuus est Pragæ in mediis furoribus concitatæ plebis Hussiticæ, correptus paralysi anno vitæ 57, Christi 1419.

XIII *Sigismundus* fratri Wenceslao suffectus est primum in Imperio, postea etiam in regno, sed fratri dispar, Hungariæ quoque Rex factus est. desiit vivere anno 1437 septuagenarius.

XIV *Albertus* Austriacus, post Lutzenburgicus, rex Bohæmiæ factus est, ducta Elisabetha Imperatoris Sigismundi filia. Extinctus est anno 1439.

XV *Ladislaus* Alberti posthumus patri in regnis Bohæmiæ & Hungariæ successit, simul atque tutela egressus est anno 1453; permisitque suis civibus, ut sive sub una, sive sub utraque specie sacram Cœnam sumerent, prout à Synodo Basiliensi fuit decretum. Extinctus est Pragæ in ipso nuptiarum apparatu, quæ cum Caroli Galliarum Regis filia adornabantur, anno ætatis 17, Christi 1456, non sine suspicione veneni.

XVI *Georgius Podiebracius* ob egregias virtutes, quas, dum minorennis adhuc esset Ladislaus, in gubernatione regni ostenderat, Rex factus, dignum se eo loco ostendit. Multa ipsi fuere cum Papa Eugenio certamina; Matthiam Corvinum, quem captivum tenebat, dimisit in regnum Hungariæ, data etiam ipsi filia sua Maria in conjugem, exstinctus est hydrope anno 1471.

XVII Georgio statim successit *Vladislaus*, Casimiri regis Poloniæ filius primogenitus. Obiit Budæ anno 1516.

XVIII *Ludovicus* post patrem rex factus Bohæmiæ & Hungariæ, infeliciter cum Solymanno ad Mohatium pugnans cecidit, anno Christi 1526, lapsus in paludem, & ab equo oppressus.

XIX *Ferdinandus* Austriæ Archidux, frater Caroli V, Imperatoris, obiit anno 1564.

XX *Maximilianus* vivo adhuc patre rex coronatus est Pragæ anno 1562, die 20 Septemb.

XXI *Rudolphus* vivente patre Maximiliano rex Bohæmiæ designatus & coronatus est. Obiit anno 1612.

XXII *Matthias* Rudolpho Imperatori fratri suo successit.


XXIII Post Matthiam Ordines regni primò *Ferdinandum* II, deinde *Fredericum Palatinum* regem Bohæmiæ coronavere. Verum, bella ipsi movente Ferdinando Austriaco prædicto, pulsus regno Fredericus, & mox Palatinatu quoque à Spinola exutus, in Hollandiam concessit.

XXIV *Ferdinandus* II Imperator, obiit anno 1637.

XXV *Ferdinandus* III Imperator, Ferdinandi II filius, obiit anno 1657.

XXVI *Leopoldus* Imperator, filius Ferdinandi III, hodie feliciter regnat.

GLATZ COMITATVS.



INter nobiliores Silesiæ Comitatus, non infimus fuit Glacensis, vulgo Glatz, sui quondam juris, sed Boleslaus Comes Munsterbergensis & Glacensis vendidit Comitatum hunc Glacensem Ioanni Lucenburgio, Bohæmiæ Regi, anno 1326. Porro Ioannes, ab Henrico Principe Vratislaviensi, qui à fratre Boleslao oppugnabatur, in defensionem vocatus, dono dedit Henrico Comitatum Glacensem, ea vero intentione, ut & Vratislaviam ad se traheret, quod & effecit, nam Henricus improles moriens, eum hæredem constituit, atque exinde Reges Bohæmiæ gaudent titulo hujus Comitatus.


Populi veteres. Populi veteres fuere Quadi, uti & in tota Silesia: istis successere Slavi, gens Sarmatica, generali nomine Poloni dicti.

Termini. Comitatus hic undique amœnissimis cingitur montibus, quibus à cæteris sibi conterminis regionibus discluditur. *Montes.* A meridie enim sunt montes *Sudeti* & Niviferi, ubi altissimus monstratur mons nivis, vulgo *Schneeberg*, ad cujus pedem fons Nissæ fluvii scaturit. Est & alius versus orientem mons eminens, quem *Wiesenberg* incolæ dicunt, inter quem & supradictum maxima copia est ferarum, atque adeo locus venatione admodum frequens. Terminatur porro & alio monte ad orientem, vulgo *Der Gulden Esel*, quasi Aureo Asino, ita dicto ab auro & argento quod hic effoditur. Ad Septentrionem montem habet Bojemicum, vulgo *Bohemsberg*, & Argenteum, *Silberberg*. Ad occasum autem Riphæis Gigantæisque montibus clauditur. *Fluvii.* Fluvii præcipui, Nissa, Steina, Biela, & Weistriz magnam piscium copiam suppeditant. *Nissa fl.* Nissa, vulgo *Neisse*, in Comitatu hoc ortus, lambens urbes *Mittelwalde*, *Habelswerde*, *Glatz*, *Wartha*, *Richenstein*, *Nissam* fluvio cognominem, *Laubenam*, & fluvios *Steinam*, *Bielam*, & *Weistritz* secum vehens, labitur ad Schurgastum in Oderam. *Ager.* Arva, agri, & camporum planities, pecoribus & frugibus omnigenis abundant. Horti amœnissimi fructus arboreos, olera, & alia naturæ beneficia mira copia subministrant.

Metropolis. Primaria & Metropolis hujus Comitatus est GLATZ, à qua tota regio denominatur, jucundissimo tractu sita, & pulcherrimarum domuum nitore splendida. Arce in vicino colle posita fulget munitissima. Ex hac civitate prodiere viri omni doctrina & eruditione præditi; inter quos David Origanus, qui Ephemerides composuit; & Nicolaus Henelius, qui Silesiæ & Vratislaviæ Geographiam edidit, Francosteinii natus, claruere. Ante annos complures turris supradictæ arcis nitrati pulveris plena, & fulmine incensa, miserabilem urbi cladem attulit, saxis vicinas ædes destruentibus: qua clade liberalitate plurimorum Dominorum absterse, ad pristinum vigorem restituta est.


COMITATVS GLATZ
Authore Jona Sculteto.
Milliare Germanicum commune.
Oriens
Occidens
Septentrio
Meridies
Notæ
PARS DVCATVS MONSTERBERGENSIS
Confinia Ducatus Grotkaviensis
DVCATVS BERGENSIS Nimptsch PARS.
DVCATVS SCHWIDNICENSIS PARS.
MORAVIÆ PARS.
BOHEMIÆ PARS.
BOHEMIÆ REGNI CONFINIA.
Monsterberg
Franckstein
Glatz
Habelswerd
Landeck
Neurode
Wunschelburg
Reinertz
Braunau
Reichenbach
Silberberg
Schnellenstein
Mittel Walde
Der Schneeberg
Der Wessenberg
Alt Stad
Ruckers
Krulich

5.



SILESIA DVCATVS.



Veteres Incolæ.

SILESIA Quadis olim Marcomannorum & conterminis & sociis habitata fuit. Gens utraque bello celebris, & manibus animisque valida: Romanos illos rerum dominos, varia victoria adeo fatigarunt; ut primus omnium M. Antoninus Imperator orbis terrarum consensu Philosophus cognominatus, Christianorum militum precibus victoria divinitus impetrata, triumphum de iis emeruisse duxisseque legatur. Quadis successerunt *Slavi*, gens Sarmatica: qui quodam tempore prægravantem domi multitudinem ductis coloniis exonerare adgressi, cum transmisso Vistula flumine in ea Germaniæ loca, quæ prius Vandali tenuerant, immigrassent, hanc etiam Quadorum sedem occuparunt: generali nomine *Poloni*, sive à *Pole*, quod vocabulum planiciem & venationem significat, sive à *polo*, Aquilonio nimirum, cui regio subjecta, sive denique à primo Duce auctoreque suo *Lecho* vel *Lacho*, quasi Polachi nuncupati. Generali inquam nomine: neque enim vocabulum aliud reperire est, quo hujus regionis incolæ ante inventum *Silesiæ* nomen vocati: quod quidem recentius esse, & vix à quingentis annis aut paullo amplius usurpari cœptum, certum est. Silesiæ sive Slesiæ à confluxu multorum populorum nomen inditum: Silesii enim sive *Slezaci* quasi convenæ dicuntur, lingua Polonica.

Nomen.

Elevatio Poli.

Silesia porro, si per milliaria computare volueris, longam invenies plus minùs 40 milliaria Germanica, latam 20 & ultra. Si vero ratione cæli ejus longitudinem collegeris, à gradu 32 ferme usque ad 37 protenditur; latitudo autem, sive poli elevatio, summa quidem est graduum ferme 52: ima paullo minor, quam 50. Ita quidem, ut figura ejus non rotunda sit & circularis; sed tetragoni speciem, inæquilateri tamen, præ se ferat.

Termini.

Terminos à Septentrione & Ortu habet Poloniam; à Meridie Moraviam & Hercyniam silvam; ab Occidente Lusatiæ & Bohemiæ partem. Regio universim tum montuosa est, tum campestris.

Qualitas.

Qua Septentrionem spectat & Occidentem, planior est & à montibus liberior: amœnos hic ibi habens colles, interque eos valles non minus jucundas quam frugiferas. Interior Silesia planicies habet amplas, & campos fertiles: suis tamen nec ipsa montibus, iisque non investibus aut sterilibus, sed qui densis vetustisque nemoribus ornati, destituta.

Montes.

Inter quos principis loci *Zabothus* sive *Zottensis mons*, **der Zottenberg** / duobus à Swidnicio milliaribus situs, verticis altissimi & in summo nonnihil lati, subjectaque camporum æquora latissime despectantis, & vicissim longissime spectandi. Passus 1400 in circuitu complectitur, castellumque olim habuit impositum: cujus, quod latrunculis receptaculum præberet, anno Christi 1428 diruti soloque æquati vestigia quædam etiamnum supersunt. Meridiano Soli objacent montes *Sudeti*, à solitudine meridionali sic dicti, quasi **Sudöde** / pars amplissimæ illius vastissimæque Hercyniæ sylvæ: qui ab Hermunduris progressi ab Occasu in Ortum ad Carpathum excurrunt; qua enim Bojemiam respiciunt, quod toto fere anno nive canescant, niviferi, **das Böhmische** / **Riesen** / **oder Schnegebirge** vocantur. In quibus eminentissimus *Gigantæus mons*, **Risenberg** / auro, argento, ære, gemmis gravidus, sed in quem avaritia minus penetravit, deterrita obversantis montani dæmonis terrore, qui varia forma & specie, modo monachi cuculligeri, modo senecionis metallicorum more vestiti, mox equi generosi, iterum galli, corvi, ululæ aut bufonis maximi se conspiciendum offert, mirisque sæpe gestibus ea loca perlustrantibus illudit: vix unquam tamen noxam aut damnum intulisse cuiquam compertus, nisi cachinno prius aut maledicto fuerit provocatus. Is vero tractus, qui Moravos à Silesiis dirimit, *Nissensium* & *Moravorum* montium nominibus gaudet, **das Neissiche**/ **Mährische gebirge**/ item **das Gesencke**. Ab Orientali autem plaga *Carpathi* juga Silesiam tangunt, eamque ab Hungaria & Polonia disterminant, argenti & plumbi nigri egregie fœcunda: **die Vngerischen Gebirge**/ vulgo **Jabelunka**.

Fertilitas.

Regio hæc ut septentrionalior est, ita sterilis, inculta, & silvis horrida pleraque fuit superioribus seculis, ætatis opinor injuria, & incolarum arma magis, quam aratra tractantium incuriâ. Postea autem cum habitatoribus cultior facta esset, silvæ illæ condensæ paullatim rarescere cœperunt, terraque humano cultu & improba industria, sic emendari, ut paucarum rerum ad usum vitæ pertinentium ac necessariarum indiga, multis ad ornatum & voluptatem, Dei pietate indulgentissima, abundet. Frumenta quidem, triticum, adoreum, hordeum, avenam, milium, fagopyrum, & leguminum omnijuga genera magna copia effundit. Soli tamen bonitas non ubique eadem. Commendantur præ aliis soli lætitiâ agri Vratislavienses, Strelenses, Leobschucenses & Giogovienses. Nec tamen desunt etiam viridantia & florifera prata, pascuaque animantibus omne genus enutriendis uberrima: neque non silvis ac nemoribus in planis juxta ac montanis locis sua gratia. Pomaria apud Silesios frequentia & fructuosa, tam in hortis suburbanis, quam in prædiis rusticis. Lino adeo felix est hæc provincia, ut vix locum reperias, in quibus linificia tractari non animadvertas: quæ ob id non modo Provinciæ homines, sed ex-


SILESIA
DVCATVS
A Martino Helwigio Nißense
descriptus.
Milliaria Germanica communia.
BRANDEBVRG MARCHIONAT
POLONIÆ PARS
LVSATIÆ PARS
BOHEMIÆ PARS
MORAVIÆ PARS
Hercynia silva
Occidens
Oriens
Notat
Francfurt
Krossen
Glogaw
Sagan
Gorlitz
Lignitz
Breslaw
Brigk
Oppelen
Ratibor
Teschen
Neisse
Glatz
Troppa
Olmuntz
Krakaw
Peterkaw
Trachenberg
Warten berg
Herschaft
Risenberg
Gesenck
DVCATVS OPPOLIENSIS
DVCATVS RATIBORIENSIS
DVCATVS TESCHINENSIS
DVCATVS OLSNENSIS
DVCATVS LIGNICIENSIS
DVCATVS SCHWIDNICIENSIS
DVCATVS IAVRAVIENSIS
DVCATVS BREGENSIS
DVCATVS MONSTERBERGENSIS
COMITATVS GLACENSIS
DVCATVS CARNOVIENSIS
DVCATVS TROPPAVIENSIS
DVCATVS CROSNENSIS
DVCATVS WOLAVIENSIS

6.

teros etiam homines divitiis atque opibus complent.

Nec vero minorem commoditatem & quæſtum percipit Sileſia ex *rubia ſativa*, cujus præcipuus ad tincturas uſus : quippe qua imbutæ lanæ & melius atque penitius colores quoſdam combibunt, & firmius durabiliusque retinent. *Acorus* item, non multis abhinc annis tam diligenter coli cœpit : ut ad exteros etiam devehatur, magnumque inde cultoribus cedat lucrum.

Vinum. Baccho inimica prorſus non eſt Sileſia. Tametſi ob cœli intemperiem & auram frigidiuſculam minus frequenter vinum colitur : non tamen nullibi videas vites in collibus apricis ad ortum Solis patentibus. In inferiore ſane Sileſia vinum ſatis feliciter provenit : ac bonitate reliquis præferuntur, quæ ad *Croſnam*, *Gubenam*, *Grunbergam* colliguntur, præſertim rubra.

Metalla; Aurum, Metallorum, ſi quæ alia, hæc regio ferax eſt, & auri quidem divite vena olim claruerunt Goldberga, Leoberga, Strigovia: hodie Zuckmantela, Reichenſteinum, & Vallis montis Gigantæi, **der Riſengrund oder Goldgrund:** tum etiam Langenovia, Grunau & Smotzſeiffen, diſtrictus, Hirsbergenſis pagi. Quod quidem Sileſiæ aurum probe excoctum, non inferius eſſe Hungarico, metallicæ rei intelligentia præſtantes teſtantur. Quin aurum quoque ipſum tale ſtatim, quale nativæ venæ ferunt, alicubi eruitur : tenetque fama è fodinis ad Zuckmantelam auri puti fruſta multarum librarum ſæpe fuiſſe Epiſcopis Vratiſlavienſibus allata. Quid? quod & fluvii quidam rivulique Sileſiæ arenas cum auri ramentis impetu aquarum à venis abraſis permiſtas alicubi provolvunt, ut *Cattus*, *Boherus*, *Zacus*, *Iſara*, *Goldbach* prope *Gryphibergam*, *S. Georgenbach ad Hirsbergam*, prætereaque torrentes nonnulli in Lignicenſi, Iauravienſi, Swidnicenſi & Niſſenſi Ducatibus : ubi hodieque ramenta auri puri & optimi, utpote curſu ipſo triti atque perpoliti ab aurilegulis lavantur.

Argentum, Argentariis celebrantur Silberberga, Bithonia, Tarnovitium, Reichenſteinum, Gotsbergum, Ditmansdorffium, haud procul Swidnicio, Smotſſeiffen, Ziſchdorſium, Gabela pagus ad Landeshuttum, Iſaræ pratum, mons Gigantæus, & alia loca. *Æs,* Æris venas olim Goldberga, hodie Cupferberga, Altſtadium Ducatus Niſſenſis, Zuckmantela, Gotsbergum, Gieren & Querbach ad Quiſſi fluvii fontes oſtentant. *Plumbum,* Plumbi candidi, quod κασίτερον Græci vocant, unde Caſſiterides inſulæ, adparent venæ in ſubditorum tractu ad eoſdem Quiſſi fontes veluti in Gieren, Querbach, Vlrichsdorff. Plumbi nigri Tarnovitium ferax, ubi ex terra flava liquatur. *Ferrum.* Ferrum pluribus locis ſilveſtribus ingenti copia non ſine uberrimo poſſeſſorum fructu & foditur; & ad id excoquendum atque elaborandum magna vis lignorum quotannis abſumitur. Quod ad Sagum oppidum, è pratis eruitur foſſis ad altitudinem bipedaneam actis (nec enim propter abundantiam aquarum altius agi poſſunt) decennio renatum denuo fodi non aliter ac Iluæ ferrum, Georgius Agricola ſcribit.

Stibium, (quod antimonium officinæ vocant, Altſtadii excoquitur. Chalcanthum ſive vitriolum, perſpicuitate vitrea vulgo ſic dictum, in Gigantum valle, Schreiberau, Zuckmantela, Cupferberga in viridem lapideamque duritiem ex pyrite atramentoſo decoquitur : Wolaviæ etiam cæruleum ex melanteria: Tarnovitii item ex ſcoriis plumbi: ut & lithargyrium. Ne quid hic de lazurio, chryſocolla, auripigmento ſive arſenico, minio, alumine, ſulphure, & ſimilibus dicam foſſilibus.

Latumiæ. Latumiæ, marmor, ſaxa calci conficiendæ apta & lapides lithanthraces, Germanis **Steinkolen**/ plurimis in locis effodiuntur.

Cotes ferramenta exacuenda in latumiis Leobergæ, Goldbergæ, & Naumburgi ad Quiſſum exciduntur. Nec *vitriariæ* deſunt fornaces & officinæ. Ad Strigam Ducatus Suvidnicenſis oppidum in fodinis montis acuti ſive D. Georgii terra ſubrubra, per Ioannem Montanum Medicum primùm reperta, duras inter rupes eruitur, ſummaque diligentia in orbicularem formam, probatæ notæ ſigillo impreſſo (unde *ſigillatam* vocant) præparatur, ejuſdem coloris virtutiſque, cujus quæ Lemnia dicitur, raroque in officinis habetur legitima. In Ducatu Lignicenſi ſigillata etiam candida generatur, & ipſa non exigui in Medicina uſus.

Pleriſque locis in monticulo, quem **den Toppelberg** vocant, ollas effodi ajunt, & aliarum figurarum vaſa fictilia prope madida molliaque, in aërem autem prolata indureſcentia. Conjectantur olim ſepulturas illic gentilium fuiſſe : qui cum urnis carerent, ollas interim cum cinere, igne, favilla & reliquis inſtrumentis ex rogo relictis tumulo condiderunt, mediaque inhumarunt arena. Vnde longinquitate temporis factum, ut madente terra aſſiduo humore ollæ liqueſcant, & ſi parum caute eximas, non niſi lutum atque argillam retineas : ſin cautius & diligentius rem agas, aëris ſiccitate indureſcant, & naturam priſtinam, qua à figulo formatæ, retineant. Habet & hæc noſtra regio lapillos precioſos ſive gemmas, quæ cum alibi, tum ad ripas interque arenas torrentium & rivulorum è montibus præcipitantium paſſim reperiuntur, & pulcerrimæ quidem in Iſaræ prato, minori maxime ad Bojemiam jam ſpectante lavantur. Sed & Quiſſi arenoſa littora conchulas alunt, è quibus Margaritæ eruuntur : quæ extra conchas etiam elegantiſſimæ ac pulcerrimæ in arena ſæpe leguntur.

Sal foſſitium ſeu nativum Sileſia non habet, nec flumina ac fontes gignendo ſale fœcundos. Vtitur igitur adventitio, ex vicina Polonia & Saxonia importato. Halonitri plena multis in locis terra eſt. *Animalia.* Feris omnis generis ad uſus & delicias hominum refertiſſima eſt; quibus ob id vivaria etiam dominicis habitationibus vicina paſſim poſita videmus: Ex his quædam in cibum idoneæ, ut cervi, capreoli, lepores, cuniculi quoque alicubi : quædam cibo fere inutiles, conficiendis exornandiſque veſtibus pelles, piloſque ſubminiſtrant, ut lupi, vulpes, urſi, muſtelæ, hermellini, ictides, martes ſive mardures, taxi, lutræ item; & Caſtores ſive fibri ἀμφίβια, hoc eſt, duplicis vitæ animalia.

Quadrupedum domeſticorum, rei pecuariæ & volatilium omni genere abundat. Præter cohortales autem & villaticas, anſeres, puta, anates

columbas,

columbas, pavones, gallinas domesticas pariter & Meleagrides, nostri Indicas & Calecutenses adpellant, ad aucupia invitant, mensamque preciosis epulis opulentant anates feræ, quarum plurima ob piscinarum, lacuum & fluviorum frequentiam, genera, attagenes sive bonosæ, perdices, scolopaces, quas Plinius rusticulas, Martialis rusticas perdices, nostri *Sneppas* vocant, gallinæ montanæ, urogalli, fulicæ, glareolæ sive gallinulæ palustres, quarum plures item species, anseres feri, otides (*Trapganze* vulgo) columbæ montanæ, palumbi, turtures, grues, phasiani, coturnices, sturni, merulæ, & qui prima inter aves gloria, turdi. Atque ut de rapacibus illis alitibus, aquilis, accipitribus, falconibus, milvis, ardeis, onocrotalis, bubonibus, noctuis, & mille aliis nihil dicam: minorum quoque avicularum ingens est copia, ut lusciniarum, alaudarum, carduelium, ficedularum, rubecularum, rubicillarum, regulorum, parorum, galbularum, fringillarum, bombycillorum, luteolarum, corvirostrorum, embyrizarum.

Fluvii. Fluviis Silesia irrigatur quamplurimis: quorum pauci quidem ratium patientes, plerique tamen lectissimorum piscium copia ac varietate celebres, tum molas & machinas frumentis frangendis, lignis secandis, chartis conficiendis, subigendis eluendisque pannis versant innumeras. Inter eos autem primo loco jure merito censetur Odera sive Viadrus, **Oder**, tum quod magnitudine sua præ reliquis conspicuus, tum quod inter Germaniam ac Poloniam limes olim habitus. Oritur hic in confinio Moraviæ & Silesiæ, & per hanc, perque Marchiam inde ac Pomeraniam ulteriorem permeans, infra Stetinum auctior aquis factus, nomine ubique suo, in Venedicum Sinum irrumpit. Currens Ostram, Elsam, Oppam, Nissam utramque, Olam, Stobram, Weidam, Bartham, Boberum, aliaque minora flumina in se recipit atque exhaurit: & Oderbergam, Ratiboriam, Cosiam, Oppoliam, Bregam, Vratislaviam, Leubusium, Stinaviam, Kobenam, Glogoviam, Beuthenam, Crosnam, Francofurtum, Grippenhagen & Stetinum, urbes oppidaque non ignobilia præterfluit: agris vicinis non inutilis, & piscosus affatim. Post Viadrum præcipui sunt, qui sequuntur: *(Viadrus.)*

Boberus. Boberus, **Bober** / Slavis castorem sonans, nascitur juxta Schetzlariam, in Suidnicensi & Iavoriensi Ducatibus, supra cognominem sui vicum **Bober** & Landishuttum, Cupferbergam, Hirsbergam, Lebnum, Leobergam, Boleslaviam, Sprottam, Saganum, Naumburgum oppida delapsus, ad Crosnam fluviorum convenarum auxilio auctus, Viadro immergitur. Zacus, **der Zack** / Slavis **Zakako** / id est, rivulorum constillatio, ex Sudetis montibus originem trahens, multis stipatus rivulis thermis Hirsbergensibus visis, ad Hirsbergam ipsam Bobero se immiscet. *(Zacus.)* Quislus, **der Queiß** / limes Silesiæ Lusatiam versus, montanis supra Gierengagum venis plumbi candidi celebrem erumpens, Fridebergam, Gryphimontinum, Lauubanum, Namburgum oppida attingit, & prope Saganum Bobero inseritur. *(Quissus.)* Cattus, **die Katzbach** / qui anno 1608, 4 Non. Iunii prodigiosa inundatione ita excrevit, ut horstis & agris fœdum in modum devastatis, hydromylis, horreis, casis aliisque ædificiis quamplurimis quassatis, non modo innumera jumentorum ac pecudum multitudo perierit, sed & homines plusquam 120 tristissima morte vitam finierint. *(Cattus.)* Nissa, **die Neiß** / qui è Lusatia promanans Pribusium, Soraviam, Muscam, Sommerfeldam, Gubenam attingit; inde Viadrum ingreditur. *(Nissa.)* Nec tacere possum Vistulam, **die Weichsel** / dominum & decus omnium eorum amnium, qui Boream versus per Sarmatiam feruntur. Exoritur autem in Ducatu Teschinensi, & exinde statim in Poloniam lapsus, ea pervagata ad Gedanum in mare Balthicum exoneratur. *(Vistula.)*

Lacus. Lacus in Silesia non pauci: Inter eos non postremi loci sunt Cunicensis, Slavacensis, Culmensis, Breuningensis, Swibocensis Nastich dictus, & alii: Gigantæo monti lacus adjacent bini: quorum major occiduus, montibus à Meridie altissimis perpetuaque nive rigentibus, ex parte autem Septentrionali scopulis minus altis circumdatur. Aqua ipsa nigricat dira & ferruginea facie, immensæ profunditatis: nullos alit pisces, nec aliud quidquam vivens. Minor, orientalior & depressior, in quem multæ aquæ ex montibus decurrentes ingrediuntur. Trutis abundat maximis, nigricantibus prorsus, sed optimi saporis ac probi succi.

Piscinæ. Piscinæ insuper arte manuque factæ, iis permultæ & tam grandes, ut veterum piscinæ ad istas comparatæ nugæ videantur & imagines muscarum.

Pisces. Piscium porro, quos Silesiæ alunt aquæ, genera, opsophagus aliquis melius tibi commemoraverit: & in iis præcipue, lupos sive lucios, carpiones, percas, luciopercas, prassios sive bramas, carassios, cirtas sive certas, erythrophthalmos, alosas, thymallos, siluros, nasos, mustelas sive lacertos, capitones, albiculos, alburnos, squalos, spinachias, & virides, vulgi solatia, tincas: tum mensarum delicias trutas sive fariones auratasve, salares, anguillas, mullas, sive barbos, gobiones, fundulos, & alios complures: murænæ, quas Poloni suluizas & saluizas & sulares vocant, in lacu Swibocensi, qui Marchiæ fines attingit, capiuntur. salmones & sturiones, quos acipenseres Antiqui dixerunt, è mari Pomeranico in Oderam statis anni temporibus penetrant, & obstacula transilientes circa Beuthenam, Glogoviam, Stinaviam, & Vratislaviam, insidiosis capsis collocatis capiuntur. Neque hic omisero, quod mirum omnibus visum, in piscina quadam Baronatus Trachenbergensis ante annos haud ita multos repertum fuisse lucium albidi coloris, longitudine cubiti unius & semissis, pinnis, notis, maculisque per corpus rubentibus: qui quidem sæpe captus & iterum atque iterum in piscinas injectus, nunquam colorem mutavit.

Fontes aquæ vivæ. Fontes aquæ vivæ innumerabiles: nec desunt etiam calidarum aquarum salubres & uberrimæ scaturigines: quæ,

Sive bitumineæ rapiunt incendia vires,
Luteave exiguis ardescunt sulphura fumis:

fit ut eorum ardore incalescens tellus, fervidum vaporem in superiora emittat loca: quo offensi

vicini fontes efferveſcunt inter venas ſuas, atque ita profluunt calidi: incorrupto interdum ſapore, ſi remotior ab ignis pabulo fontium ortus. Quod ſi vero per ipſa loca ſulphure aliave materia plena fluant aquæ, non calorem modo illius contactu, ſed & ſaporem atque odorem contrahunt, quas variis corporum morbis curandis efficaciſſimas eſſe, multis experimentis cognitum eſt.

Incolarum Indoles.

Cœli atque aſtrorum interpretes Sileſiam Virginis & Mercurii tutelæ ſubijciunt. Huic cœli conſtitutioni Curæus ingenia Sileſiorum reſpondere ſcribit. quippe quæ ut plurimum media ſint inter ſanguinea & melancholica: ideoque plerumque in illis, qui doctrina & uſu non ſunt exculti, naturalem quandam triſtitiam, moroſitatem, vel ſubagreſtem quendam pudorem cerni. Verum ſi accedat cultura ex liberali inſtitutione & aſſuefactione, ingenia eorum hominum non ſolum optime eſſe omnium artium capacia, verum etiam accipere elegantem quandam dexteritatem ad res magnas efficiendas. Si addam bellicoſos eſſe Sileſios, & ad conſerenda prælia depoſcendaque pericula audaces, ſed ſine mala malitia, mente candida & ſimplici, magiſque falli quàm fallere aptos, nihil opinor falſi dixerim. Eaque res haud dubie occaſionem dedit fabulæ illi vulgo decantatæ de Aſina à Sileſiis pro magna leporum matre devorata. Quod ſi quis adhuc eſt, qui ridicula illa exprobratione delectetur, is tribus verbis reſpondentem ſibi optimi genii & ingenii Poëtam audiat:

Dicis Grille, Aſinos Sileſia devorat omnes.
Si verum eſt, ne te devoret illa, cave.

Color hominum ſubrubicundus; ſtatura mediocris: habitudo corporum optima: membrorum ac lineamentorum compoſitio elegans: tum naturalis quædam formæ bonitas: in feminis præſertim & puellis, quæ formæ genuino & non fucato nitore lacteoque candore gentes finitimas provocant: ut jam olim auctor magni Chronici Noribergenſis *ſexum femineum in Sileſia venuſtum & affabilem*, ſalva tamen pudicitia, ſcripſerit.

Iuventutis educationem quod attinet, ad pædagogia & magiſtros mares liberos mittere, & primis literarum elementis imbuere, pauperibus æque ac locupletibus, nobilibus ac plebeiis ſtudium eſt. Puellæ etiam nobiles & urbanæ vel in ſcholis vel domi vernacula lingua legere, literas pingere & numerare diſcunt. Adultiores, puellæ quidem, rei familiari & ſexui conſentaneis artificiis, qualia ſunt nere, acu pingere, texere, coquere, &c. manus admovent. Niſi quod alicubi etiam materculæ reperiantur, quæ filias ſuas, quas ἀλγηδόνας vident eſſe ὀμμάτων, ne forte maciem contrahant, & faciei ſibi pravitatem affricent, ab omnibus laboribus & curis domeſticis ſtudioſe ſubmovent atque arcent. Mares vero vel ad doctrinarum ſtudia, quibus Eccleſiæ ac Reipublicæ eſſe quandoque uſui poſſint, admoventur, vel militiæ, aut mercaturæ, aut agriculturæ, aut opificiis mechanicis aliiſque manuariis artibus, aut Principum denique & procerum miniſteriis (μία γὰρ οὐχ ἅπαντας ἄμμε θρέψει μελέτα, nec naturæ tantum ſemina, ſed etiam
Fortunæ ſequitur munia quiſque ſuæ) ſeſe addicunt: complures etiam, præſertim nobiles ac ditiores, variorum populorum rerumque publicarum moribus & inſtitutis coram intuendis noſcendiſque lares paternos deſerunt, & magnam ſecum doctrinæ copiam & optimarum rerum uſum ex peregrinationibus collectum domum referunt.

Sunt autem docilia Sileſiorum ingenia, neque mechanicarum magis quam liberalium artium capacia: majores quidem noſtri Marti magis quam Phœbo dediti, & doctrinæ ſtudia parum fuere culta. Avorum autem & noſtra ætate doctorum virorum ſummaque eruditione, variis artibus & diſciplinis præſtantium magna copia.

Victus.

Rem familiarem Sileſii diligentiſſime curant: Victus mundior & elegantior, quin etiam parabilior, quam inter alias gentes. Plebis urbana & agreſtis domeſticarum pecudum carne, lacticiniis, oleribus, & pane cum hordeaceo tum ſiligineo victitat. Vrbanis ditioribus & nobilibus ampliora prædia poſſidentibus victus dapſilior & precioſior, & hanc etiam provinciam ſumtuoſus exterorum luxus nonnihil contaminavit. Priſcus & promiſcuus Sileſiæ potus eſt, Cerebibia vel Cereris vinum, *Cereviſia* vulgo & *Zethus* indiſcriminatim appellatur, atque ex tritico hordeove primum ad regerminationem madefacto liguliſque enatis torrefacto (βύνην Græci, noſtri *Malzam* vocant) tum aqua cum lupulo decocto, magnæ probitatis multique nutrimenti conficitur. Inter triticeos præcipuam laudem habet cereviſia *Vratiſlavienſis*, quæ Scheps vulgo adpellatur: Potus enim ſapidus, gratus & jucundus, nec ſiti magis ſedandæ, quam robori & ſalubritati quærendæ, præſertim ubi lupulo ſalictario bene fuerit temperatus: qui eam ob cauſſam plurimus ad vicinos etiam aſportatur. Hordeacea cereviſia menſe Martio utplurimum coquitur, & ſine acoris vitio per integrum annum, imo plures etiam ſervari poteſt. Cujus rei cauſſam ſunt qui referant ad primi veris vim, atque ſingularem efficaciam. Vino olim pauci, & non niſi elegantiores utebantur: nunc nemo non abutitur: ex Hungaria præſertim, Auſtria & Moravia advecto. Mel quoque cum lupulo aqua decoctum (*Medonem* vulgo vocant, Plinius hydromeli & aquam mulſam) in frequenti uſu eſt. Ex pirorum etiam & pomorum vinoſo ſucco multis in locis fictitium vinum conficitur, quo plurimùm tenuiores utuntur, quamvis ſit, ut id genus alia, & frigidum, & flatulentum. Sed & vini ſublimati, quod ex vini fæcibus vel ex frumento eliquatur, frequens eſt in Sileſia potus, ex quo quidem nobiles in ſuperiore præſertim Sileſia luculentos proventus percipiunt.

Cæterum compotationes in Sileſia frequentiores: ubi quidem portentoſa pocula exhauriri videas, & ſollicite legem illam Græcorum obſervari, *aut bibendum aut abeundum*. Idque non magis in cauponis, ad quas vulgus compotandi cauſſa convenire ſolet, quam in procerum conviviis, & quibuſcunque fere conventibus.

Veſtes.

Veſtitus ratio eadem fere in Sileſia eſt, quæ in reliqua Germania, hoc eſt, neque una, neque certa. Sæpe quippe pro tempore variatur cum qualitate, tum forma & ritu. Eum autem in modum à paucis annis,

annis, in corporis cultu & veſtitu luxus invaluit, ut nec is ullis videatur legibus coërceri poſſe: apud ſequiorem potiſſimum ſexum, qui maxime hic modum excedit. Erga advenas & peregrinos Sileſii perquam humani & benigni: optimisque moribus hoc ab iis impetrarunt, ut cum hic habitare cœperint, alia in patria ſe natos eſſe obliviſcantur. Quæ quidem præclara omnino laus eſt; non ob id continuo Sileſiæ deroganda, quod unus forſan & alter homines nequam & improbi illam negligant. Magna ſunt iiſdem variarum rerum tam inter ſe quam vicinis cum gentibus commercia, quibus frumentum præcipue, piſces, cereviſiam, caſeos, lanas, linum, pannos laneos lineoſque, alutam, mel, ceram, rubiam tinctorum, acorum, plumbum, ferrum, lithargyrium, arma, &c. communicant.

Merces.

Lingua. Idioma quod attinet, quemadmodum originis & nominis communione, ita etiam linguæ ſocietate gens Sileſiaca cum Polonis olim conjuncta fuit. Poſtea vero quam Germanorum coloniæ in Sileſiam deductæ, ipſa denique à Polonia avulſa fuit: Germanici etiam ſermonis uſus prævaluit. Quamvis oppida pene tota & pagi pleni, ultra Viadrum præſertim, iſta etiamnum ætate mordicus retinentium ſermonem Slavicum: nec deſunt, quibus in uſu Bojemicus, à Polonico, ſi pronunciationem & dialectum excipias, parum diverſus.

Religio. Religionem Chriſtianam Sileſia deorum ſuperſtitione olim occupata anno poſt natum Chriſtum 969 Ioanne XIII, Romæ ſedente amplecti cœpit: idque opera Miciſlai Polonorum Principis, qui tanta religionis Chriſtianæ propagandæ cupiditate flagravit, ut novem ſtatim diverſis locis baſilicas ſupellectili omnis generis precioſa ornatas, & cenſibus ac poſſeſſionibus locupletatas ædificaverit: & inter has etiam in Sileſia Smogorovienſium cathedram: quæ ſubſequenti tempore Bicinam, tandem à Caſimiro Polono Miciſlai II F. Vratiſlaviam tranſlata eſt: inſula urbi vicina ad Oderam ſita, Epiſcopo & collegio ſacerdotum attributa.

Præter Epiſcopatum autem alia quoque collegia canonicorum, ut Vratiſlaviæ ad D. Crucis & D. Ægidii, in majore & minore Glogovia, Niſſæ, Oppoliæ, Ratiboriæ atque alibi inſtituta ſunt, reditibus ampliſſimis Principum liberalitate aliorumque fidelium prompto ſtudio cuique attributis. Præterea monachorum quam plurimi ordines, ut veſtibus ita & regulis inter ſe diſtincti: multiplices nonnarum ſive monialium cœtus: domus hoſpitales, & id genus conventus alii: quorum antiſtitibus ducales nonnullis opes, omnibus vero ad liberaliter ac ſplendide vivendum magna facultas datur. Ne quid de plebanis, parochis, ſive curionibus dicam, aliisque minorum ſacerdotiorum curatoribus.

Epiſcopum porro ſuffragiis communibus deligunt ſodales ſive Canonici Collegii D. Ioannis: hactenus tamen, ſi & Bojemiæ Regis accedat conſenſus: à quo electus & regalium, quæ habet, inveſtituram petere, & homagium illi atque fidelitatem, tanquam Princeps & vaſallus Ligius, præſtare tenetur. Eligendus autem eſt non niſi è Bojemis, Moravis, Sileſiis aut conjunctis regno Bojemiæ provinciis, qui quidem hoc munere dignus ſit. Sic enim in celebri illa transactione Colowratenſi facta Anno Chriſti 1504, inter alia convenit. Quanquam ab hoc transactionis capite aliquoties receſſum eſt.

De beneficiis Eccleſiaſticis, quorum diſtributio ad Epiſcopum, Principes, Collegium, & alios quoſcunque pertinet, in eadem transactione pariter cautum eſt: ne aliis quam indigenis regnique Bojemiæ & conjunctarum provinciarum incolis, qui quidem eo munere & honore reperiantur digni, conferantur. Sed hoc quoque transactionis caput non ſemel eſt violatum.

Abbatum & Præpoſitorum eligendorum jus Collegia Monachorum in Sileſia hactenus retinuerunt. Tametſi enim decreto Concilii Tridentini collegia Monachorum Epiſcopis ſubjecta ſunt: Gregorius tamen XIII, P. R. iſtius provinciæ monachos Epiſcoporum poteſtati exemiſſe fertur. Itaque eliguntur nunc Abbates & Præpoſiti ſine Epiſcopi aſſenſu, quanquam conſecrationes ab eodem accipiunt, quod ipſum tamen non æque ab omnibus obſervatum conſtat.

In moniales plus habet Epiſcopus poteſtatis. In eligendis enim Abbatiſſis jus ſuffragii habet: & ſi moniales forte in electione diſſentiant, ſuo voto controverſiam dirimit.

Hoc plane ſingulare eſt, quod Abbatiæ & monaſteria in hac provincia pleraque in patrimonio Principis ſeu Regis Bojemiæ cenſentur, **werden für Cammergüter gehalten.** Itaque cum lis aliqua eis movetur, Cæſareus fiſci Advocatus ipſis præſto eſt, qui operam dat, ne quid res Principis detrimenti capiat. Defungentium Antiſtitum bona non Eccleſiis neque cognatis, ſed fiſco regio ſive Cameræ cedunt: quæ ob id mortuo Abbate vel Abbatiſſa quamprimum à fiſco obſignantur, & præſente fiſci Advocato in inventarium rediguntur. Quin etiam ſi quæ neceſſitas incidit, frequenter à Bojemiæ Regibus tributa Abbatibus & Prælatis indici conſueverunt: quam tamen ſubventionem ex charitate ſolum benevolentiaque in Reges, non etiam ex debito proficiſci, vulgo commemorant: quippe qui jus eſſe Regibus in ſacerdotia negant. Atque ex eodem jure etiam illud eſt: quod poteſtatem ſibi Reges uſurpant alendos offerre cœnobiis milites veteranos ſive cauſſarios: qui acceptis bello vulneribus graves annis, & multo jam fracti membra labore, ſonticam cauſſam, cur dimiſſionem impetrent, adferunt, corporis autem artificio vitæ neceſſaria quæritare nequeunt.

Duces. Duces ſuperioribus ſeculis in hac provincia fuerunt plurimi: inter quos cum hæreditas paterna in capita divideretur: factum eſt, ut in multas quaſi lacinias diſcerpta provincia crebris exponeretur bellis, nunc vero ſtirpibus nonnullis morte ſublatis ad pauciores redacta eſt provincia: qui quidem terras habent & dominia non contemnenda. Sunt autem hodie quatuor in Sileſia Principum familiæ: Lygio-Bregenſis & Teſchinenſis, à Piaſto Poloniæ Monarcha, continua ſerie abſque ulla interruptione originem ducentes: quædam poſterius in hanc provinciam aliunde

de velut inſitione quadam tranſlatæ: cujuſmodi ſunt Monſterbergenſis ſive Olsnicenſis, & Brandenburgenſis. Ac Monſterbergenſis quidem è ſtirpe Georgii Regis Bojemiæ: cujus majores è ſtirpe Boſconis Comitis Nidani & Berneccii ad Rhenum: quem Germania relicta in Bojemiam tranſiiſſe illuſtremque Conſtadiorum & Podiebradiorum gentem condidiſſe, conſenſus qua editorum, qua ineditorum annalium habet. Brandenburgenſis ex Zolleriana, Comitum, gente antiquiſſima: quæ ſub Carolo Magno cœpit, à Thaſſilone propagata per 470 annos uſque ad Eitel-Fridericum Comitem in Hohenzollern, qui vixit anno ſalutis 1273, & ex ſorore Rudolfi Habsburgici Cæſaris filium reliquit cognominem Eitel-Fridericum II, primum hujus familiæ Burggravium Noribergenſem, beneficio avunculi Cæſaris: hujus abnepotem Fridericum ob res ſapienter fortiterque domi bellique per Hungariam & Bojemiam atque in imperio geſtas, Sigiſmundus Imp. Conſtantiæ deſignavit primum Marchionem Brandenburgicum, & ſuum in eo principatu ſucceſſorem: à quo tota iſta heroïca Electorum & Marchionum Brandenburgenſium omnium, quotquot hodie Dei gratia in Marchia, Boruſſia, Ducatu Iuliacenſi, Franconia, Sileſia florent, progenies uberrime fruticavit.

Et horum quidem Principum ditiones Sileſiacæ Regibus Bojemiæ clientelari jure obſtrictæ: adeo quidem, ut tametſi jure communi Feuda dignitatum ſint perpetua, & in infinitum transmiſſibilia, hoc tamen in Sileſia deficiente ſimultanea inveſtitura neutiquam obſervetur.

Barones. Baronis vox ordinem Nobilium inter Principes & minorum gentium nobiles, ſive equites, interjectum ſignificat; ſunt autem Barones in Sileſia hac tempeſtate permulti: in quibus præſignis præ reliquis illorum dignitas, qui Baroniarum Liberarum nomine Status provinciæ repræſentant, & inter quos controverſiis de jure προεδρίας ſive ſeſſionis prærogativa compeſcendis D. Ferdinandus Rex hanc legem dixit: ut qui antiquiſſima eſſet familia, reliquos præcederet. Tenent autem hodie dynaſtias illas, Wartenbergenſem quidem Burggravii Donenſes, Pleſſenſem *Promnicii*, Milicenſem *Malzanii*, Trachenbergenſem *Schaff-Gurſchii* Barones. Reliquorum nomina, quæ mihi quidem innotuere, hæc ſunt: *Beßii, Braunii, Curtzbachii, Donati, Kitlicii, Kochticii, Kotolinskii, Logi, Mettichii, Oppersdorfſii, Parchwicii, Proskovii, Rederi, Schonaichii, Sedlnitzkii à Choltitz, Sonneccii, Tſchirnhauſeri, VVirbenæ, Zedlicii.*

Nobiles in ſpecie ſic dicti ſunt equeſtris loci homines, Italis *Gentilhuomini*, Sileſiis vulgo **Junckern** dicuntur, non modo clypeis gentilitiis, quæ Nobilitatis inſignia geſtant, ſed & ſpecialibus titulis à plebe diſtincti.

Magiſtratus Sileſiæ vel Eccleſiaſtici ſunt, vel Seculares.

Inter Eccleſiaſticos familiam ducit Epiſcopus, quem ſequuntur Pro-Epiſcopus ſive Suffraganeus, cujus opera Epiſcopus in ſacrandis templis cæmiteriiſque, ordinandis ſacerdotibus & ſimilibus rebus utitur, Præpoſiti, Decani, Archidiaconi, Scholaſtici, Cantores ſive Primicerii, Cuſtodes, Cancellarii, Vicarii in ſpiritualibus, Officiales, Cœnobiarchæ ſive Abbates, Magiſtri, Priores, Cuſtodes ſive Guardiani, Parochi ſive Plebani, &c. Qui qualem vel in clericos ſuos, vel in laicos etiam in cauſis vel ſpiritualibus vel civilibus habeant poteſtatem, late tractat jus Canonicum: quo lectorem remittere ſufficiat.

Inter Laicos Magiſtratus poſt Imperatorem Romanum principe loco merito numeramus Regem Bojemiæ.

Magiſtratus Sileſiæ. A Rege primum ſibi in Sileſia vendicat locum Præſes Provinciæ, ſive Pro-Rex, qui ſupremus Præfectus ſive Capitaneus vulgo adpellatur, & quaſi ἔξαρχος quidam vice Regis univerſæ provinciæ cum imperio & auctoritate præeſt. Ad ejus officium pertinet, convocare Ordines, quoties opus eſt, mandata Regis exequi, Principes & Ordines diſſentientes ad concordiam redigere, rebelles aut contumaces ad officia cogere, & qualiter publicæ diſciplinæ ac læſis tenuioribus conſulatur, providere, denique ut pacata ſit & quieta undique provincia, curare.

Principes porro Sileſiæ tam Eccleſiaſtici quam Seculares ſuis in Ducatibus & territoriis ampliſſimam poteſtatem, licet Bojemiæ Regi obnoxiam, habent: & arbitratu adeo ſibi ſuo conſiliarios cum Equeſtris ordinis, tum Togatos & Iuriſperitos legunt, præfecturaſque ac magiſtratus mandant. Quanquam illis etiam Ducatibus ſua cuique privilegia & conſuetudines, in quibus Principes haud facile quid immutandum ſibi cenſent. Baronibus Liberis eadem fere, quæ Principibus, toto diſtrictu Baronatus, poteſtas eſt.

Ceteris Ducatibus, qui Regi Bojemiæ immediate ſubjecti, ex arbitrio Regis rectores ſive gubernatores peculiares vulgo Capitanei, cum imperio præficiuntur, tum in plebem, tum in Equeſtris ordinis homines jurisdictionem habentes, ſed certis legibus ac finibus circumſcriptam. Ad horum munus pertinet querimonias ſubditorum cognoſcere, conventus Nobilitatis, quoties neceſſitas poſtulat, convocare, humiliores à potentiorum injuriis defendere, in delinquentes animadvertere, res judicatas executioni mandare, tranquillitatem publicam in urbibus & agris præſtare, & nequis in præfectura ſua motus exiſtat, providere, & id genus alia jurisdictionis vel magis voluntariæ ac honorariæ, vel certe ſummariæ. Oportet autem Præfectum eſſe Nobilem, & agros ac fundos proprios in ea ipſa Præfectura, quam gerit, habentem. Neque ignobili neque externo conferri præfecturam fas eſt. Habent item ſinguli fere Ducatus Cancellarios ſuos, & Secretarios vel Scribas, quos vocant, terreſtres ſive Provinciales: qui diplomatibus, edictis, ſententiis, placitis comitialibus & aliis ſcripturis conficiendis atque ſignandis præſunt.

Plebs. Plebs urbana & ruſtica partim Regi Bojemiæ, partim Principibus, partim Sacerdotibus, partim Baronibus & Nobilibus parent: reguntur que à ſuis quæque dominis, eorumve præfectis ac procuratoribus. Sed præter hos tamen plebs

plebs quæque oppidatim & pagatim proprios habet ex corpore suo magistratus. Ac civitatibus quidem gubernandis præsunt Decuriones sive Senatores, qui statum urbis tuentur ac de Rep. simul consultant, proque civitatis aut magnitudine, aut infrequentia & parvitate varia inter se politiæ munia distributa habent. Sunt enim præfecti ærarii, ædiles, viocuri, pupillorum ac viduarum patroni, sacrarum ædium curatores, eleemosynæ præfecti, scholarum præsides, præfecti agrorum & pagorum, forestarii, & si quæ sunt alia munera publica: quæ in oppidis ac vicis minoribus communiter fere à decurionibus curantur. Eorum porro non idem ubique certus tamen est numerus: quibus qui præsidet, vernacula lingua Burgo-magister, vulgo Consul dicitur, etiam minorum oppidorum. Officium autem civium magistri est, collegas, quoties opus est, convocare, pecunias publicas in usus necessarios disponere, operum publicorum munera singulis demandare: in rebus insuper urbanis edicere, decernere, vocare, in custodiam per prætorem mittere, & jus quoque ac sententiam in causis civium controversis dicere ac pronunciare, sed ut arbitrum fere, non ut judicem: & toti denique politiæ ac statui urbano consulere, atque eam in rem curas suas ac cogitationes omnes intendere. In primariis quibusdam urbibus plures uno sunt Consules, iique per vices fere magistratum gerentes. Creant autem hos magistratus vel Domini eorumve præfecti; vel ipsi jus habent ex his, qui inter oppidanos virtute atque opibus præcellunt, quos volunt, in sua collegia cooptandi, quoties vacat locus: iidemque alicubi temporariam, alicubi perpetuam habent administrationem.

Decurionibus præsto sunt in Rebuspub. majoribus Syndici Legum & jurisperiti: qui id præcipue curæ habent, ut Senatui non tantum in jure dicundo, sed & aliàs consilio adsint, & ejusdem Oratores, adeoque Universitatis veluti Advocati, etsi usus postulet, etiam Legati audiant: tum Secretarii, & Scribæ sive Notarii, cum suis etiam adjutoribus sive vicariis, si opus sit: qui cum privatas tabulas, sive ut loquuntur instrumenta contractuum ac testamentorum, nuptiarum, transactionum, donationum conscribunt, tum judicum sententias in acta redigunt, scribendis epistolis & custodiendis decretis magistratuum ac Senatusconsultis aliisque publicis chartis toti vacant. Et Notariorum quidem munus in Silesia lucrosum juxta & honorificum: neque ad id quisquam admittitur, nisi honesto loco, & fide atque industria cognita: quod necesse est plerorumque consiliorum eum esse participem, in minoribus præsertim oppidis, in quibus qui magistratum gerunt, homines magnam partem imperiti & idiotæ tantum fere sapiunt, quantum hi nostri γραμματεῖς velint.

Potestate decurionibus proximi sunt jurati judices sive Scabini, qui à decurionibus ut plurimum leguntur, & judiciis tum pecuniariis tum etiam capitalibus præsunt: quorum princeps ab aliis prætor, ab aliis scultetus (quasi Schultheiß/ quod noxæ debitive exactor esse, pœnas irrogare, ac multas ab iis, qui deliquerunt, exposcere soleat) ab aliis Advocatus, vulgo Stattvogt vocatur.

Habent item in qualibet civitate & oppido singulæ opificum societates & contubernia decanos sive tribunos suos, & his adjunctos aliquot seniores. In pagis gens rustica scultetos habet, qui jure Saxonico Bawermeister vocantur: & vel hæreditarii sunt (Frey und Erbschultzen) vel dominorum arbitratu constituuntur: quibus adjuncti aliquot ex aratorum numero Scabini.

Iudicia. Iudicia quod attinet, siquidem inter Ordines ipsos lis existat, aut alius quispiam sive sit Nobilis sive ignobilis, sive subditus sive extraneus, cum uno aliquo ex ordinibus contendat: Præfectus supremus controversiam, si potest, componit; si quæ vero difficiliores oriantur controversiæ, de quibus aut præfectus ferre sententiam, aut litigantium alterutra pars acquiescere sententiæ nolit, tum ad supremum tribunal, quod Vratislaviæ ex Statibus provinciæ eorumque legatis ac consiliariis legum ac morum-peritis bis quotannis convocatur, & velut vinculum est ac nervus publicæ tranquillitatis (das Ober oder Fürstenrecht) causa refertur. Concessum est hoc judicium Ordinibus Silesiæ à Vladislao Rege A. C. 1498: ejusque tanta auctoritas, ut non solum ἀνυπεύθυνον sit, & ex jure quodam majestatis possit claudere jura manu, succisa sublataque omnibus appellationis ulterioris licentia, nec non & gravissima in eos constituta pœna, qui sententiæ intra duos ab ejus publicatione menses non paruerint & executioni sese opposuerint: verum ipse etiam Bojemiæ Rex coram illo & conveniat alios, & vicissim se conveniri patiatur. Quod ipsum postea Ferdinandus & subsequentes Reges peculiaribus diplomatibus Principibus & Ordinibus Silesiæ confirmarunt.

In hoc porro Silesiæ tribunali secus quam in aliis citationes non singulos ad actus, sed ad totam caussam indistincte decernuntur: quæ tamen reo tribus ante judicii diem mensibus insinuandæ.

Illud quæsitum, an Principes & alii Status Silesiæ etiam in causis criminalibus coram supremo tribunali convenire possunt. Nec desunt etiam eorum exempla, proditum est, Nicolaum Principem Oppoliensem propter vim Casimiro Teschinensi & Episcopo Vratislaviensi in publico Ordinum conventu illatam, Nissæ sententia à judicibus urbanis pronunciata, capitali supplicio adfectum.

In Ducatibus caussas provincialium suorum privatas, quæ sine strepitu judicii de simplici & plano componi possunt, cognoscunt & dijudicant Præfecti: graviores controversias judiciis provincialibus reservantes, quæ statis temporibus in certis oppidis quotannis exercentur, per scabinos ex ipsa Nobilitate delectos. Provocatur inde, si litigantes sententia lata sibi minus satisfactum arbitrentur, ad Regem Bojemiæ. Glogoviensibus tamen, Iavoriensibus, Oppoliensibus & Ratiboriensibus extremæ provocationis jus inter jura majestatis tam præcipuum spe-

specialibus privilegiis remissum, ita quidem ut sententiæ, in comitiis illorum latæ, provocationum aleis remorisque minime sint obnoxiæ.

In urbibus, quarum pleræque vel Principum concessu expressoque privilegio, vel præscriptione, hominum memoriam excedente, non simplicem modo jurisdictionem, sed & merum imperium sive jurisdictionem superiorem exercent, judiciorum non una atque eadem ratio. In universum tamen judiciaria potestas partim penes Burgomagistrum & decuriones, partim penes Advocatum & Scabinos juratos: quorum hi processum judiciarium accuratius servant, illi summariter plerumque sine consueta judicii forma procedunt.

In pagis judicia simplicissima, quæ sine strepitu & figura judicii, vel à dominis pro jurisdictionis, quam obtinent, ratione eorumve præfectis & procuratoribus exercentur, vel à scultetis, qui cum adjunctis scabinis in minoribus & facilioribus negociis jus dicunt, & judicia humiliora obeunt.

Ab his autem judiciis omnibus tam urbanis quam paganis, servatis gradibus & ordine juris, provocare fas est: non obstantibus etiam quorundam locorum statutis.

De provocationibus, quæ ad Regem Bojemiæ fiunt, Senatus Appellationum Regius, qui Pragæ residet, cognoscit, quem D. Ferdinandus I Rex, in arce Pragensi constituit & ordinavit: ad quem non modo ex Bojemia & conjunctis ei provinciis provocationes omnes, quibus casibus eæ licitæ, devolverentur, sed & in prima instantia sententiæ inde definitivæ peterentur.

Cum superiore illo Germaniæ Tribunali, quod jam Cameræ Spirensis nomine celebre est, nihil Silesiis negocii: neque caussam ullam Silesiacam ab illo Senatu dijudicatam, meminisse quisquam potest. Extra Appellationem Rex Bojemiæ caussas, quæ apud ordinarios Iudices tractantur, è Silesia evocandi potestatem non habet. Vtitur porro omnis ferme Silesia jure Saxonico. Quod si quid comprehensum illo non reperiatur, aut comprehensum quidem, sed usu minime receptum, ad jus commune Romanorum sive Cæsareum recurritur. Sed & Ordines Silesiæ, tum singuli Ducatus peculiaria, inter se autem communia habent instituta, quæ Policey & Landß-ordnungen, hoc est, Terræ constitutiones vocantur: in quibus istius Polonici juris, quo usa fuit antiquitus Silesia, non obscura alicubi adparent vestigia.

Comitia. Comitia à Bojemiæ Rege, quo tempore commodum videtur, indici solent: Principes tamen & Ordines Silesiæ, etiam ante impetratam ad eam rem Regis veniam, in concilium eundi, si quid subitum & fortuitum incidat, jus sibi esse putant.

Status. Statuum ordines quatuor censentur: primus Principum: alter Baronum, qui κατ' ἐξοχὴν Liberi adpellantur: tertius Nobilium, quartus Civitatum. Principum subditi, inter quos Baronum etiam & Nobilium præstantes familiæ, nec locum in Consessu, nec dictionem sententiæ ullam habent.

Comitiorum habendorum modus. Forma ac modus habendorum Comitiorum & statuendi in iis, ac concludendi talis est: Supremus Præfectus literis ad Ordines missis, quis dies & locus comitiis futurus sit, edicit. Quibus literis redditis, Principes & Ordines vel ipsi se sistunt, vel Legatos suos sive nuncios mittunt: universè potestatem illis facientes curandi ea, quæcunque in communi è Republ. fore videbuntur. Vbi conventum est, Legati, si qui ad comitia missi, Regii per certas personas ab Ordinibus ad hoc deputatas ex hospitio avocantur, & officii caussa in locum comitiorum honorifice deducuntur, Legationisque suæ ac mandatorum ante omnia fidem faciunt: tum propositio oretenus ab uno Legatorum facta, mox etiam de scripto legitur, atque ut de postulatis Regis cæterisque rebus propositis in medium omnes consulant, quæque in commune profutura existiment, ex animi sententia proferant, admonentur. Peracta rogatione, Status in classes sive consilia divisi, de capitibus propositis seorsim consultant. Sunt autem consilia quatuor. I. Principum & Baronum conjunctim. II. Nobilium. III. Civitatum. IV. Supremi ipsius Silesiæ Præfecti, qui Comitiorum director est, & vota reliquorum colligit. Habitis deliberationibus rursus similiter conjunguntur: ibique Principes ac Barones pro dignitatis gradu & suffragiorum prærogativa sententiam suam primo loco aperiunt: quæ si cæteris placet, eam approbant: sin minus, suas quoque sententias suo quique loco indicant. Quod si omnium Ordinum vel major pars consentiat, ex Ordinum parte confecta res est. Sin minus, supremus Præfectus vel voto suo controversiam dirimit, vel validis ad persuadendum utens rationibus, ut Status in id, quod Princeps rogaverit, aut alias ex usu videtur Reipubl. consentiant, pro ratione muneris summam adhibet diligentiam.

Quæque ita conclusa sunt, literis consignata in Principum ac Procerum & Ordinum Provinciæ corona, præsentibus Legatis publice recitantur: tum sigillis munita iisdem Commissariis, ut ad Regiam Majestatem referant, traduntur: denique ut omnibus innotescant, in Provincialibus Ducatuum conventibus publicantur.

Locus habendorum comitiorum apud majores nullus fuit certus aut perpetuus; nostra vero ætate, non lege aut decreto ullo, quod sciam, sed solo usu diu servatum est, ut publicus Senatus Vratislaviæ ut plurimum in ejus urbis curia habeatur.

Camera Silesiaca. Ex Cæsarum quoque auctoritate Vratislaviæ constitutum est Collegium sive Curia Rationalium, quam vulgo Cameram Silesiacam vocant, ex viris dignitate & integritate conspicuis, & Legum ac morum peritis: qui regalium & fisci atque patrimonii Principalis curam & administrationem habent, causasque eo spectantes dijudicant, rem denique nummariam Principis universam tractant & moderantur. Horum caput est vir primariæ plerumque Nobilitatis & auctoritatis, quem Præsidem Cameræ vocant. Adjuncti sunt iisdem Procuratores sive Patroni & Advocati Fisci: quorum munus est, pro Rege, quotiescunque de Fisci interesse agitur, postulare,

ſtulare, ejuſque jura & commoda, abſque calumnia tamen, tueri & curare.

Prædiorum Regiorum ſive Cameralium atque redituum inde provenientium Curatores, tum vectigalium qua ordinariorum, puta ex rebus invectis evectisque & ſimilium, qua extraordinariorum & aliarum, quæ Fiſco debentur, penſionum exactores varii conſtituti & per provincias diſperſi: iiſque præfectus Quæſtor ærarius ſive Rent-magiſter: rationibus reddendis omnes Cameræ obnoxii. Quibus inſpiciendis ac diſpungendis peculiares diſcuſſores ſive magiſtri ratiociniorum conſtituti: quos rationum Conſiliarios, Raitrāthe vulgo vocant. Cum tributis, quæ reſpectu ædium, prædiorum aliorumque bonorum immobilium, ſecundum cenſum ſive æſtimationem & taxationem illorum publice factam, exiguntur atque imperantur, Cameralibus nihil negocii: neque illorum colligendorum & tractandorum poteſtas penes alios, quam qui ad hoc munus à Principibus atque Ordinibus ipſis ſunt delegati: qui deinde vel ad Regem ipſum ejuſve Cameram deſtinant, vel in Hungariam ad alendos ſtipendiis cum in expeditione & caſtris, tum in præſidiis milites mittunt. Cujus quidem regni tutelæ quanti à Sileſiis vel nupero quindecennali bello ſint impenſi ſumptus, ſi quis univerſim computare velit, plures auri myriadas reperturus ſit, quam multorum opinio aſſequatur.

I Diviſio. Dividitur Sileſia ſex modis; Prima autem & generalis diviſio erat olim in tres partes, nunc vero in duas, Superiorem ſcilicet & Inferiorem Sileſiam.

Vrbes Sileſiæ Superioris; Superior Sileſia Vrbes præcipuas complectitur has, *Iaegerndorf*, *Troppaw*, *Teſchen*, *Ratibor*, & *Oppeln*, cum ſibi annexis oppidis, monaſteriis, caſtris, caſtellis atque pagis, nec non Libero Baronatu *Pleſſenſi*.

Inferioris. Sileſiæ Inferiori attribuuntur, *Grotkaw* cum *Neiſſa*, *Brieg*, *Breſlaw*, *Olſſen*, *Monſterberg*, *Sweidnitz*, *Iauer*, *Lignitz*, *Glogaw*, *Sagan* & *Croſſen*, cum ſibi annexis urbibus, monaſteriis, caſtris, caſtellis, nec non tribus Baronatibus Liberis, *Wartenberg*, *Mielietſch*, & *Trachenberg*.

II Diviſio in 16 Ducatus. Ex hac prima Sileſiæ diviſione, reſultat Secunda, qua univerſa partitur in ſedecim Ducatus, & quatuor Baronatus, qui ſinguli à ſua metropoli denominantur.

Tres Ducatus contigui, *Ratibor*, *Iaegerndorf*, & *Troppaw*, uſque ad Alpes Bohæmicas protenduntur, habentque ſibi confinem Moraviam.

Ducatus *Teſchenſis* terminatur hinc Moravia Alpibus Pannonicis, inde finibus ipſis Pannoniæ & Poloniæ Minoris.

Ducatus *Opplinenſis*, atque etiam *Briegenſis*, qua parte Viadrum tranſcendit, nec non Baronatus *Trachenberg*, *Militſch* & *Wartenberg*, Polonia Minori terminantur. *Grotkavienſis*, qua Meridiem ſpectat, Moraviam habet conterminam, pars Meridionalis, ut & Ducatus *Vratiſlavienſis*, *Lignicenſis* & *Monſterbergenſis*, in penitiſſima Sileſia ſiti ſunt. Vratiſlavienſis tamen Septentrionem verſus procurrens, ipſum quoque Viadrum ſuperat. Vltra Viadrum ſitus intermediumque habens Ducatum Liegnicenſem, oppoſitam aſpicit Poloniam Majorem. *Sweidnicus*, & *Iauericus* porriguntur uſque ad Alpes Bohæmicas, atque hic quidem parte Occidentali etiam uſque ad Luſatiam Superiorem. Major *Glogovia* terminatur partim Polonia, partim etiam Electoratu Brandeburgico. Ducatus vero *Saganenſis* & *Croſenſis*, Luſatia Inferiori. Primus quatuor Baronatuum prædictorum, Pleſſenſis ſcilicet, contingit Poloniam Minorem, reliqui tres Poloniam Majorem ſibi adverſam habent.

Tertia Diviſio in quatuor Circulos diverſimode. Tertia hujus regionis diviſio, eſt in quatuor Circulos, ut loquuntur, ad rem militarem ſpectans, quæque urgentibus rebus, & variantibus belli caſibus, ipſa quoque diverſimode variatur.

I. Anno quippe 1530, regio hæc diviſa fuit in quatuor circulos hoc modo, ut primus contineret hos quatuor Principatus, *Saganenſem*, *Glogovienſem*, *Iauerenſem*, & *Liegnitzenſem*: cum urbe *Lubenac*.

II. Secundus vero complectebatur præter Ducatum *Vratiſlavienſem*, *Olnicenſem*, & *Brigenſem*: urbes complures; *Wohlaw*, *Steinaw*, *Rauden*, *Winzig*, *Hernſtadt*, *Trachenberg*, *Prauſnitz*, *Mielitſch*, *Wartenberg*, *Bernſtadt*, & *Ohlaw*.

III. Tertius vero præter *Schweidnitz*, *Monſterberg* & *Franckenſtein*, habuit Epiſcopatum *Neiſſa*, *Nimbtſch* & *Strehlen*.

IV. In quarto vero, præter *Opplicenſem*, *Ratiborienſem*, *Troppavienſem*, *Teſchenſem*, & *Iaegerndorfienſem* Ducatus, fuerunt *Oberberg*, *Pleſſ*, *Lubſchutz*, *Neuſtedtel*, & *Oberbeudten*.

Altera. Poſtea anno 1541, tota regio rurſus in quatuor, ſed diverſos à prioribus, circulos fuit partita; nam in primo fuit Epiſcopus, cum *Grotkavienſibus*, & *Neiſſenſibus*, item Marchio Georgius, cum *Iaegerndorf* & *Lubſchutz*, Ducatus etiam *Vratiſlavienſis* & Liber Baronatus *Pleſſenſis*. (I.)

II. In ſecundo fuit Fridericus Dux *Liegnitzenſis*, cum Ducatu *Saganenſi* & *Glogovienſi*.

III. In tertio Dux *Monſterbergenſis*, cum omnibus ſuis ditionibus & ſubditis, item *Sweidnitzenſis*, duoque Domini à *Kurzbac*, & *Malzhan*.

IV. In quarto vero, *Oppeln*, *Ratibor*, *Teſchen*, *Troppaw* & *Fulſtein*.

Tertia. Anno 1578, nova demum regionis ſecundum circulos diviſio, Defenſionis dicta, ſecuta eſt.

I. Hæc tota regio in quatuor rurſus ſive tractus ſive circulos diviſa fuit. In primo concluſa fuit tota Sileſia Superior, quæ in ſe comprehendit Ducatum *Teſchen*, cum omnibus dominiis, velut *Iaegerndorf*, *Troppaw*, *Oppeln*, *Ratibor*, *Pleſſ*, *Bilitz*, *Olberſtorf*, *Heubendorf*, *Glintka*, *Villenſtein*, *Vieſt*, *Coſtenthal*, *Katſchur*, *Fulnegk*.

II. In ſecundo, Epiſcopatus *Vratiſlavienſis*, & *Briegenſis*. quibus ceu additamentum adjectum *Burgum* majus.

III. In tertio, Eccleſiaſtica bona omnia in hoc circulo ſita, *Liegnitz*, *Wohlaw*, *Steinaw*, *Rauden*, *Wintzig*, *Herrenſtadt*, *Rietzen*, *Trachenbergk*, *Mielitſch*, duo *Kirtzbaccher*, *Sigiſmundus* & *Henricus*, *Glogovia* major, *Sagan*; quibus adjiciendum *Croſſen*.

IV. In quarto, *Schweidnitz*, *Iawer*, *Munſterberg*, *Franckenſtein*, *Reichſtein*, & *Silberberg*.

Quarta. Quarto omnis Sileſia in duo latera bipartita eſt, Germanicum & Polonicum: Polonicum latus vocant, illud quod eſt ultra Viadrum, verſus Septen-


Septentrionem; Germanicum contra, quod est cis Viadrum, Meridiem versus: in illo Polonico idiomate plurimum delectantur pagani; neque in illo solum, verum etiam in Germanico, ubi quotquot inter Ohlaw & Cant rura incolunt, ab usu Polonicæ linguæ avocari se non patiuntur.

Quinta divisio. Dividitur etiam quintò hæc regio in quaterniones, habita proportione Geometrica, quod censibus agendis hæc divisio videatur commodissima.

Sexta. Vltimo & sexto loco Silesia omnis non incommode dividitur in planam, qua Meridiei objacet; & saltuosam seu montosam, qua Septentrionem spectat.

DVCATVVM SILESIÆ SVPERIORIS DESCRIPTIO.

DVCATVS RATIBORIENSIS.



Termini. Atiboriensem Ducatum cingunt ab Oriente Polonia, Septentrionem versus Oppoliensis Ducatus, Oppaviensis ab Occidente & Teschinensis à Meridie. Situs ejus non absimilis est Saganensi Ducatui, nisi quod latior hic Ducatus sit & magis curvus.

Ratiboria. *Ratiboria* primas tenet, urbs cum arce vetusta, sinistro Viadri alveo adjacens. Subjacet aëri salubri, agros habet fertiles, amœna prata, uberemque fructiferarum arborum copiam. Cœnobium isthic virginum & virorum est. Collegium Canonicorum sub titulo B. Mariæ Virginis in arce instituit Thomas Episcopus, eique decimas quasdam de suis attribuit: quod successu temporis ex arce in oppidum translatum est. Spectantur præterea Cathedralis Ecclesia & Cœnobium virginibus inhabitatum, Collegium Societatis Iesu, Xenodochium & Palatium Ducale ad Oderam. Privatorum ædes plurimum ligneæ sunt. In insignibus habet mediam candidamque aquilam, & mediam candidam rotam. Multis bellicis casibus obnoxia, & plurimis incendiis fœdata fuit, quemadmodum & anno 1574 per bombardam in horreum explosam tota incendio exhausta, ut & anno 1637 non minora damna ex fortuito igne passa est. Anno 1627 Wimarodanici irrito eventu eam obsedere. Anno vero 1633 & 1642 à Suecis capta, & aliquamdiu retenta est, donec à Cæsarianis tandem reciperetur. Attribuuntur præterea huic Ducatui,

Oppida subjecta. *Lossa* oppidulum immœnitum, sed cui famam annuæ equorum nundinæ conciliant. *Oderberga*, oppidulum sine mœnibus, arcem habens adjacentem vetustam ad Oderæ & Elsæ confluentem: *Pilzowicium* Poloniam versus situm inter Rauden & Leschnitz. *Ribnicum* oppidum apertum cum arce ducali. Ribnicensis Ducis apud Cromerum & alibi mentio. *Mislowicium* oppidulum in finibus Poloniæ situm. *Sora*, oppidum mœnitum, inter Mislowicum & Lasnam situm. Est præterea in hoc Ducatu Monasterium *Rauden*.

TESCHINENSIS DVCATVS, ET BARONATVS PLESSA.

Limites. Terminatur Teschinensis Ducatus Polonia ad ortum Solis, ad Austrum Moravia, Oppaviensi Ducatu ad Occasum, & Ratiboriensi ad Aquilonem.

Teschena. Metropolis est *Teschena*, Cromero Cessinum, urbs primaria cum arce Principis ad Elsam fluvium, & radices montis Carpathi, emporio nobilis. Sclopeti isthic conficiuntur, qui palmam poscere audent contra omnes Silesiæ. Aura fruitur montana & salubri, & omnis generis annona abundat; avium ferarumque copiam non longe distantes silvæ, una præstantissima Hungaria suppeditat. Munita est urbs fortibus muris & excelsis portis, & splendidissima arce, quæ in editiori colle fundata, non exiguum urbi munimentum est. Ædes circa forum ex lapide structæ sunt, reliquæ plurimum ex ligno. Insignia præferunt candidum palatium in cæruleo campo cum acuminatis turribus, ante quas flava aquila resplendet.

Oppida. Reliqua oppida sunt: *Bilicium*, munitum atque amœnum, cum arce non inelegante atque invalida ad cognominem fluvium Bilam, cujus Dynasta ex illustri Sonnecciorum familia. *Fristadium* oppidum est mœnitum & arcipotens, textoribus telarum linearum frequens, Dynastas habens ex generosa Ziganorum familia. *Fridecca*, nomine tenus cognita. *Iablunca* ad Carpathum montem & fines Hungariæ, nullis mœnibus circumdatum, sed arce validum. *Nistkovia*, ad fluvii Ostræ fontes situm oppidum, aliis *Mitskovia* dictum, & ad Moraviam relatum. *Skotzovia* ad Vistulam situm oppidum, non procul Plessa urbe, & dynastia celebre, cui *Struminum* non longe dissitum oppidum, alias Schwartzwasser dictum, subdi-

subditum est. *Ray* porro arx est, è regione Fristadii ad Elsam fluvium jacens.

Plessa. Plessa, oppidum elegans in planicie amœna haud procul Vistula fluvio, ad limites Poloniæ Majoris situm, & insigni arce præditum, Baronatus fulget honore, Toparchas nacta, ex testamento Episcopi Balthasaris, Barones Promnicios. Anno 1618 & 24 à Polonis Cosaccis direptum est.

DVCATVS OPPAVIENSIS, SEV TROPPAVIENSIS.

Termini. Terminatur hic Ducatus Teschinensi & Ratiboriensi Ducatibus ab Oriente, à Meridie ac Occidente Moravia & Grotkavia, Carnoviaque à Septentrione. Includit quasi ab omni parte Carnoviensem Ducatum, & ab Oppa fluvio nomen habet.

Troppavia. *Troppavia*, sive *Oppavia* Ducatus sui Metropolis est, ad Moræ & Oppæ confluvium ædificata: urbs satis ampla & habitatorum multitudine referta, tota undique muris firmis cincta: templis compluribus, inter quæ speciosissimum est parochiale, affabre extructum, ornata: magnis concinnisque civium ædificiis, tum suburbiis longe hinc inde procurrentibus conspicua; insigni denique agri cælique benignitate prædita: Monasteria virorum habet bina, fœminarum unum, itemque Equitum Iohannitarum Commendatariam. Magnam superioribus annis ex proscriptione Cæsaris calamitatem sensit, & libertate, & juribus omnibus ac privilegiis per eam amissis: sed quæ tandem pleraque assidua Principum & Ordinum intercessione recuperavit.

Oppida. Huic Ducatui subdita sunt oppida plurima. *Engelsberga* oppidum metallicum est, immœnitum, ad radices montium Moraviam à Silesia separantium, am Gesencke/ Dominorum de Freudenthal/ quod in valle amœnissima situm, & arce eleganti conspicuum est, nomen à loco mutuans. *Hiltschinum*, oppidum mœnitum cum arce pulchra, ubi Oppa Oderæ jungitur. *Karschor* vicus immœnitus est. Küngberg vel Königsberg/ Bohemis *Klimkowice* oppidulum est non longe Benischovia distans. *Kranowicium* oppidulum immœnitum est inter Ratiboriam & Oppaviam situm. Neukirch/ Bohemis *Cerckwe*, in finibus Ratiboriæ situm est. *Wochstadium* oppidum eleganti arce Prazmannorum superbit. *Ostra* oppidulum immœnitum ad Ostram fluvium, Episcopi Wratislaviensis jurisdictionem ac tribunal agnoscit.

Arces habet Fulstein/ Wigstein/ Grätz/ Newkirch & Grebnick.

DVCATVS OPPOLIENSIS.

Dvcatus hic magnitudine, urbiumque seu oppidorum frequentia nulli Ducatuum Silesiæ cedit, fertilitate agrorum, opaca silvarum densitate, vinorumque aliquibus in locis proventu uberi non incelebris. Terminatur *Termini.* à Septentrione & Oriente Polonia, à Meridie Carnoviensi & Ratiboriensi Ducatibus, & Bregensi & Grothano ab Occidente.

Prima hujus Ducatus urbs est *Oppolia*, collegio Canonicorum celebris, & pervetusta, sita *Oppolia.* in amœna planitie sub cælo valde salubri, camporum circumjacentium ubertate satis culta. Incolæ ob vicinitatem Poloniæ plurimum Polonice loquuntur. Spectantur illic Cathedralis Ecclesia, Curia & cœnobium quod ante Palatium est; Palatium vero vetustate jam collapsum habet. Annonæ vilitas magna, ut in plerisque Silesiæ locis. Post Nissæ capite multatum Ducem Nicolaum, & mortem fratris absque mascula prole anno 1532, in Bohemiæ Regem Ducatus hic recidit. Exinde Regina Hungariæ, Elizabetha, tempore Ferdinandi I, & Duces Transylvaniæ, Sigismundus & Gabriel Battorii hunc Ducatum tenuere. Conjunctus aliàs est cum Ratiboriensi, iisdemque privilegiis & jurisdictionibus fruitur. Capitale est, siquis ab Oppoliensi Tribunali appellet ad aliud; item si cum gladiis Nobiles ante tribunal compareant. Anno 1501 tota incendio periit. Anno 1615 iterum deleta est incendio cum 104 hominum clade. Anno 1627 à Wimaro-Danicis direpta & aliquamdiu possessa, inde anno 1632 ab Arnhemio manu capta, post Pragense fœdus iterum ad Dominum Ferdinandum Imperatorem rediit. Anno 1642 à Suecis occupata, & casu incensa in fumos abiit. Anno 1645 à Cæsarianis recepta, & Polonis pro 1100000 florenis oppignorata est in quinquaginta annos; exinde anno 1647 Polonicum præsidium accipiens, fortuito incendio 70 domos amisit. *Beuthena*, ad fines Poloniæ *Oppida alia.* situm oppidum, ejusdem nominis cum alio oppido Glogoviensis Ducatus, vetustis argenti fodinis clarum. *Cosla* munitum oppidum est cum arce ad Oderam fluvium, cum reliquis quoque belli varios casus expertum est, & præcipue anno 1642, cum à Suecis capta in favillas redigeretur fortuito incendio: Arx tamen contra hoc malum servata est. *Crappicium* ad Prudnicæ & Oderæ confluentem jacet, mœnitum cum arce Rederorum. *Dobradinum* Sarotskiorum nobilium peculium est. *Falcoberga* ad Steinam fluvium non obscuri nominis oppidum, & Ducatus olim titulo insigne: Promnicio Baroni hodie paret, cum antea Pichleriis fuisset subjectum. *Francosteina* Steinæ fluvio adjacet, non inglorium hac tempestate oppidum, satisque copiosum, & arce præditum. *Fridland* oppidulum immœnitum jacet ad Steinam fluvium. *Glogovia Minor* oppidum non magnum est, sed pulchrum & amœnum cum egregia arce, in pinguissimo fertilissimoque tractu situm, sub domi-

S nio

nio illustris Oppersdorfiorum familiæ. *Glywicium*, *Gleibitz*, oppidum mœnitum, neque incelebre. Glywicensis Ducis apud Cromerum & alios mentio. *Gortzoba*, oppidulum nullius momenti & nominis. *Lesnitium* oppidulum ripæ Viadri dextræ impositum, prope montem D. Annæ, peregrinationibus, quæ religionis & votorum caussa istuc instituuntur, celebrem. *Lublinicium* Baronum Kochticiorum dominium est, immœnitum, sed arce præditum. *Nachel* oppidulum cum arce non longe Oppolia distat. *Neostadium*, Polonis *Prudnica*, à fluvio, quæ præterfluit, cognomine sic dicta, urbecula mœnibus cincta, non magna quidem, sed neque inamœna, neque incelebris, quæque adeo inter oppida primas sibi vindicat. Castrum habet vetus colli impositum, *Wodengrüssel* antiquitus dictum, unde jucundus in agros subjectos prospectus patet. Aër ibi purus & salutaris, ædes civium eleganter extructæ: ager circa oppidum cum pascuorum fœcunditate lætus, tum frumenti satis ferax, præcipue in planiciem ubi subsidet. *Pruscavia* eleganti arce conspicua est. *Rosenberga* oppidum cum arce mœnitum, ad Poloniæ fines situm est. *Peitschkretscham* oppidum prope Tarnovicium & Beuthenam situm est, Rhederos agnoscens dominos. *Sassinkovicium* haud procul Glywicio distat. *Stinavia*, *Steinaw*, prope urbem Nissam ad fluvium Steinam sita est. *Strelicia Major* oppidum cum arce, sedes Baronum de Rhedern. *Strelicia Minor* oppidulum apertum, Baronis Proskovii est. *Tostum*, urbecula mœnita cum arce Baronum de Rhedern. *Vyastum* ad fluvium Kladinitz situm est, sub ditione Episcopi Wratislaviensis. *Zultz* Poskoviorum familiæ possessio est. Sunt & Monasteria duo, *Czarnewans* & *Chmelnitz*, ut & arces *Schworlinetz* & *S. Georgenberg*.

Monasteria & Arces.

CARNOVIENSIS DVCATVS.

Termini.

CArnoviensis Ducatus Græco Delta non male assimilatur, in triangulum formatus; cujus Septentrionale latus Oppoliensis, Orientale, Meridionale & Occidentale, Oppaviensis Ducatus claudunt.

Iægerndorf.

Iægerndorf, seu Carnovia caput Ducatus est, Oppo fluvio adsidens, qui non longe Cranowicio in Viadrum defertur, urbecula elegans, in valle pulcherrima, undique montibus cincta, qui laricis feracissimi. Arcem habet splendidam & magnificam, Marchionibusque paret Brandenburgensibus, è quibus Georgius cognomine Pius avunculi sui Vladislai Hungariæ & Bohemiæ Regis beneficio, primus imperium suum isto Ducatu amplificavit. Nunc vero sub Duce Lichtensteinio est, cum Cæsar id lata sententia Brandenburgico Marchioni abjudicasset. Nomen plerique à frequenti venatione derivant. *Carnocufsky* ideo vocari dicitur, quod Cornua inter duos lapides in insignibus ostentet. Privatorum ædes pleræque ex ligno sunt. Habet Curiam splendide è lapidibus ædificatam. Anno 1627 à Wimaro-Danicis direpta est. Anno 1643 Torstensonius irritis conatibus eam tentavit. Anno vero 1645 à Koningsbergio stratagemate intercepta est.

Alia oppida.

Habet hic Ducatus alia adhuc tria oppida, Leobschucium, Zaudicium & Benschinam. *Leobschucium*, Bohemis *Hlubcice*, oppidum politum & elegans, nundinisque frumentariis celebratissimum; in feracissimo totius Silesiæ solo situm; anno 1603 totum incendio exhaustum est. *Zaudicium* & *Benschina* nomine tenus nota sunt. Ducatus hic minimus est omnium totius Silesiæ Ducatuum.

SILE-

SILESIA INFERIOR.

Amice Lector, Descriptio Tabulæ hujus, quæ Silesiam præ se fert Inferiorem, inserta est ex parte in generali Silesiæ descriptione; hîc etiam illas proferemus, quarum necdum tabulas potuimus obtinere. Ducatus autem, ac Dynastiæ quæcunque residuæ sunt, suo omnes ordine, appositis etiam propriis earum tabulis, in subsequentibus adjicientur.

CROSNENSIS DVCATVS.

Termini.



N ultimo quasi Silesiæ angulo apparet Ducatus Crosnensis, habens ad Orientem Poloniam, ad Septentrionem eandem & Brandeburgicam Marchiam, ad Occidentem Lusatiam & Saganensem Ducatum ad Meridiem.

Crosna. Nomen huic Ducatui dat Vrbs *Crossen* Silesiæ extrema Marchiam versus, ubi Boberus Viadro commiscetur, sub ditione & dominio Marchionum Brandenburgicorum: quibus una cum Zulichio, Sommerfelda & Bobersberga oppignorata, nec constituto postea tempore liberata fuit. Ex iis autem consentiente Ferdinando Rege Bojemiæ, primus Ducem Crosnæ, se scripsit Ioachimus I I Elector. Nomen proprie denotat fimbriam vestis. Vrbs pervetusta est; cœlo gaudet salubri, ædificiis nitidis palatioque Ducali splendet, munimentis olim inclusa erat non pœnitendis. Non parum decoris adfert in ulteriori Viadri ripa lente assurgens mons vinetis arborumque fructiferarum proventu copioso celebris. Anno 1481 tota igne absorpta est, ita ut ne domus quidem restaret, multi vero homines diversi sexus ætatisque perirent. Anno 1631 iterum una cum arce ab incendiariis deleta est. Sequentibus annis non minores clades passa est à Suecis, Cæsarianisque; nunc his, nunc illis urbem oppugnantibus.

Oppida reliqua. Reliqua hujus Ducatus oppida sunt *Sommerfelda* ad Lupam fluvium in Lusatiæ Inferioris confiniis; quod aliqui Lusatiæ conjungunt, cum tamen Brandenburgico pareat. *Bobersberga* inter Crosnam & Sommerfeldam situm oppidum ad radices montis. *Zulichia*, oppidum ad fines Poloniæ à Suecis semel occupatum, sed diutissime retentum, olim quoque Saganensis Ducis iram expertum erat, ab eo captum, cum Henricus Undecimus Vxori suæ Barbaræ filiæ Alberti Marchionis Brandenburgici Crosnam cum jam dictis oppidis testamento legasset, anno 1476. Ex pagis præcipui sunt *Sandoro*, *Beutnitz*, *Tschickersig*, *Schmellen* & *Netha*.

DVCATVS SAGANENSIS.

Termini. Saganensis Ducatus in longum recurvus non absurde curvato cubito comparari posset; ab Occidente enim utramque Lusatiam attingens, Septentrionem versus ad Crosnensem Ducatum pertingit, ad latus Orientale Glogoviensem Ducatum habens, & ad Meridionalem angulum Iauraviam. Ducatus hic omnium totius Silesiæ minimus est, si Carnoviam excipias.

Saganum. Præcipua urbs est *Saganum*, Cromero *Zeganum*, eo loco sita, ubi Boberus & Quissus confluunt, ad vastas silvas extructa. Abbatiam habet, & officinis, in quibus ferrum durius cuditur, excellit. Paruit aliquamdiu hæc urbs cum universo territorio Electoribus Saxoniæ, sed eam Ferdinandus Rex Romanorum redemit A. C. 1548. Nominis etymologiam multi exquirunt, partim à Polonis partim Germanis eam derivantes, & multum de lana caprina disputantes. Visuntur in urbe Palatium Ducale, duo Cœnobia & templum Cathedrale. Anno 1640 in Stallhansii potestatem venit, inde iterum à Cæsarianis capta, anno 1642 à Torstensonio recepta est, & iterum insequenti amissa.

Oppida. Oppida subjecta sunt: *Naumburgum* ad Boberum fluvium, Baroni Promnicio parens; olim etiam Canonicorum Regularium collegium ab Henrico Barbato ejusque conjuge Principibus pientissimis A. C. 1217 institutum, & reditibus dotatum; sed quod post 67 annos in vicinam urbem Seganum à Primislao, Duce Sprottaviensi, translatum est. *Pribus*, ad Nissam situm, olim Glogoviensi Duci parebat; multique pagi enumerantur, qui huic oppido subjecti erant. Hic in rotunda turre Dux Iohannes, fratrem Balthasarum captivum detinuit, usque dum ex morbo, quem putredinis fœtor ei afflaverat, decederet. *Freiwalda* oppidulum non longe Pribusio situm. *Eisenberg* non longe Sprottavia distat.


SILESIA INFERIOR,
Sereniß. ac Celsiß. Principibus ac Dominis Dn. GEORGIO, Dn. LUDOVICO, Dn. CHRISTIANO, Fratribus, Ducibus Silesiæ Lignicienſ. ac Bergensibus, Dominis gratiosissimis Dicata
à Jona Sculteto Sprotta-Silesio.
Explicatio Notarum.
Vrbs muro cincta, Stad.
Oppidum, Städlin.
Arx, Schloſs.
Pagus cum templo, Dorff mit einer kirch.
Pagus notabilior, Berümpt dorff mit einem Edelsitz.
Pagus, Dorff.
Locus Ordini Sacræ militiæ Dicatus, Comterey.
Monasterium, Closter.
Præpositura, Pröbstey.
Bona Ecclesiastica, Geistliche gütter.
Vineta, Weinberge.
Fodina auri, Goldgrube.
Argenti, Silbergrube.
Cupri, Kupfer.
Stanni, Zinngrube.
Ferri, Eisenhammer und grube.
Calcis, Kalck.
Lacus, See.
Fluvius paludinosus, Moeraſs.
Mons notabilis, Berümpt Berg.
Milliaria German: communia.
Joh. et Corn. Blaeu Excud.
Oriens
Occidens
Septentrio
Meridies
POLONIÆ REGNI CONFINIA
KONIGREICH POLEN
MARCHIA NOVA
NEWE MARCK
BOHEMIÆ REGNI CONFINIA
BARONATUS MILITIENSIS.
Herrschaft Militsch
DUCATUS OLSNENSIS. FURSTENTHUMB OLS.
BARONATUS TRACHENBERGENSIS.
DUCATUS VRATISLAVIENSIS. FURSTENTHUMB BRESLAW.
DUCATUS BREGENSIS. FURSTENTHUMB BRIEG.
DUCATUS WOLAVIENSIS. FURSTENTHUMB WOLAW.
DUCATUS SCHWIDNICIENSIS. FURSTENTHUMB SCHWEIDNITZ.
DUCATUS LIGNICIENSIS. FURSTENTHUMB LIGNITZ.
DUCATUS GLOGAVIENSIS. FURSTENTHUMB GLOGAW.
BARONATUS BETHANIENSIS.
DUCATUS IAURAVIENSIS. FURSTENTHUMB JAWER.
DUCATUS SAGANIENSIS. FURSTENTHUMB SAGAN.
DUCATUS CROSNENSIS. CROSSEN FURSTENTHUMB.
LANDSTERNBERG
LUSATIA SUPERIOR MARCHIONATUS.
LUSATIA INFERIOR
MARCK-GRAFFTHUMB NIEDER LAUSITS.
OBER LAUSITS MARCK GRAFFTHUMB.
Breslaw
Brieg
Schweidnitz
Lignitz
Jawer
Glogaw
Wolaw
Sprottaw
Crossen
Lauban
Gorlitz
Zittaw
Posen
Frankfurt
Kustrin
Landsberg

DVCATVS OLSNENSIS, ET MONSTERBERGENSIS.

Termini. OLsnenſi Ducatui claudunt latus ad Orientem & Septentrionem Baronatus Trachenberg, Militſch & Wartenberg, Wolavienſis Ducatus ad Occidentem & Breſlavienſis ad Meridiem.

Olſna. Primaria hujus Ducatus urbs *Olſna* eſt, Cromero *Oleſnicia*, arce & palatio Principis nobiliſſimo ſuperba. Aëre fruitur ſalubri, multisque commodis abundat. In inſignibus habet aquilam volantem in campo rubro, cujus caput lucidum eſt, tenentem unguibus albam ſchedulam. Olim hæc urbs ſuos Duces habuit: ſed cum anno 1492 ultimus Dux Conradus VIII, ſine prole deceſſiſſet, & Ducatus in Vladiſlaum Bohemiæ regem recidiſſet, Rex illum Ducatum in Henricum prædeceſſoris ſui Georgii filium, Ducem Monſterbergenſem contulit, recepto in ejus locum Dominio Podiebrad in Bohemia ſito. Anno 1634 urbs Olſna à Dubaldio Sueco capta & direpta eſt, prædaque æſtimata tribus auri tonnis ſeu tercentum millibus florenorum: eodem quoque anno à Cæſareis recepta & à Saxonibus iterum expugnata eſt, quo tempore incendiis plurimum defœdata eſt. Anno 1640 Stalhanſius irrito eventu eam tentavit; ſed 1642 Sueci idem meliori ſucceſſu tentavere. Nihilominus Cæſarei ſub Laurentio Barone in Hoffkirchen, urbis iterum compotes facti ſunt, & pluſquam quingentos Suecos captivos abduxere. Tandem 1648 juſſu Wittenbergii Suecorum Ducis diruta urbis valla mœniaque.

Reliqua oppida hujus Ducatus ſunt: *Bernſtadium*, Cromero *Beriltonia* & *Berolthovia*, nonnullis *Berolſtadium*, ad Weidam fluvium cum arce, quod miſerabili incendio paucis abhinc annis funditus fere deletum cives reſtauraverunt, plurimum bello Suecico deinde vexati. *Conſtadium* Cromero *Cunceſtadia* ad Stobram fluvium ſitum oppidulum, ditionis Poſedewskiorum eſt. *Feſtenberga* oppidulum inter Olſnam & Bernſtadium ſitum. *Hundesfelda*, id eſt, Campus caninus, oppidulum uno ab Wratiſlavia milliari eo in loco ſitum, ubi Henricus V, Imperator, cum Glogoviam diu, ſed fruſtra, oppugnaſſet, à Boleſlao Polono victus eſt & fugatus A. C. 1109. *Medeziboria*, *Medziber*, in Poloniæ finibus oppidum anno 1599 ab Andrea Leſchinsky, Ducibus Monſterbergenſibus venditum. *Stroppavia* oppidulum eſt immœnitum, non longe Wolavia. *Trebnitia* oppidum & ejuſdem cognominis, magni nominis Cœnobium, ab Henrico Barbato, D. Hedwigis marito fundatum, & puellis Ciſtercienſis ordinis ex cœnobio Bambergenſi huc tranſlatis attributum. Peregrinatione ad D. Hedwigis ſepulchrum illo ævo celeberrimum; anno 1430 Huſſitæ oppidum hoc diripuere. Ad hunc Ducatum ſpectat quoque *Monſterberga*, urbs antiqua Ducalis, opportuno fertilique ſita loco: olim Ducibus cognominibus, qui hodie Olsnenſes; nunc Regi Bohemiæ ſubjecta. Cromerus Monſterbergenſem Ducatum alicubi Sambicenſem vocat. Nomen fertur habere à Cœnobio Germanis *Munſter*, & circumjectis montibus. Non longe hinc oritur fluvius Olavia. Inſignia urbis ſunt Palatium album in campo cæruleo, duabus turribus ornatum, inter quas aurea ſtella: infra in aperta porta litera antiqua M conſpicitur. Monſterbergenſi porro Ducatui ſubdita ſunt oppida *Francoſteynium* ad Steinam fluvium, hodie non inglorium. Anno 1612 per incendiarios totum fere oppidum deflagravit: Bello Suecico bis terve oppugnata & capta eſt. *Warta* inter montes ſitum oppidum ad Niſſam fluvium, peregrinationibus ad vicinum montem celebre. Numerantur præterea oppida *Tſchepliwoda* & *Heinrichaw*, ut & Monaſterium *Kamentz*.

BARONATVS LIBERI TRACHENBERG, MILITSCH, & WARTENBERG.

Termini. HI tres Baronatus Liberi ſibi invicem quoad longitudinem contigui, & Poloniæ contermini ſunt. Hæc illos cingit à Septentrione & Oriente, Olsnenſis & Breſlavienſis Ducatus à Meridie, & Wolavienſis ab Occidente.

Trachenberga. Trachenbergenſis Baronatus continet oppida Trachenbergam, quod Baronatui nomen dat, Prauſnicium & Karszenski. *Trachenberga* uliginoſo loco ad Borthæ fluvii ripas ſitum, bonorumque piſcium, ac maxime luciorum, captura celebre. Toparchas olim agnovit Barones Kurtzbachios, ante annos haud ita multos in Schaffgotſchiorum familiam tranſlatum. Arcem habet non exiguam, quæ anno 1579 igne multum fœdata eſt. Anno 1640 irrito ſucceſſu oppidum à Stallhanſio tentatum eſt, ſed 1642 à Torſtenſonio vi captum & diu poſſeſſum cum magna obſidentium Cæſarianorum clade. *Prauſnicium* ſeſquimilliari Trachenberga diſtans, olim Glogovienſis ditionis erat, ſed poſtea Ioanni Bohemiæ Regi ut feudum oblatum, exinde mutata rerum facie, huic Baronatui acceſſit. *Karſzenski* oppidum ad Horlam fluvium ſitum eſt.

Militſch. Alter Baronatus Militſch conſtat oppidis Militſch, Freihain, & Zulauff. *Militſch* ad Bortham fluvium oppidum Malzanio Baroni ſubjectum, olim, anno 1329, à Conrado, Duce Glogovienſi, Ioanni Bohemiæ Regi ut feudum oblatum eſt. Anno 1578 Ducum & Ordinum Sileſiæ conſenſus illud munire decreverat. *Freyhain* oppidulum in ipſis Poloniæ finibus ſitum eſt. *Zulauff* oppidulum apertum, nunc Barones agnoſcit Dohnenſes.

Baronatum Wartenbergicum conſtituunt oppida Wartenberga, Goſchutz, Bralin, & Beraun. *Wartenberga* oppidum Baronatus ſui primarium, amœnum & elegans, haud longe à Weidæ

Weidæ fluvii fontibus distans: cujus dominio hodie potitur familia Burggraviorum Donensium. Anno 1632 oppidum Sueci deditione; & 1634 Saxones manu cepere. Anno 1643 Torstensonius tribus noctibus & diebus continuis sed vano eventu illud oppugnavit; anno autem 1646 Sueci hujus oppidi tandem domini facti, omnibus id munimentis denudarunt. *Bralinum* inter Beraun & Wartenbergam situm oppidulum est. *Beraun & Goschutz* oppidula, hoc non longe Medeziboria, illud in confinio Poloniæ situm est.

BREGENSIS DUCATUS.

Termini.

Bregensis Ducatus in hac descriptione non recte à prioribus separari, sed melius eodem intexi filo videbatur, quum uni cum prioribus Domino pareat. Cingitur ad Ortum Polonia & Oppoliensi Ducatu, ad Septentrionem Breslaviensi Ducatu, Schwidnicensi ad Occasum, & Grothkano ad Meridiem.


Brega.

Caput Ducatus est urbs *Brega*, Cromero *Bregum*, præcipuis Silesiæ urbibus annumeranda. Posita est loco amœnissimo ad Viadri ripam, plateis, templis, turribus aliisque ædificiis qua publicis, qua privatis admodum venusta; tum vero magnifico Principum suorum palatio superba. Præcipuum illi decus & ornamentum ex Gymnasio illustri, quod omnium artium & disciplinarum studio hactenus fuit florentissimum. Habet hæc urbs suum Consistorium, ad quos res nuptiales referuntur. Sunt quoque multa præclara statuta, inter quæ: Ne opifices Lunæ die ferientur: ne noctu balnea celebrentur: ne sordibus plateæ maculentur: ne pecudes per plateas errent: ne puellæ post choreas à juvenibus domum deducantur: ut cito domum discedatur: ne noctu choreæ agantur: ut pueri diligenter ad scholas amandentur: ne paleæ vel straminis copia in urbe recondatur, &c. Insignia urbis sunt tres anchoræ ferrei coloris ad unum annulum alligatæ in campo rubro. Anno 1428 Hussitæ ex Bohemia urbem cum arce & ecclesia igne absumpserunt. Anno 1507 Faber lignarius, quo haberet unde laboraret, urbem diversis locis incendens 69 domos destruxit, postquam aliquos puteos inutiles reddidisset; sed igne punitus est nefarius homo. Anno 1633 ex compacto præsidium Suecicum accepit, sed post Conventiones Pragenses iterum anno 1635 Cæsareos admisit. Anno vero 1642 diu obsessa à Suecis est, sed irrito eventu.

Bicina oppidum juxta Silesiæ & Poloniæ confines, hoc ævo nulla re notius, quam ob cladem anno 1588 ibi à Polonis acceptam. Oppidum quippe direptum est & exutum, cives crudelissime tractati: multi trucidati, plurimique in acerbissimam servitutem à Tartaris abducti. Anno 1627 à Danis astu captum & direptum est. *Creutzberga* ad fontes fluvii Brincii non longe Rosenberga situm oppidum, eandem cum Bicina fortunam in supra dicto prælio expertum est; postea temporibus belli Suecici multis cladibus affectum. *Kedzerdorf* vicus ad Stobram fluvium cum arce Principum Bregensium. *Lewinum*, Oppidulum immœnitum ad Nissam fluvium sub dominio Bressiorum. *Nimitium, Nimpsch* oppidum situm inter Frankenstein & Wratislaviam, cui castellum imminet opere pulchrum & validum, in monticuli fastigio extructum, Hussitarum bello Silesii illud obsedere irrito conatu. Ultimo Suecico totum deflagravit & multa mala perpessum est. *Olavia*, urbs mœnita & valde munita ad Olam fluvium sita est, una cum elegantissima Ducali arce. Anno 1429 ab Wratislaviensibus Hussitarum manibus extorta est. Anno 1632 in Saxonum manus venit, inde iterum ad Cæsareas partes transgressa, tandem in manus Suecorum pervenit, & anno 1647 ab illis munimentis inclusa, arx vero demolita est. *Reichensteinium* oppidum ob metalla auri & argenti clarum, quod ante annos haud multos una cum Silberberga ditioni suæ adjecit Illustrissimus Princeps Ioachimus Fridericus, Dux Lygio-Bregensis. *Silberberga* oppidulum metallicum à venis argenti nomen accepit, quod olim venæ argentariæ illic fuerint celebres. *Strela*, Cromero *Strelinum*, oppidulum ad Olaviam fluvium insignis pulchritudinis, agro undique beatissimo pinguissimoque cinctum. Hoc enim præcipue tractu lætissimas fruges tellus producit. Anno 1647, portis, muris, & turribus nudatum est, postquam aliquoties partes in bello Suecico mutasset. *Michilavia*, vicus primum, inde anno 1615 à Ioanne Christiano, Duce, singulari gratia oppidi privilegia adepta est: distat non longe Lewino.

IAVRAVIENSIS DVCATVS.

Termini.




Vcatus Iauraviensis in longum directus Bohemiam versus, quæ ipsi Meridionalis, in ampliorem latitudinem se dispergit, ita ut amphoræ non absimilem figuram retineat, cujus angustum os Glogoviensi Ducatu ad Septentrionem claudatur, ansatum latus, in quo ipsa Metropolis, Swidnicensem & Lignicensem Ducatus habeat confines, & anterior pars Lusatiam Superiorem, & partem Bohemiæ Occidentem versus respiciat.

Divisio. Dividitur totus in quatuor Diœceses, Buntzlaviensem, Leobergensem, Hirschbergensem & Iauraviensem. *Iauraviensis* Diœcesis ab angulo illo, quem amphoræ ansam constituere diximus, Leobergensi & Hirschbergensi Diœcesibus terminatur. Vrbem unam tantum habet, quæ & toti Ducatui caput est, & nomen dat, *Iauravium* sive *Iavoriam*, agro circumquaque fertilissimo circumdatam, inter Swidnicium & Lignicium loco opportuno sitam. *Iavoria.* Non quidem ita grandis est Iavoria ac Swidnicium, sed fortibus tamen muris & portis cincta est; aëre fruitur saluberrimo, gaudet Cathedrali ecclesia, Cœnobio asseclarum S. Bernardi; & ingenti nitentique palatio, in qua residet præfectus utriusque Ducatus Swidnicensis & Iavoriensis, prædita est. Curiam habet lapideam & mediocrem, circumcirca aream non exiguam cum domibus, quæ ita ædificatæ sunt, ut sub porticibus, quæ ante ædes sunt, ambulare tutis à cœli injuria liceat. In insignibus præfert S. Martinum gladio pallium rubrum dividentem in campo cæruleo equo cinericio insidentem. Anno 1640 Stalhansius huic urbi præsidium imposuit & munimentis providit. Sub ejusdem anni mensem Aprilem Goltzius Cæsarianorum Dux urbem uno alterove impetu recepit, magna cum civium clade, qui urbem egregie defenderant. Anno 1642 à Suecis sub Torstensonio occupata est, & 1646 ab iisdem direpta. Anno 1648 strategemate à Cæsarianis recepta, direpta, & incensa, (quo incendio media pars urbis cum cathedrali ecclesia in favillas redacta est) excepta arce, quam Sueci tenuere.

Oppida & pagi. Oppidum hujus Diœcesis unicum *Schonavia* est, ad Cattum fluvium situm, & ab amœnitate loci nomen adeptum. Castella sunt *Hertzogwald* & *Lobris*. Ex pagis hi præcipui inveniuntur: *Matzdorf*, *Bersdorf*, *Proffen*, *Kolminitz*, *Poschwitz*, *Hermsdorf*, *Prausnitz*, *Conradswalde*, *Leippe* & *Pumbsen*.

Hirschberga. *Hirschbergensem* Diœcesim ambiunt Bohemia, *Germania.* Leobergensis & Iauraviensis Diœcesis, & Ducatus Swidnicensis. Tota fere montibus obsita, & sylvis adumbrata est. *Hirschberga* primarium oppidum hujus Diœcesis, Latine *Cervimontium*, à cervorum venatu sic dictum, non spaciosum quidem, sed hominibus & incolis frequens, & artificiis lini elegantioribus celebre, ad confluentem Zazi & Boberi fluviorum intra Sudetos loco amœno commodoque positum: tum balneis sive thermis vicinis nobilitatum, quæ variis corporum morbis malisque curandis efficacissimæ. Anno 1549 fortuito igne totum exustum est; sed magnificentius & ornatius postea reædificatum; anno 1634 incensis à Cæsarianis suburbiis, flammam vento ferente urbem versus, iterum in favillas redactum est, ita ut ne unica quidem domus inviolata remanserit. Anno 1640 à Cæsarianis diu obsessum est, cum Stalhansius priori anno præsidio illud firmasset, tanta obsessorum pervicacia, ut multæ mulieres fame perierint, infantesque manus sibi ambederint. Tandem à Stallhansio liberati urbem reliquere, incensis portis & omnibus quæ tolli poterant asportatis, quingenti circiter cum mulieribus & infantibus. Relictam & destructam urbem Goltzius, Dux Cæsareus paulum restauravit, & incolis ditavit. Exinde anno 1645 à Koningsmarckio occupatum oppidum, & diu contra Cæsarianos defensum est. *Oppida & Arces.* Reliqua oppida sunt: *Schmideberga*, ad latera montis gigantæi, à fabrorum metallicorum frequentia, ac si diceres *Fabrorum montem*, denominatum. Ferrariâ secturâ ante multos annos notum, & hodie Metallicorum habitatio. *Kupferberga*, quasi *Æris mons*, oppidulum metallicum antiquitate non incelebre, intra Riphæos montes ad Boberum fluvium, ubi ultra 70 officinas, in quibus æs fuit excoctum in valle, quæ à scoriis nomen retinuit, der Schlackengrundt/ extitisse, idque ingentia scoriarum agmina ad Boberum conjecta etiamnum demonstrare, cum hodie unica tantum superfit, Schwenckfeldius testatur. *Molckenhaus* ad Hebrum fluvium è regione arcis Fischbach situm; *Katzdorf* ad fontes amnis Katzbach, & Altenberg. Arces plurimæ in hac Diœcesi sunt, ut *Kynast*, *Kemnitz*, *Falckenstein*, *Bobersteyn*, *Poltzenstein*, & *Fischbach*. Pagorum numerus quasi infinitus melius ex tabula cognoscitur.

Leoberga. *Leobergensis* Diœcesis Lusatiâ, Buntzlaviensi & Hirschbergensi Diœcesibus, & parte Lignicensis Ducatus circumdatur. *Leoberga* urbs amœnissimo ad Boberum fluvium situ (totus enim tam supra quam infra urbem tractus nil nisi Tempe est) olim metalli fodinis, nunc ingeniorum & agrorum cultura, ædificiorum elegantia, lanificii præstantia, hortorum denique amœnitate celeberrima est. A Bojemis quidem vel solo


Septentrio
Meridies
Oriens
Occidens
LVSATIÆ SVPERIORIS CONFINIA.
BOHEMIÆ CONFINIA.
DIŒCESIS BUNTZLAVIENSIS
DIŒCESIS LEOBERGENSIS
DIŒCESIS HIRSCHBERGENSIS.
DIŒCESIS IAVRAVIENSIS
Ducatus LIGNICENSIS PARS.
DVCATVS SCHWEIDNICENSIS PARS.
Notularum Explicatio.
Vrbs.
Oppidulum.
Monasterium et bona Colesiast:
Arx.
Pagus cum Templo.
Pagus.
Molendinum.
Arces dest:
Fodinæ Auri:
Argenti
Stanni
Cupri
Ferri.
Officina ferri.
Calx.
Illustri, et Generoso Dnō,
D. OTTONI,
Lib: Baroni à Nostitz in Rockhitnitz,
Seifersdorff, Hertzogswaldaw, Lobris,
Presen, Mangschütz et Neuendorff;
Sacr. Cæs. Maj.tis à Consiliis, et Capitaneo
Swidnicensis et Iaurani Ducatuum:
ut et
Plurimum Reverendis Præsulibus,
Illustrissimis Generosis Comitibus et
L. L. Baronibus, Nobilibus, Strenuis, Equestris Ord. D.D. Provincialibus universis
Ducatus Iaurani, Dominis
suis gratiosissimis,
Delineationem hanc Ducat. Iaurani humillime D.D.
Fridericus Kühn.
DVCATVS
SILESIÆ
IAVRANI
DELINEATIO
Auctore Friderico Kuhnovio
Bolcol: Siles.
Scala Milliarium Germanicorum communium.
Exc. I. Blaeu.

Rosmarino matresfamilias Leobergenses vectigal non infructuosum hactenus exegerunt; cujus quidem aromaticæ plantulæ culturæ acceptum referre non dubitat Tobias Coberus, quod multorum cum magnatum stupore malus granata, & quidem Infera in horto Consulis Schubarti, sub ipsa Silesiæ Erigone conspiciatur. Anno 1640 à Stallhansio præsidio firmata, & 1642 à Lawenburgico recepta est. Inde post Glogoviam à Suecis interceptam in eorum manus venit, & 1643 à Cæsarianis iterum obsessa, illisque dedita est.

Oppida, Arces, & Pagi.

Sunt præterea in hac Diœcesi & alia oppida, ut *Greiffenberga*, non ignobile, ad Quissi fluenta situm, cui famam conciliant, quæ illic excoluntur linificia. Vnde ingens mercimoniorum commoditas, & luculentum incolis lucrum. Anno 1603 ex improviso subortis ignibus totum in cineres abiit. Anno 1645 huc adveniens Torstensonius Arcem *Greiffenstein* obsedit, quæ arbitrio victoris sese permisit, ut & Arces *Fridland*, *Polchenheim & Lehnhaus*, quas posteriores Montecuculi proxime sequenti anno recepit, sed Fridland & Greiffenstein accurrens Wittenbergius Suecorum Dux periculo exemit. *Fridberga* oppidum montana versus Quisso fluvio annexum, Gottschiorum dominii. *Lehn*, cum arce adjunctâ, inter Leobergam & Hirschbergam situm oppidulum; & *Liebethalium*, in valle amœna situm, non procul Gryphimontio, sodalitio sanctimonialium sub Abbatissa viventium celebre. Arces in hac Diœcesi sunt *Greiffenstein*, *Zoten*, *Siebeneichen*, & *Plachwitz*. Pagi sunt *Birngratz*, *Langenwasser*, *Rabshow*, *Mertzdorf*, *Geppersdorf*, *Langenaw*, *Newdorf*, *Sirgwitz*, *Hartmansdorff*, *Trinnendorf*, *Steinkirch*, & innumeri alii.

Boleslavia.

Diœcesis *Buntzlaviensis* cæteris angustior & ignobilior est. Vnam habet urbem *Buntzlaviam*, sive *Boleslaviam*, non ignobilem ad Boberum fluvium, situ commodo & amœno, ad nemora quippe & porrecta camporum æquora floridis & irriguis distincta pratis, aëris salubritate, fontium perennium & egelidorum frequentia, soli egregia fœcunditate paucis secundam. Tempore belli Sueco-Germanici sæpius hæc urbs bellantium partes mutavit, non sine suo dispendio. Oppidum habet hæc Diœcesis tantum unicum, nempe *Naumburgum* ad Quissum fluvium situm, cœnobio sanctimonialium celebre. *Klitzdorf* non exigua quoque arx, aliquibus pro oppido ponitur, ut & vicus Modlaw. Ex pagis hi præcipui sunt: *Olse*, *Newdorf*, *Tillendorf*, *Mittel*, *Mertzdorf*, *Schonfeld*, *Leichtenwalde*, *Aslaw*, & *Medlaw*.



GLO-

GLOGAW DVCATVS.

Limites.



GLogaw, celeberrimus inferioris Silesiæ Ducatus, habet ad orientem Poloniæ regnum, circulum Guraviensem, & Wolaviensem Ducatum; ad meridiem clauditur Bolcovicensi & Sprottaviensi circulis; ad occidentem illi sunt circuli Freystadensis & Grunbergensis; porro ad septentrionem terminatur Dominio Beuthen, & Polonia. Glogaw ita dicta est lingua Slavonica, quod non longe à loco sepibus & dumetis referto sita sit. Posita est ad Viadrum amœnissimo prospectu. Totius autem Principatus tractus, ab utraque Oderæ ripa protensus, frugibus quam maxime abundat, & multis locupletibus fulget pagis. Incolæ perindustrii sunt, operam stivæ & mercaturæ navantes. Nobilitas tanta est, ut tota regio Nobilium arcibus passim ornetur.

Nomen.

Divisio.

Dividitur Ducatus hic in Circulos, quos Silesii **Weichbildt** vocant. Hi octo sunt: *Glogoviensis*, *Swibustiensis*, *Guraviensis*, *Bolceviensis*, *Sprottaviensis*, *Beuthensis*, *Freystatensis*, & *Grunbergensis*.

Circulus Glogaviensis.

In circulo Glogoviensi primaria civitas, quæ Ducatui nomen dedit, est *Glogovia*. Quo tempore hæc fundata sit, nomenque *Slavan Polacre* obtinuerit, incertum, Historicorum defectu: quorum antiquissimi, qui Glogoviæ servantur, scripsere anno 1285. Historia vero Polonica meminit ejus anno Christi 1104, ubi ait Ducem Boleslaum Crispum Glogoviæ militem conscripsisse, ad Pomeranos invadendum. Verisimile est, Glogoviam & Vratislaviam, eodem tempore, sub rege Miceslao, conditas, cum Episcopi Godefredi, aliorumque consilio, multæ in Polonia civitates, ædes, ecclesiæque construebantur.

Sunt qui sentiant oppidum hoc in adversa Oderæ ripa fuisse, & à Boleslao Crispo ad hanc fertiliorem & amœniorem translatum, ejusque pomœria, ob civium multitudinem, latius extensa, in eoque, suadente Episcopo Haymone, primam Ecclesiam erexisse, Diœcesique Vratislaviensi subjecisse. Anno 1260 transposuit Dux Glogoviensis Conradus oppidi hujus ecclesiam ad flumen Oderam, ubi hodieque cernitur, atque in ejusdem ecclesiæ fundo arcem struxit.

Cives indies magis magisque ædificia sua ex præscripto Architecturæ exstruunt & ornant, quamvis maximâ ex parte lignea. Sarmatæ veteres & Poloni, parvi hanc artem faciebant. Præcipuus ejus ornatus est templum suburbii, situm in loco aspectui grato, fluvio irrigato, arboribusque frugiferis ad normam plantatis, hortisque voluptuariis cincto.

Extenditur civitas in longum ab Austro ad Septentrionem instar ovi. Duo hic olim erant castella, unum ad Meridiem, quod dirutum, ejusque loco jam porta est, qua in oppidum itur. Alterum ad Oderam, in parte Occidentali, forma antiqua, Ducum quondam habitaculum. Videre hîc etiam est formidabilem illam turrim, in qua, jussu Ioannis Ducis, Magistratus fame interiit.

Templum Cathedrale ad Austrum est, cum turri sublimi, cui Silesia parem non habet. Tria etiam sunt hic monasteria, Virginum sacrarum unum, alterum Franciscanorum, quod nunc Bernardini possident, tertium Dominicanorum.


Princeps hic instinctu conjugis suæ Salomes à Posen, mulieris piæ & prudentis, multa fecit præclara. Inter alia condidit cœnobium fratrum Prædicatorum in parte civitatis occidua, quam partem etiam extendit. Purgavit insuper locum ubi sontes puniebantur, quem ædificando Virginum Deo dicatarum monasterio designavit, quod filius ejus Henricus III, Dux Glogoviensis, post mortem prædictæ Reginæ exstruxit. Tanta erat fœminæ hujus pietas, ut Reges & Ecclesiastici eam ut Sanctam habuerint & coluerint. Vrbs multis incendiorum casibus vastata lætior & ornatior ex ipsis flammis semper resurrexit. Bellis nuperis quoque plurimis cladibus affecta, & fortiorum aliquando in partes transire coacta est plurimo cum suo damno.

Civitatis hujus diameter seu latitudo passuum est quingentorum, circuitus sexcentorum viginti quinque. Non longe distat à Vratislavia, estque reconditorium tritici aliarumque mercium, & exterarum gentium velut penuarium.

Aër sanior hic est quam Vratislaviæ, nec facile corrumpitur ob loci situm; Alpes enim præcludunt viam ventis pestiferis ab Austro flantibus: Aquilo rectâ civitatem intrat perflatque, purgans omne quod aërem posset corrumpere, qui, licet acer & mordax sit, temperatur tamen exhalationibus ex Odera ascendentibus, ita ut hic tractus non ita morbis pateat ut alii.

Circulus Swibustiensis.

In Circulo Swibustiensi oppidum *Swibussen* est, mediocre, ultra Viadrum loco peropportuno & amœnissimo collocatum, ubi magna omnium rerum necessariarum copia. Curæus notat collocatum istuc ordinem Equitum S. Mariæ. Cromero vocatur *Suebodinum*. Dubitatur de nominis origine; sitne deductum à Suionibus vel Suevis. In circuitu non adeo magnum est oppidum. Adjacet finibus Polonorum, decem mill. Glogovia distans. Templum cathedrale eximii operis est, totum ex lapide exstructum, magna & alta cum turri, in qua majorum & minorum campanarum egregia symphonia. Oppidum ipsum multis lapideis munimentis satis defensioni aptum est. Pagi, *Stentsch*, *Moschten*, *Scharmse*, *Ogerschutz*, aliique.


DVCATVS
SILESIÆ
GLOGANI
Vera Delineatio
Secundâ curâ ac labore confecta
A Iona Sculteto Sprotta Silesio.
Notarum Explicatio
Urbs Stadt
Oppidum Städlein
Pagus cum templis Dorffer mit Kirchen
Pagus cum Sede nobili Dorff mit einē Edelsitz
Pagus Dorff
Arx Schloß
Monasterium Kloster
Bona Ecclesiastica Geistliche gutter
Vinetorum Colles Weinberge
Fodina & Officina Ferri Eysenhamer
Lacus sive Stagnum Paludes See Morast
52 Oriens
52 Occidens
Septentrio
Meridies
PARS DVCATVS LIGNICIENSIS
HERRNSTADIENSIS TRACTVS
GVRAVIENSIS CIRCVLVS
GVRAWISCHES WEICHBILDT
GLOGOVIENSIS CIRCVLVS
GLOGAWISCHES WEICHBILDT
FVRSTENTHVMB
BOLCOWICIENSIS CIRCVLVS
CIRCVLVS SPROTTAVIENSIS
SPROTTAWISCHES WEICHBILDT
PARS DVCATVS IAVRAVIENSIS
CIRCVLVS GRVNBERGENSIS
GRVNBERGISCHES WEICHBILDT
CIRCVLVS FREISTADIENSIS
FREISTADTISCHES WEICHBILDT
PARS DVCATVS SAGANENSIS
SAGANISCHES FVRSTENTHVMB
LVSATIÆ INFERIORIS PARS
PARS DVCATVS CROSNENSIS
CROSNISCHES FVRSTENTHVMB
CIRCVLVS SCHWIBVSENSIS
SCHWIBVSISCHES WEICHBILDT
REGNI POLONIÆ CONFINIA
KONIGREICH POLEN
Glogaw
Grunberg
Freistadt
Sprottaw
Sagan
Beuthen
Carolath
Gurau
Lüben
Schwibussen
Züllichaw
Bentschen
Obra flu.
Milliaria Germanica communia

9

que. Arces, *Liebenaw*, & *Mubblock*. Monasteria, *Obelwitz*, & *Schonfeld*. Nobilium prætoria, *Wutten*, *Koppen*, *Blanckenfeld*, & alia.

Circulus Guraviensis.

Circulus Guraviensis habet oppidum ejusdem nominis *Guraw*; Cromero *Goram*: editiori loco omnibusque ventis, præsertim Aquilonibus exposito situm, & frumentario foro celeberrimum. Magna enim vis frumenti singulis septimanis huc convehitur, idque propter situs opportunitatem ad Poloniam. Margaretha, Vladislai Teschinensis & Glogoviensis Ducis vidua, multis illud oppidum privilegiis donavit & ornavit. Anno 1457 totum unà cum Ecclesia deflagravit. Bello Suecico hinc & inde sæpius occupatum, & multas clades passum est.

Tschirnavium, *Tschirnaw*, oppidum cum arce Stoschiorum recentissimum, lanificii & tincturæ artificio præcipue clarum: nec nobilior tota fere Silesia, quam isthic, pannus texitur. Arcem habet *Seitsch*. Monasteria, *Munchebrauna*, *Weschke*, & *Neugurt*. Prætoria Nobilium, *Salerwitz*, *Schatz*, *Stroppen*, plurimaque alia. Pagos, *Tribusch*, *Geischen*, *Gleinich*, *Alt Guraw*, aliosque.

Circulus Bolcevicensis.

Circulus Bolcevicensis, ita dictus ab oppido *Bolkowitz*. Oritur hîc amnis *Goltback*, qui districtum Glogawicensem perlabens, in eodem se Oderæ miscet. Non longe hinc in Ducatu Lignicìensi juxta pagum Sprottichen, pullulat Sprotta fluviolus, qui, postquam circulo & civitati *Sprottaw* nomen dedit, in flumen Bober se præcipitat. *Sprottavia* vero urbs est elegans, frequens, amœna, & post Glogaviam & Beuthenam illo in territorio antiquissima. Arcem habet versus ortum eo loco sitam, qui fluviis & paludibus circumdatur. Cœnobium hic virginibus sacratum, Beuthena huc translatum. Aëre fruitur temperato & salubri. Locus hic, ut & alii, bellorum vices, præsertim Suecicorum, sæpius expertus est, & nunc à Suecis, nunc à Cæsarianis captus & amissus. *Primislavia*, sive *Primckenavia*, non procul Sprotta situm oppidum, cui nomen à Primislao Sprottaviensium Duce.

Circulus Beuthensis.

Circulus Beuthensis, quem Viadrus medium perlabitur, oppida habet duo, *Carolatt* & *Beuthen*. Domini de *Schonaich*, ad quos dominium hoc pertinet, Gymnasium Beuthenii erexere. E regione Carolath, fluvius *Weisfurt*, in ditione Freystattensi ortus, in Oderam influit.

Circulus Freystattensis.

Circulus *Freystattensis*, locus admodum conspicuus, aliqua ex parte montibus stipatus, & dominium in circumjacentes tractus exercens, nomen habet à patentibus liberisque campis sive arvis, quibus passim refertus est, quæque in hodiernum etiam diem *liberi campi* ab incolis dicuntur. Vrbs ipsa *Eleutheropolis* seu *Freystadt*, depressiori situ posita, amœna satis & elegans, magna ex parte collibus cincta. Linearum telarum texendarum gloria cæteris territorii illius oppidis præcellit. Arx aquilonem versus sita à Dominis loci Schonaichiis non mediocriter exornata est. Aëre quidem grato fruitur, non tamen adeo salubri, ob conjunctum frigus pectori nocivum. Hinc totæ domus phthisi laborantes concidere videntur; præcipue vero mulieres huic malo obnoxiæ sunt. Ager vicinus arenosus, improbo tamen agrestium labore satis fertilis est. Antiquitate venerabilis est, etsi ejus primò circa annum Christi 1380 meminerint historiæ. Inter cæteros amnes, qui hic originem habent, & ab Odera absorbentur, præcipuus est **das Schwartz-wasser**. *Newstättin*, oppidum ad fluvium **Weisfurt**, milliari Germanico distans Freistadio, equinis nundinis quadragesimalibus celebre est; & familiæ Rechenbergianæ hereditas.

Circulus Grunbergensis.

Circulus *Grunbergensis*, extremus inferioris Silesiæ versus Occidentem tractus, ita dicitur ab urbe *Grunberga*, in valle perquam amœna sita. Ager vineis, pascuis, & arvis lætissimus, multis fontibus ubique irrigatur. Extructa est urbs anno 1320 à Germanis, magnitudine cum Sprotta certans; sed binis incendiis deleta, & iterum reædificata, tandem ultimis bellis plurimum fœdata est.

Hebrus fl.


Videtur etiam in hac tabula pars fluvii *Hebri*, quem *Bober* vulgo dicunt, qui in Principatu *Schweidnitz* Bohemiæ finibus, juxta oppidum Landshut ortus, percurrit Principatum Iaur, præteritque oppida *Hirschberg*, *Lemberg*, *Buntzel*, ad *Sprottaw* usque, ubi fluvio Sprotta auctus, & absorpto primum Quisso in Lusatia orto, Sagam versus labitur: inde civitatem Crossen petit, & Neissæ flumini comes factus, Francofurtum ad Oderam festinat per Marchiam Brandeburgensem Custrinum versus: porro civitatem *Britzen* transit, atque ex Marchia Brandeburgensi, relictis post se *Gartz* & *Griffenhagen*, Pomeraniam perlabitur, atque tandem, postquam infra Stetinum, lacum magnum effecit, tribus ostiis in mare Balthicum præcipitatur.

Glogaw sub rege Bohemiæ.

Anno 1333 Ioannes, Glogoviensis Dux, cum Ioanni Regi Bohemiæ mediam partem Ducatus vendidisset, idem Ioannes Rex exercitu in Glogoviam veniens, alteram etiam partem in suam redegit potestatem. Posteaque omnes Silesiæ Duces Regi Bohemiæ se subjecerunt.


BARO-

BARONATVS CAROLATH.



Irculus Bethaniensis sive Beuthensis (de quo in præcedentibus mentionem fecimus) Viadro flumine in duas partes secatur. Oppida habet duo, *Carolath* & *Beuthen*, è regione sibi objacentia. Sunt hæc oppida peculium Liberi Baronis Georgii à Schonaich, olim in Aula Imperatoria Silesiæ Vice Cancellarii, qui Beuthenæ eximium Gymnasium erexit, cujus famam non mediocriter auxit D. Caspar Dornavius ibidem Professor. Carolus Caraffa in sua Germania sacra scribit Imperatorem Ferdinandum II, anno 1625 Patribus Iesuitis Schonaichiis impositam pœnam exigendam tradidisse: quod si non totaliter fieri posset, ipsis Calvinistis concessum à Schonaichiis Gymnasium occuparent. Cum Boleslaus Distortus, Rex Poloniæ, bellum gereret cum Henrico V, Imperatore, Beuthena ab Imperatore obsessa, defendentibus se ex arce Polonis, vim ejus egregie illusit. Bello verò Polonico, quod Cæsar Fridericus Primus ipsis intulit, à Polonis una cum plurimis aliis oppidis & tota regione ferro & igne vastata est, ut Cæsarem ubicunque annonæ pabulique copia deficeret. Exinde iterum, sed magis Occidentem versus, ab incolis reædificata ad Oderæ fluvii ripam, iterum, anno 1475 tota excepto templo, igne consumpta est. Bello Suecico, Sueci Duce Stalhansio egregiis operibus in Beuthena se muniverant & possederunt, usque dum fortiori Cæsarianorum impressione coacti illam anno 1641 reliquerint, in munimentum in insula structum concedentes: ex quo tamen majorum tormentorum explosionibus fugati Crosnam petivere. Cessit Cæsarianorum viribus & Beuthena una cum Carolatho, quod præcipuum & firmum munimentum est. Anno vero 1642 Torstensonius iterum eadem oppida Cæsarianis eripuit. Ager vicinus fertilis & amœnus Reklacha & Weisfurta fluviis irrigatur. Non longe hinc spatiosæ sylvæ plurimarum ferarum copia non ingratæ.


Tarnovitium, *Tarnowitz*, oppidum Dynastiæ Beuthensis metallicum, ad radices Carpathi situm, metallis argenti, maxime plumbi hodie celeberrimum.




BARONATVS
CAROLATO
BETHANIENSIS
IN SILESIA INFERIORE
Illustr. ac Generos. Domini,
D. GEORGII A SCHÖNAICH
Liberi Baronis Bethaniæ Carolati, Milkaviensis, Sac. Cæs. Majest. Consilarii. ac per Silesiam & Lusatiam utramque Cancellarii, dum viveret, procuratione delineatus.
Milliaria Communia hujus Tabulæ.
Eine Meile fur 1600 Rutten
Amstelædami
Apud Joannem Blaeu.
Septentrio.
Meridies.
Occidens.
Oriens.
Notularum Explicatio
Urbis Stadt
Pars Circuli Grunbergensis
Kayser New Salz
Pars Circuli Freystadiensis
Pars Circuli Sprottaviensis
Liche Saltzische Cammer Gütter
Tarnisch Quartier
Grochwitzisch Quartier
Lippnisch Quartier
Landscronisch Quartier
Wartenberg
Neu Saltz
Freystad
Beuthen
Carolat
Neustädlin
Schönaich
Glogaw
Schlawa
1:75.000

50 x 41

10



WOLAVIENSIS DVCATVS.



Vanquam non proprie Wolaviensis ditio Ducatus sibi titulum usurpet, neque inter 16 Silesiæ Ducatus numeretur, equidem cum circulos suos habeat, videtur non absurdum hoc eam nomine insignire, cum ubique in tabulis Geographicis id obtineat. Fuit antea pars Ducatus Olsnensis; qua vero ratione Lignicensis Ducatus accessio facta sit, equidem ignoratur. *Termini.* Terminatur Olsnensi Ducatu, & Trachenbergensi Baronatu ad Ortum, ad Occasum Glogoviensi Ducatu, ad Septentrionem confiniis Poloniæ, & ad Meridiem Lignicensi & Wratislaviensi Ducatibus. Regio partim silvis cincta, partim frugiferis agris dives, ubique salubri cœlo fruitur. *Circuli.* Circulis comprehenditur sex, *Herrenstadiensi*, *Wintzingensi*, *Wolaviensi*, *Stinoviensi*, *Raudensi*, & *Rutzinensi*.

Wolaviensis. Wolaviensis Circulus continet urbem *Wolaviam*. Hæc udo loco inter piscinas sita, munita & amœna simul, laneis pannis conficiendis hodie insignis est, & arcem minime contemnendam habet. Anno 1640 Suecorum Ductor Stallhansius post exigui temporis obsidionem arbitrio suo deditam cepit, & in ea non exiguam bellici apparatus copiam invenit. Inde recepta à Lauenburgico iterum anno 1642 à Suecis vi capta est & ad annum 1644 retenta, usque dum ad finem ejus anni Cæsareanorum impetus deditione eam acquireret. Non longe distat Piscina à magnitudine der Grosse Teich dicta. Pagi sunt *Alt Wolaw*, *Loswitz*, *Montschutz*, *Gros Kreidel*, *Polgsen*, &c. *Leubus* præterea ad Oderam Cœnobium celeberrimum est.

Herrenstadiensis. Herrenstadiensi circulo nomen dat urbs *Herrenstadt*, una cum arce splendidissima in Ussii ripa sita. Pagos habet *S. Andreæ*, *Gros Saul*, *Klein Saul*, *Geischen*, *Sande walda*, *Tschelesen* & *Hunnera*.

Wintzingensis. Wintzingensis circulus continet oppidum *Wintzig* in editiori colle situm, & pagos *Piskerschina*, *Seyfraw*, *Gros Schmoger*, *Gros Wangeren*, *Hern Motschelnitz*, *Gimmel* & *Preichaw*.

Stinoviensis. Stinoviensem circulum constituit oppidum *Steinaw* ad Oderam, Ducatus olim titulo insigne, & præteritis bellis satis celebre. Anno 1345 Poloni captum oppidum incendio delevere; ut & anno 1632 Sueci & Saxones: Exinde sequentibus temporibus sæpius dominos mutavit. *Damitsch* porro, *Dieben*, *Grossendorf*, *Lampersdorf*, *Burchwitz*, *Bielwise*, *Merschwitz*, *Ransen*, *Zedlitz*, *Thimendorf*, & *Cuntzendorf* præcipui ex circumjacentibus pagis sunt.

Raudiensis. Raudiensis circulus oppidulum *Rauden*, & pagos *Brodelwitz*, *Alt Rander*, *Mlitsch*, *Quiessen*, *Klein Gafron*, *Kamelwitz*, *Vrschka*, & *Deichsel* comprehendit.

Rutzinensis. Circulus Rutzinensis duo oppida habet, *Rutzen* & *Koben*, hoc ad Oderam, illud ad Borussum situm: & pagos plurimos, sed non magni momenti.

Ducatus SILESIÆ WOLANVS

Authore Jona Sculteto Sprotta Silesio.



Serenißimo et Celsißimo
Principi ac Domino,
D. GEORGIO RODULPHO,
DUCI SILESIÆ LIGNICENSI,
BREGENSI, WOLAVIENSI, GOLT:
BERGENSI, DOMINO SUO AC PRIN:
CIPI CLEMENTISSIMO,
Delineationem istam Ducatus
WOLANI humillime D.D.
Jonas Scultetus.


Notularum explicatio.

- Vrbs. Stadt.
- *Oppidum. Städlin.*
- *Pagus cum templo.*
- *Pagus. Dorff.*
- *Arx. Schloß.*
- *Molendinum. Muhl.*
- *Vinetum. Weinberg.*
- *Mons notabilis. Berg.*
- *Propugnaculum. Schantz.*
- *Bona Ecclesiastica. Geistliche Gutter.*

Scala Milliaris quorum 15 gradum conficiunt.

Milliare magnum.

Amstelædami J. Blaeu excudebat.



LIGN
DVC

Termini.



Ignicium, Si
ferioris insig
Ducatus, ad
tem Wratisl
ad Septen
Glogoviensi
laviensi, Occidentem versus Glogoviensi & Iauraviensi; & ad Meridiem Iauraviensi & Swidnicensi Ducatibus ambitur. Originem nominis trahit à sibi cognomine Metropoli Lignicio, à *Ligiis* seu *Luiis*, quemadmodum Ptolemæus & Strabo vocant, populis sic dicta. Aër regionis salubris, & agri cultura amœnissimis pratis immixta, fructuosissima est.

Nomen.

Divisio. Totus Ducatus in Circulos septem dispartitur. Hi sunt: *Lubenensis*, *Parchwiciensis*, *primus & secundus Furderheidensis; tertius Vberderheidensis*, *Haynoviensis*, & *Goldbergensis*. *Lignicium* ad primum Furderheidensem circulum refertur, caput & quasi mater Ducatus sui, avita Ducum Lignicensium & Brigensium aula & habitatio. Vrbs quidem antiquitate est insignis, testanturque Silesiæ Annales Boleslaum Procerum, cum mortuo patre Vladislao Poloniæ Principe patruorum suorum scelere una cum fratribus Polonia Minore exutus, solius Silesiæ Principatum teneret, Lignicium & Lubenam splendidioribus ædificiis & structuris exornasse, eorumque mœnia dilatasse. Paullo post indulgentia & favore successorum Principum, maxime Henrici Pii, Lignicium ita crevit, ut ipsi etiam Wratislaviæ elegantia structurarum opibusque & frequentia civium parum concederet. Nam cum B. Hedwigis mater Henrici, quem præ reliquis duobus filiis unice diligebat, ex nobili stirpe Ducum Carinthiæ & Istriæ orta esset, passim magnæ familiæ ex Germania in hanc viciniam commigrarunt; quæ facile eam ex inculta reddere potuerunt cultissimam. Etsi vero ab eo tempore irruptione Tartarica partim Hussiticis furoribus graviter attrita & debilitata fuit: in eam tamen quasi postliminio sese vindicavit celebritatem; ut, sive fertilitatem soli & victus parandi commoditates, sive munitiones & propugnacula mœnium & vallorum, sive ædificationis concinnitatem, sive denique civium numerum & opulentiam, humanitatemque consideraveris, non facile in Silesia, excepta Wratislavia, quæ Lignicio præferri possit, urbem invenias. Nisi quod A. C. 1609 18 Sept. incendium, casu an maleficio incertum, noctu exortum, vento flante vi tanta grassatum est, quanquam civibus ad flammas extinguendas accurrentibus, ut tertia nobilissimæ urbis pars igne absumpta fuerit. Sita est ad amnem Katzbach, in quem Deichsa & Schwartzwasser

Circulus I. Furderheidensis.

nit, plurima cum hominum, pecu... ge. Ad annum C. 1454 coorta seditione trucidatus à populo Senatus, expulsusque est Præfectus regius, vix ei compescendæ sufficiente Alberto Marchione Brandenburgico, totius Ducatus possessione in Fridericum I, Lignicii Ducem translata à Matthia Rege. Insignia urbis sunt duæ claves albæ transversæ in campo cæruleo.

Cæterum Circulus hic satis amplus & pluribus non exiguis pagis obsessus est. In iis sunt *Kunitz, Heinersdorf, Seyfersdorf, Koischwitz, Nicolstad, Gros Wandritsch, Kamperen, Gros Baudis, Koskaw*, aliique. Præter Weinlache amnem & aliquot lacus, eximiam piscinam habet der wirche teich dictam.

Circulus II Furderhaid. Alter Circulus Furderhaidensis nulla alicujus nominis oppida continet, sed tantum pagos, inter quos præcipui *Waldaw, Rotkirch, Kroitsch, Hohekirch, Pischwitz, Lubenaw, Newdorf & Oyas*.

Vberheidensis Circulus. Tertius Vberheidensis circulus totus quasi silvis obsitus est. Pagi præcipui in eo sunt *Krebsberg, Gros Kotzenaw, Samitz, Sprottichen, Lerchenborn, Branchitzdorf, Muhlredlitz, Schonborn, Rustern*, & *Binowitz*. Piscinam quoque non ignobilem habet.

Goldbergensis Circulus. Circulus Goldbergensis late extensus urbe *Goldberga* censetur, loci amœnitate cœlique clementia beata, at multo magis optimarum disciplinarum sede. Cattum amnem ob auriferas arenas clarum præterlabentem prospectat in convalle longe jucundissima, quæ agrorum fertilitate, hortorum amœnitate, pascuorum ubertate, salictorum denique ad utramque ripam suavissima umbra nulli secunda. Aurifodinis claruit circa A. C. 1200 tam fœcundis, ut septimo quoque die 150 libras auri dedisse legantur; è quibus una libra, sive ut quidam volunt, 80 aurei Rhenani Senatui urbano cesserunt. Henricus Pius Silesiæ Dux, cum congrederetur Tataris ex Asia per Poloniam in Silesiam irruentibus, quingentos metallicos Goldbergenses sub signis habuit. Cœnobium à D. Hedwige A. C. 1212 illic extructum, avorum memoria in Scholam illustrem commutatum est. Anno 1427 Hussitæ omnes pueros in ludo literario & sacerdotem in templo trucidarunt. Variis & memorabilibus incendiis vastata est diversis temporibus, & bello Suecico præsidio Suecorum insessa multa belli mala ferre cum reliquis coacta est. *Rechlitz* porro, *Hermsdorf, Adelsdorf, Graditz, Groditzberg*,



Septentrio

Occidens

Oriens

Meridies

Notular. Explicatio.

- Vrbs
- Pagus cum Templo
- Pagus
- Arx
- Molendinum
- Mons notabilis
- Locus ubi dimicatum

Amstelædami J. Blaeu excud.

Vlbersdorf, *Wilhelmsdorf* & *Probsthain* pagi sunt non exigui.

Haynoviensis Circulus. Huic circulo conterminus est Circulus Haynoviensis, in quo eminet oppidum *Hayn*, ad Deichsam seu Cattum fluvium, arce munitum, sed A. C. 1581 ab impio & scelerato quodam incensum & flammis quasi totum absorptum est. Exinde reædificatum non exigua mala ultimis bellis sustinuit. Pagos habet *Cunnersdorf*, *Steinsdorf*, *Golschaw*, *Beersdorf*, *Polsdorf*, *Lobendaw*, *Steudnitz*, *Straupitz*, *Lohm*, *Kaiserswalda*, *Kreibe*, *Reysicht* & *Sambitz*.


Lubenensis Circulus. Lubenensis Circulus oppidum habet *Luben*, ad Kaltzbach amnem situm & pervetustum; Boleslaum cognomento Procerum Annales testantur hoc oppidum auxisse & munivisse. Anno 1431 ab Hussitis injecto igne incensum est. Bello Suecico nunc harum, nunc illarum partium accessione factum, ut multis belli malis nobilitatum sit. Pagos subjectos habet *Altstadt*, *Groskirchen*, *Oßig*, *Petschkendorf*, *Gugelwitz*, *Oberhertzogwalda*, *Schwarta*, *Pilgramsdorf*, *Rinnersdorf*, *Brauna*, *Ober*, &c.

Parchwiciensis Circulus. Septimus Circulus hujus Ducatus est Parchwiciensis, cujus caput est oppidum *Parchwicium* Katzbach amni incumbens, non mœnitum sed arce nitens, & vinetis celebre. Pagi subjecti sunt *Obheyde*, *Wangten*, *Altlaß*, *Grosleswitz*, aliique.



DVCA-

DVC ATUS
BRESLANUS



Limites. Breslau, Silesiæ totius præcipuus Ducatus, terminatur ad Orientem Bregensi, ad Meridiem Bregensi & Swidnicensi; Lignicensi Occidentem versus, & ad Septentrionem Olsnensi Ducatu. Nomen. Nomen toti Ducatui ex ipsa capitali urbe inditum est Wratislavia. Totus hic tractus valde frugiferus est; aër salubris & clarus; nisi quod ipsa Wratislavia depressiori loco sita ad Oderam, frigidis vaporibus obnoxia sit, qui multorum morborum caussa sunt. Faciunt ad hoc plurimum cerevisia *Scheps*, quæ crassum & pituitosum alimentum præbet, & fortia vina Hungarica, Austriaca, Moravica & Franconica, quæ nimis avidis sui potoribus multa mala inferunt.

Divisio. Dividitur Ducatus hic in tres Diœceses & Circulum quem Silesii *Weichbild* vocant. Sunt vero Wratislaviensis, Neoforiensis, Namslaviensis, & Circulus seu Districtus Cantiensis.

Vratislavia. In Diœcesi Wratislaviensi urbium princeps est Vratislavia, Bojohæmis *Wratzlam, Breslaw* Germanis, opulentissimum in his oris emporium, splendidaque urbs, ac merito inter tres pulcherrimas Germaniæ (quarum alteræ Monachium & Lipsia) computata. Sita est ad confluentes Oderæ & Olanæ amnium, à Wratislao Bohemiæ Rege condita, cujus etiam nominis primam literam W in suis insignibus honoris causa gestat. Ante ipsum Quadi hæc loca tenuerunt, quorum Duces in Australi Oderæ ripa habitasse creduntur, ubi adhuc tres aut quatuor spectantur domus turritæ, eximiæ vetustatis. Crevit urbs tractu temporis per res adversas, non tantum structuræ dignitate, opibus & commerciis, sed etiam legibus & prudentia Magistratus.

Casus mirabilis. Memorabile est quod de turri templi S. Elizabethæ testatur inscriptio sequens:

MIRABILIS IN ALTIS DOMINVS.

Collapsa est turris Siloë madefacta cruore.
Pyramide hac nostra nemo cadente perit.
Nam jussu Domini exceptam, cui gloria soli,
Angelicæ molem deposuere manus.

Episcopatus. Accidit casus hic anno 1529, nemine læso ... no 1057 sedem Episcopalem, quæ ante ... Smogræ, exiguo nunc pago, postea B... stulit in suburbanam insulam C... niæ Rex, eamque Episcopo... legio attribuit, addita ... siæ, urbisque præsidi... supersunt vestigia. ... Germania...

... modo ... opulentiæ fastigium, ... gressi, pervenerit: & Aureus adeo nuncupari quondam meruerit. Basilica ipsa Cathedralis D. Ioannis Baptistæ honori sacra est: qui gentis ejus Sanctus tutelaris, tam venerabilis omnibus, ut Principes etiam viri nomen ipsius litteris suis præfixerint: uti patet ex Henrici Barbati vetusto diplomate, cujus hoc est initium: Nos *Henricus Dei & beati Ioannis, Patrisque mei Boleslai Gratia Slesiæ Dux*, &c.

Ordinem ceremoniarum, cantus, & vestitus cum liliorum insignibus, ex Lugdunensi omnium Galliæ nobilissima & antiquissima basilica in Vratislaviensem induxit Waltherus Episcopus, Equestri Zadoreorum natus familia. Series antistitum hæc est: Episcopi Wratislavienses.

A. C.
969 Godefridus } Nobiles Romani.
973 Vrbanus }
1005 Clemens } Nobiles Itali.
1027 Lucilius }
1036 Leonardus }
1045 Timotheus }
1051 Hieronymus, Nobilis Romanus.
1062 Ioannes I. } Nobiles Poloni.
1072 Petrus I. }
1091 Ziroslaus I. }
1100 Imislaus vel Heymo }
1126 Rupertus }
1141 Magnus }
1146 Ioannes II. }
1148 Waltherus. }
1170 Ziroslaus II. }
1181 Franciscus, Nobilis Silesius.
1198 Iaroslaus, Boleslai Alti Silesiæ Principis F.
120. Cyprianus
1207 Lauren...
1232 T...



Septen trio.
Nobil. Ampl.mo & Consultißimo viro
D. BERNHARDO GULIELMO
NUSLERO, Celsißimo Lygio-Bergensium Duci â Consiliis ac secretis.
Præcipuo operis hujus Promotori.
A. Georgio Vechnero S. Th. D. et Iona Sculteto Sprotta Silesio.
Notularum explicatio.
Urbs.
Oppidum.
Pagus cum templo.
Pagus.
Molendinum.
Arx.
CA TUS SNEN SIS PARS.
PARS DYNASTIÆ sive BARONATUS WARTENBERGICI.
POLONIÆ REGNI CONFINIA.
PARS WOLANI DUCATUS
DIŒCESIS NEOFORENSIS
DIŒCESIS NAMSLAVIENSIS
DUCATUS OPOLIENSIS
Olße
Breslaw
Namslaw
Neumarckt
Occidens.
Oriens.
Meri

13.

1376 Theodoricus Bojernus. Hic à quibusdam inter Episc. non numeratur, quod à Pontifice Romano confirmatus non sit.
1382 Wenceslaus, Dux Silesiæ Legnicensis.
1417 Conradus, Dux Silesiæ Legnicensis & Olsnensis.
1447 Petrus I. Nowack dictus, Silesius.
1456 Iodocus Rosenbergius, Baro Bojemus.
1467 Rudolfus, ex Diœcesi Moguntina oriundus.
1482 Ioannes IV. Roth Suevus.
1506 Ioannes V. Turzo, nobilis Polonus.
1520 Iacobus à Salza }
1539 Balthasar à Promnitz } Nobiles Silesii.
1562 Casparus à Logaun }
1574 Martinus Gerstmannus, Boleslav. Sil.
1585 Andreas Ierinus, Suevus.
1596 Bonaventura Han, Glogoviensis Silesius electus, sed non confirmatus.
1599 Paulus Albertus, Suevus.
1600 Ioannes VI, à Sirsch, Nobilis Silesius.
1608 Carolus, Archidux Austriæ.
1624 Carolus Ferdinandus, Sigismundi, Regis Poloniæ filius.

Principes. A Polonis ad Boleslaum Procerum devenit urbis jurisdictio, qui primus Vratislaviensium & Lignicensium Princeps factus est à Frederico Imperatore, anno 1163. Boleslao successit Henricus Barbatus; huic filius Henricus Pius, sub quo Tartarorum incursione adacti cives, deserta urbe, quod lignea esset, parumque munita, sese in insulam, ubi Principum arx erat, recepere, incensa urbe. Sub Henrico Tertio, anno 1260, Vratislavia novis ædificiis ornari cœpit. Murus quoque ejus interior, qui adhuc multis locis exstat, jactus est. Tamque grata fuit Principi in ea amplificanda civium magnanimitas, ut is multis immunitatibus & privilegiis crescentem civitatem ornaverit. Sub Henrico Quarto, qui Probus dictus fuit, commissa est tota civilis gubernatio civibus, quos Princeps videbat libertatis suæ impense esse studiosos. Nec potuit incendium duplex ardorem istum civium restinguere, præsertim cum ipse Princeps animos ipsis adderet, vetaretque, ne quis ex lapide cocto vel vivo ædific[illegible] 1280 exstructum est Col[illegible] successit Hen[illegible] [illegible]ricus [illegible]rolus Quartus Cæsar partem eam urbi adjecit, quæ in ulteriore ejus ripa cernitur, trans flumen Olam, in eaque templum B. Dorotheæ exstrui curavit. Ac tandem anno 1348 ipse Vratislaviam venit, ejusque urbis Senatui præfecturam totius agri vicini concessit. Wenceslaus ejus filius tantæ in cives quosdam liberalitate & indulgentia usus dicitur, ut etiam tumultui, qui anno 1418 accidit, occasionem dederit. At frater ejus Sigismundus, biennio post urbem ingressus, supplicium cepit de 22 seditionis auctoribus, & adhibito temperamento salutari cavit, ne vel Aristocratia in Oligarchiam in posterum prolaberetur, vel plebs de Optimatium potentia queri posset, adhibitis etiam in Senatum de plebe quibusdam viris prudentioribus. Hisce artibus provecta paulatim est Vratislavia in eam prudentiæ, moderationis ac pietatis famam, ut Sigismundi elogio dicta fuerit, Regula morum, exemplar & speculum modestiæ, humanæque vitæ splendidum jubar.

Præterea in hac Diœcesi est oppidum *Aurasium*, sed nullis mœnibus cinctum. Pagi sunt *Przige, Thiergarten, Riemberg, Striesa, Sponsberg, Newkirche, Gros Schotkaw, Woickwitz, S. Moritz, Gros Peiskeraw, Wirbitz, Schonfeld, Grosburg*, & multi alii.

Diœcesis Neoforiensis. Diœcesis Neoforiensis continet urbem *Neumarck*, seu *Neoforum*, urbem munitam in fertili solo sitam, quatuor milliaribus hinc Wratislavia, inde Lignicio distantem. Bello Suecico Henricus Redingerus Cæsareus Præfectus illam Præfecto Suecico Stalhansio tradiderat, cui Vratislaviæ idcirco ante curiam publice caput abscissum est. Exinde iterum à Cæsareis capta, & postea rursus à Torstensonio Sueco tentata est. Oppida sunt *Kostimplotz, Gros Peterwitz*, & *Lissa*, nuperrime nova & egregia arce exornata ab Henrico ab Hornigh. Pagos habet *Steffelsdorf, Kumese, Wittschen, Baudis, Krintsch, Schobekirch, Pirschen* & alios quamplurimos.


Diœcesis Namslaviensis. In Namslaviensi Diœcesi primaria est urbs *Namslavia*, ampla & frequens, castrum habens cum genio & natura loci, tum solerti manu egregie munitum, è quo Sueci diu se defenderunt, cum Cæsariani vi urbem expugnassent. Postea Saxones illud suæ potestatis fecere; exinde iterum à Cæsarianis recepta est. At annis 1642 & 1646 à Torstensonio & Wittenbergio Suecis capta & recepta, iterumque amissa est. [illegible] præterea habet *Reichtal, Schmogeraw, Palms-Stædlin*, &c.

Circulus Cantiensis. [illegible]ro districtus nonnisi uno illo op[illegible] [illegible]hnitz, *Sachwitz*, *Lanckwitz* [illegible]

[illegible]er hanc Regio[illegible] [illegible]res amnes & [illegible]sius & alii.

SCHWIDNICENSIS DVCATVS.

Termini.



Chwidnicensis Ducatus orbiculari quasi figura nulli ex omnibus Silesiæ Ducatibus fertilitate agrorum, oppidorumque frequentia cedit, Iauraviensi & Wratislaviensi Ducatibus aquilonem versus cinctus, Bregensi versus Solis ortum, Monsterbergensi Ducatu & parte Bohemiæ ad austrum, & Iauraviensi Ducatu ad occasum.

Divisio. Distinguitur hic Ducatus in Diœceses Bolchenhainensem, Landshutensem, Stregensem, Reichenbachensem & Schwidnicensem. Caput *Swidnicensis* Diœcesis, ut & totius Ducatus, est *Swidnicium*, cujus nomen ab apro derivari aliqui volunt, cum eundem in insignibus habeat. *Diœcesis Swidnicensis.* Boleslao I. Bellicoso platearum distinctionem, arearum ornamentum, murosque urbs accepta refert, sita loco commodo, in planitie uberrima, sub salubri cœlo, cincta amœnis hortis pratisque, & Westricio fluvio humectata. Primarium templum est Cathedrale S. Wenceslai, amplum, magnæque altitudinis cum altissima turri adjuncta. Est præterea templum S. Nicolai extra urbem, multæque aliæ ædes sacræ tam intra quam extra urbem. Inter ædificia publica eminet palatium Ducale, Curia, & armamentarium. Privatorum ædes modicæ sunt, partim ex lapide, partim ex ligno. Insignia urbis in quartas divisa sunt: quarum duæ in campo nigro auream coronam præferunt, tertia in campo albo rubrum gryphem erectum, quarta in albo campo currentem nigrum aprum ostentat. Belli Sueco-Germanici tempore hinc inde aliquoties obsessa & expugnata, sueta belli mala cum aliis tulit.

Oppida, Arces & Pagi. Oppida in hac Diœcesi satis multa sunt. *Freiberga*, ad radicem arcis Furstenstein, castelli antiqui & nobilis à Bulione Duce exstructi. *Fridland* oppidum ad Riphæos montes, Duce suo Alberto Walsteinio celeberrimum, cui id Ferdinandus II contulerat; quo occiso ad Gallassii hæredes pervenit. Anno 1639 à Suecis captum, & cum arce centum equitum bombardiferorum præsidio firmatum est. Anno 1642 Torstensonius eo quoque pervenit, ubi acris pugna inter Cæsarianos & Suecos orta, usque dum Cæsariani ad Riphæos montes recederent, & oppidum Suecorum direptioni pateret. *Gotzberga* oppidulum ditionis Holibergiorum metallicum, argenti, æris, plumbi nigri metallis excellens: imprimis vero carbone fossili abundans, qui plurimus à fabris ferrariis vicinis, ubi ligna desunt, aliunde devehitur. *Waldberga* oppidulum est ad Polsnitzam non longe Schwidnicio distans. *Zabothum*, *Zobten* oppidulum Zabothis montibus subjacet, vicinum cœnobio *Gorcha*. Arces numerantur multæ; *Newhaus*, *Borchersdorf*, *Birckenhan*, *Furstenstein*, & *Konigsberg*.

Reichenbachensis Diœcesis. *Reichenbachsensem* Diœcesin, Swidnicensis Diœcesis quasi amplectitur, ita ut in ultimo Ducatus angulo seclusa videatur. Oppidum in eo nullum præter *Reichenbachium*, quod ab textorum officinis frequens & celebre est. Anno 1633 ita Cæsarianum Ducem Schafgotsch excepere oppidani, ut plusquam trecenti ex Cæsarianis temeritatis suæ pænas morte luerint; quamquam postea in eorum manus venerit, omnesque oppidani qui in armis erant, occisi, & post direptionem oppidum desertum fuerit. Arcem habet *Pieterswaldam*, non longe Reichenbachio sitam. Ex pagis præcipui sunt: *Bitlar*, *Steinkuntzendorf*, *Weigelsdorf*, *Habendorf*, *Falbruch*, *Vlrichsdorf*, *Girlsdorf*, *Oxenseil*, *Banschdorf*, &c. *Pagi.*

Landishuttum. *Landishutensis* Diœcesis complectitur tantum unum oppidum *Landishuttum*, ad confluentes Boberum & Ziderum fluvios sita prope arcem *Keippelshoff*. Ex pagis hi primarii sunt; *Schumberg*, *Lübe*, *Hermsdorf*, *Michelsdorf*, *Reusendorf*, *Gabel*, *Hartmansdorf*, *Wittgendorf*, *Weinsdorf*, &c. Continet quoque hæc Diœcesis Monasterium *Grüssam* ad Ziderum fluvium situm.

Bolckenhein. *Bolckenhainensis* Diœcesis habet urbem *Bolckenhain*, non quidem adeo amplam, sed amœnam, cui imminet castrum in colle summo, loco admodum edito collocatum, quod à Bulione Duce & exstructum est, & cognominatum, à Ladislao autem Zedlicio L. B. Commendatore Strigoviensi, cui sedem præbet, superioribus annis egregie instauratum. *Fridberga* quoque oppidulum in hac Diœcesi jacet, situm ad Strigam fluvium, ab altitudine situs *Alta Fridberga* dictum. Pagorum magnus numerus, inter quos hi maxime numerandi: *Rursdorf*, *Wolfransdorf*, *Hausdorf*, *Lauterbach*, *Langenhelmsdorf*, *Blumenaw*, *Widraw*, *Girlachsdorf*, *Ronstock*, *Reichenaw*, *Strichenbach*, &c.

Strigaw. *Stregensis*, Diœcesis solam urbem *Strigoviam* cum pagis continet. Hæc Cromero *Stregomum* dicta, satis ampla & loco fertili sita est, celebris terrâ sigillatâ, quæ in monte acuto D. Georgii effoditur. Celebritatem auget cerevisia, quæ ibi ex tritico coquitur, optimis censeri solita: quanquam non desint, qui vim illius censeant flatulentam, cavendamque iis, qui sedentariam exercent vitam, quales sunt hi, qui libros diurna nocturnaque manu versant. Arces in hac Diœcesi sunt duæ, *Plachwitz* & *Sasterhause*. Pagi sunt: *Puschke*, *Lasen*, *Ols*, *Haslich*, *Rosen*, *Gotschdorf*, *Drouwgisdorf*, *Eysendorf*, *Poselwitz*, *Picherwitz*, &c.



DVCATVS SILESIÆ SCHWIDNICENSIS

Authore Friduico Kuhnovio Bolco-lucano Silesio.



Illustri et Generoso Domino,


D. OTTONI, Lib: Baroni à Nostitz in Rockhitnitz, Seifersdorff, Hertzogswaldaw, Lobris, Profen, Mangschütz, et Neuendorff; Sacr. Cæs. Majti. à Consiliis, et Capitaneo Swidnicensis et Iaurani Ducatuum: ut et Plurimum Reverendis Præsulibus, Illustrissimis Generosis Comitibus, et LL. Baronibus, Nobilibus, Strenuis, Equestris Ord. D.D. Provincialibus universis Ducatus Swidnicensis, Dominis suis gratiosissimis, Delineationem hanc Ducat. Swidnicensis humillimè D.D.

Frid. Kühn.

Milliaria Germanica Communia.

Notarum Explicatio.

- Urbs
- Oppidum
- Pagus cum Templo
- Pagus
- Arx
- Arx destruct
- Molendinum



DVCATVS GROTKANVS, SIVE NISSENSIS.



Ic Ducatus olim Lygio-Bregensium Ducum fuit, sed anno 1341 ab Episcopo Wratislaviensi ære redemptus, hucusque ejusdem Episcopatus ditioni subjectus est. *Termini.* Terminatur ad Orientem Opoliensi Ducatu, Bregensi ad Septentrionem, Monsterbergensi ad Occidentem, & inde Glacensi Comitatu & parte Moraviæ ad Meridiem.

Vrbes. Primariæ urbes sunt, Grotka & Nissa, *Grotka*, seu *Grodkovia*, in læta sita planicie, Episcopo Wratislaviensi parere cœpit jam inde à Preeislai Pogarelli Episcopi temporibus: qui eam cum universo districtu à Boleslao Lignicensium & Bregensium Duce emit, & Ecclesiæ Wratislaviensi adjunxit. Aër saluberrimus est, agri fœcundi, & silvis cincti: ita ut omnia exiguo pretio venalia sint; unde proverbium derivatum, Grotkavienses nec fame nec frigore extingui posse, (tempore pacis nimirum) cum quæque domus adjuncta arva & silvas habeat. Domus ex ligno pleræque, nisi quod Curia, Palatium Episcopale & templa ex cæso lapide constructæ sint. Multis quoque casibus claret. Anno 1490 tota incendio periit. Anno 1549 cælesti igne tota deflagravit, exceptis sex domibus cum Cathedrali Ecclesia. Anno 1633 à Sueco-Saxonibus capta est; exinde iterum 1642 à Torstensonio occupata.


Nissa, Grotkoviâ major, urbs nobilis ad Nissam fluvium, Episcopis Wratislaviensibus sedem præbens: in qua nihil fere earum rerum, quæ ad civitatis splendorem faciunt, desiderare queas. Peramœno quippe sita solo, agros habet uberrimos, cœlumque saluberrimum: annonæ copia abundat: civibus frequens est, mercaturæ opportuna & negociatione florens, mechanicis artibus egregie exculta, excellentibus denique ædificiorum structuris sacris & profanis, publicis & privatis ornatissima: Forum vinarium mense Ianuario habet tota Silesia celeberrimum: sæpius conventibus agendis hæc urbs delecta est, sicut & anno 1497, cum Nicolaus Dux Oppoliensis & Silesiæ Præfectus Casimirum Teschinensem & Episcopum Wratislaviensem pugione confodere conaretur; qua de caussa condemnatus & in foro capite plexus est. Anno 1632 Arnhemius Sueco-Saxonum Generalis urbem deditione cepit, quam tamen illi eodem anno Holckii Cæsariani Ducis exercitus adjuvantibus civibus extorsit. Anno 1642 Torstensonii viribus cessit, & 15 millia thalerorum cum omnis generis magna parte commeatus suppeditare coacta est. Hanc tamen post relinquentes Sueci omnia depopulati, exustis quatuor portis aliquotque turribus, Consulem duosque Senatores atque aliquot Nobiles avexere.

Oppida. Oppida reliqua sunt: *Freiwalda*, sine mœnibus inter montes situm. *Hotze-plotz*, situ commodo, locoque edito; arce & mœnibus olim à Brunone antistite Olomucensi cinctum. *Iawernick*, arcem adjunctam habens, quæ *Iohansberg* appellatur. *Kaltenstein*, oppidulum Freiwaldæ proximum. *Otmuchovia* oppidum apertum cum egregia arce, ab Hussitis proditione captum ad annum 1429, qui eximia præda illic potiti sunt, & arcem præsidio tenuere, usque dum Episcopus Wratislaviensis Conradus anno 1435 illud reciperet, cum Senatus Wratislaviensis ejus hortatu captivos Hussitas dimitteret. Anno 1646 à Suecis direptum est. *Fridzberga* montana versus Quisso fluvio annexum, Gottschiorum dominium. *Patzkovia*, oppidum prope Nissam fluvium inter Reichenstein & Otmachaw situm. *Wansena*, oppidum ad Olam fluvium, anno 1606 totum fere incendio deletum est. *Weidenavia* non magni momenti oppidum, anno 1632 incendio consumptum est. *Ziegenhals*, ad Bielam amnem, qui ad Nissam urbem Nissæ fluvio jungitur, officinis nitet ferrariis. *Zucmantela* olim *Edelstein*, oppidum metallicum sub radicibus montium Moravorum positum, ferri, æris, calchanti, argenti, aurique fodinis clarum, sic dictum, quod latrones ibi viatoribus pallia detrahere soliti essent.

Vici, pagi, arces. Sunt præterea vici pagique innumeri, & alicujus nominis arces; ex quibus celebriores nominasse sufficiet: *Bilitz, Nieder-Pomsdorf, Hertwigswald, Saupsdorf, Arnsdorf, Freudenstat, Wintzenberg, Ober-Tarna, Leippe, Strubitz, Waltersdorf, Borchendorf, Opersdorf*, &c.



Oriens
Occidens
Septentrio
Meridies
Generoso et Magnifico
D. OTTONI HENRICO
De Radschin, in Steina, Wolffsdorf,
Gismansdorf, Zaupitz, etc.
Operis hujus Patrono præcipuo, D.
à Iond. Sculteto Silesio.
PARS DVCATᵒ OPOLIENSIS.
DVCATVS BRE GENSIS CONFINIA.
MORAVIÆ CONFINIA.
DVCATVS MONSTERBERGENSIS PARS.
COMITATᵒ GLACENSIS PARS.
Notularum Explicatio
Urbs
Arx
Pagus, ubi templum
Pagus nobilis
Pagus Episcop.
Commende
Schurgast
Falkenberg
Friedlandt
Steina
Lewin
Brieg
Michelaw
Grotkaw
Neissa
Ziegenhals
Zuckmantel
Freiwalda
Weidenaw
Otmachaw
Klein Olsse
Wansen
Strelen
Monsterberg
Heinrichaw
Kamentz
Reichstein
Patschka
Iohansberg
Iaurnig
Frideberg
Landeck
Altstadt
Frankenberg
Odera fluu
Neissa fluu
Steina fluu
Ola fl.
Bila flu
DVCATVS SILESIÆ
GROTGANVS
cum Districtu Episcopali
NISSENSI.
Amstelædami J. Blaeu excudit
Mensura Miliaris huius Tabulæ
50½ Grad. Latitudinis



STIRIA.



Tiria, Croatia, Windorum Marchia, Carniola, Carinthia & Austria Superior, quia Domui Austriacæ parent, in Germania hodie censentur, quum olim Pannoniæ portiones fuerint. Stiriam multi autumant *Valeriam* dictam, in gratiam Valeriæ filiæ Diocletiani, teste Marcellino & Aurelio Victore. Volaterranus lib. 8. Geographiæ *Iapidiam* vocatam vult. Ejus in hanc rem hæc sunt verba: *Proxima huic Iapidia, quam Stiriam nunc vocant, licet Pius Pontifex eam Valeriam putet. Ego vero ex descriptione Rufi, Valeriam potius Croatiam dixerim inter Danubium & Dravum.*

Nomen.

Est autem hæc regio Norici Mediterranei pars, quemadmodum Carinthia, Illyrici provinciis annumeranda. Ad Ortum Hungaria est: ad Meridiem Carniola, Carniaque ad Occidentem, Carinthia & Austria ad Septentrionem. Istuanfius lib. 24. Rerum Vngaricarum asserit fluvium Suklan dividere Stiriam ab illa Illyrici parte, quam recentiores Sclavoniam appellant. Marchionatus erat olim, unde *Stiriæ Marchia* dicta fuit: Marca autem limes est, quia per Limitaneum Comitem administrabatur. Vltimus Marchio Othocarus, cujus filiâ domum ductâ Leopoldus Dux Austriæ ex Imperatoris Friderici Barbarossæ voluntate Stiriam cum Ducatus titulo accepit. Verum familiæ istius serie exstincta, Provinciales ex Hungaria sibi Ducem arcessiverunt; qui cum subditis gravis foret, Ducatu exutus Othocarum Bohemiæ Regis filium sibi successorem habuit. Hic bellis cum Rudolpho Cæsare implicitus, victus ab eo occisusque fuit; & in ejus locum Dux suffectus filius Rudolphi Albertus.

Termini. *Marchionatus.*

Distinguitur Stiria in Superiorem & Inferiorem. Superior est, ubi Muræ fluvii divergium est. Inferior juxta Dravi & Muræ confluentes se extendit, quæ Pannoniæ Secundæ seu Hungariæ proxima. Hæc vinetis excellentissimis, præcipue circa Rachelsburg & Lutenberg, abundat: Hîc enim nata vina Hispanicis comparantur. Copia fructuum omnis generis tanta, ut exiguo pretio immensa eorum quantitas coëmatur. Agri fertiles, fluvii & piscinæ optimi generis piscibus refertæ: Sylvæ multa fera plenæ, balnea sanitati conducentia, acidi fontes, montesque ferro aliisque metallis gravidi; & salinæ non incelebrem hanc provinciam reddunt. Notanda tamen diversitas temporum in frumenti proventu; aliquando enim ejus tanta abundantia, ut de distractione querantur agricolæ; aliquando iterum tanta inopia, ut summa caritas totam regionem obsideat. Superior Stiria valde montosa, valles tamen aliquas habet satis fructiferas, & in montibus amœna pascua salutiferis herbis vestita, ita ut totam æstatem pecora in montibus pastum eant; unde magnus indigenis butyri caseique proventus. Aër hic multo salubrior quam in Inferiori Stiria, ubi Febris & morbus Hungaricus sæpe dominantur. Aquæ hic tamen sunt multæ insalubres ex mineralibus profluentes, quæ bibentibus strumas ad collum causant; multi nihilominus sibi ab illis aquis cavent, & alias salubriores bibunt, inter quas aliquæ certis morbis conducunt: in Superiori namque Stiria vinum nullum provenit, & cerevisia valde tenuis est, sed ex Inferiori magna copia huc devehitur.

Divisio. *Fertilitas.*

Fluvii præcipui sunt *Dravus, Lavanda, Sackana, Sulmo, Raynachus, Mura, Martza, Arrabo, Veystritz, Laufnitium.* Torrentes sunt innumeri, qui omnes tandem Danubio miscentur. Montes generali nomine *Noricæ Alpes* vocantur. In confiniis Austriæ, Carinthiæ, Stiriæ *Taurus Mons* est; ultra Dravum versus Meridiem *Claudius Mons.*

Flumina. *Montes.*

Celebriores Stiriæ urbes sunt: *Græcium*, caput totius regionis, in Inferiori Stiria ad Muram fluvium, qui secundum Lazium *Savaria* antiquis appellatus fuit. Cluverius & alii inter se de hujus urbis antiquitate disputant; *& adhuc sub judice lis est*, utrum Ptolemæi *Muroëla* Græcium sit, an vero vicus Murecb fuerit. In vetustis Archivis vocatur *Bayrisch Gratz*, ad distinctionem *Windisch Gratz*, nos de nomine ad situm, stylum transferemus. Ipsa urbs in longum porrecta arcem versus in latitudinem se paullatim incurvat; quæ altæ rupi imposita circumjacentibus regioni montibus libera & intacta, inexpugnabilis censetur. In Vrbe Palatium Ducale una cum Domo Publica, **das Landshauß** dicta, spectabile est. Templa modica sed multa visuntur, cum adjunctis sibi cœnobiis, ita ut sacerdotum numerus ad duo millia excrescere putetur. Vrbis Regimen constat ex Consulibus, Iudice & Senatu; præter hos & Secretus Cæsareus Senatus est, cui suprema potestas incumbit; & alius iterum, qui de Regionis totius reditibus disponat, cum suo **Landthaubtman/ Landverweser/** &c. ad hunc omnia referuntur, quæ subjectas Provincias, Carinthiam, Carniolam reliquasque spectant. Huc quoque ex jam dictis Provinciis omnes Appellationes & res Civiles Criminalesque diriguntur. Hinc & Comitiorum conventuumque reliquorum ergo, ut & Academiæ & binarum nundinarum respectu, hæc urbs satis frequens & populosa est; Mercatura non exigua exercetur cum Hungaris & vicinis. Omnia hic levi pretio comparantur, quanquam vini frumentique copia tanta non sit, ac paulo infra, ubi deficientibus montibus planiores se campi aperiunt. Anno 1532 hæc urbs à Turcis capta, sed statim recepta, quum arcis munitæ præsidium eorum furiæ resisteret, & nimis crudis dapibus inciviles illos hospites exciperet.

Vrbes. *Græcium.*

Brugæ ad Muram, non magni momenti oppi-


STIRIA
Steyrmarck.
Milliaria Germanica.
1
2
AVSTRIAE PARS
Com. Lebnaw
HVNGARIAE PARS.
Occidens
Oriens
Apud Guiljelmum Blaeuw.
Amsterdami.

16.

dum & ad montis radices situm. Friburgum antiquissimum Stiriæ oppidum, ut Lazius arbitratur. *Furstenfeld* ad Lauffnitium fluvium in confiniis Hungariæ, Romanis *Aquæ* dictum, multis Antiquorum monumentis clarum. Hartberg, *Heortis Mons* vel *Civitas* ad Lauffnitium: hinc per montem *Gessacum*, accolis *Schöckl*, Græcium itur, qui magnæ altitudinis in iis terris celebris est. *Iudenburg* caput Superioris Stiriæ ad Muram 14 milliaribus Græcio distans. Vrbs egregia, binis nundinis frequentata; habet sicut & Græcium, Palatium Ducale, ubi olim Aula Ducum fuit, quando Græcii morbus aliquis grassabatur: superbis templis & cœnobiis ornata, & non modicis suburbiis aucta. *Knitelfeldt*, modicum & amœnum in superiori Stiria oppidum. *Leubenum*, urbs satis magna, amœna & apto loco sita ad Muram. Non longe hinc celebre illud virginum cœnobium *Gössense* jacet, quæ eximia Abbatia est. *Marpurg* in Inferiore Stiria urbs novem mill. Græcio distans, antiquis *Castra Marcena*, *Mariana*, sive *Marciana* Ammiani Marcellini, multis monumentis clara: est in ea Ducale Palatium hoc gaudens privilegio, ut ex eo omnes pistores urbis frumentum emere teneantur. *Muravia* Mura fluvius in duas partes scissa pontibus conjungitur. Cluverius *Ad Pontem* olim nominatam putat; Palatium jam noviter reædificatum & altiori loco situm valde eam commendat: non longe hinc diruti ab Othocaro castelli ruinæ conspiciuntur. *Pettaw*, *Pætovium*, *Petavia*, & *Pætovia* dicta, ad Dravum sita est; de antiquis ejus monumentis legatur Lazius de Republica Romana. Ipsa nec grandis nec eximiæ structuræ est; & multorum bellis patuit. *Rain* oppidum cis Savum fluvium arce firma munitum. *Rakosburgum*, *Rackelsburg* ad Muram oppidum, satis firmum; cui tamen in alto & arenoso colle structa arx dominatur, quamquam non munita. Hic celeberrima totis Stiriæ vina nascuntur, quæ, à propinquo pago Lutenberg, *Lutenbergica* nominantur. *Rotenmanium*, secundum Lazium, Antonini *Montana Castra* in valle Palthina jacet. Adjacet huic Cœnobium Ord. S. Benedicti *Ad Montem*, *Atmont*, dictum, potentia & divitiis clarum. *Veistritz* parvulum oppidum inferioris Stiriȩ. *Voitsperg* oppidum prope arcem Kaynach, antiquum, & olim Stiriæ caput *Vianna* dictum. *Windorum Græcium* prope Carinthiæ fines, Ptolemæi *Vinudria*; non longe hinc arx *Gradischia* jacet in monte excelso structa.

Hæc de Stiriæ oppidis: sunt tamen aliqua alia, quæ non proprie Stiriæ ditionis sunt; sed, quia præsidia eorum ab hac Provincia sustentantur, ei quasi adjudicantur. Sunt hæc, *Warasdinum*, ad Dravum fluvium in confiniis Hungariæ, Sclavoniæ, & Stiriæ situm, Antonini *Variana Castra*, modice munitum, & Windis inhabitatum; *Copranitz* Latinis *Caproncia*, munitissimum cum arce oppidum; & *Canisia*, arx valde firma & munita, à Turcis capta, & hactenus possessa. Hujus nomen memoriam mihi refricat Arcis *Czackothurni*, quæ firmo opere structa, & Illustrissimo Comite Zerinio inhabitata, Turcarum impetus egregie repressit: ita ut hujus Comitis nomen æque illis formidabile sit, ac olim illud Huniadis fuit. Ad confluentem Muræ & Dravi jacet *Legrad*, ejusdem Comitis arx & munimentum, illius oræ præcipuum, ex quo quotidie Milites Zeriniani in Turcas prædatum abeunt, magna cum Comitis gloria.


Mores. Sunt autem Stirii agrestes, insulsi, quamquam non inhumani, utplurimum *Strumosi*, adeo quidem, ut ingentes strumæ vocem sæpe impediant, lactantesque mulieres eam pendulam in tergum rejiciant. Refert Ortelius, se Frisachii, dum Vienna Venetias proficiscebatur, non sine admiratione hominem contemplatum, cui mentum ab auribus incipens humeros latitudine fere æquabat, & ad pectus usque propendebat. Hodie adhuc in vico Trouleyten ut & Brugis ad Muram habitant, quorum strumæ capitis magnitudinem si non superant, saltem exæquant. Illud vero dolendum, quod fere omnes illi strumosi male sanæ mentis sint. Aquæ nivalis, seu ut quidam arbitrantur, metallorum quorundam vi infectæ potus hasce strumas profert.

Religio. Omnes fere indigenæ Catholici sunt, quanquam ante annos aliquot Lutheri secta multas sibi addictas urbes habuerit; sed nunc iterum fere omnes ad Catholicam Religionem retracti. Est non longe à S. Hippolyto, credo 5 mill. famosissima peregrinationibus, *Mariæ Cella* miraculis innumerabilibus clara: Thesaurus hujus templi à devotis hominibus congestus magni æstimatur, sed aliò translatus creditur.

CAR-

CARNIOLA, WINDORVM MARCHIA, ET CILIA.

Carniola.



C*Arniola* olim pars Pannoniæ superioris, quæ & Consularis dicta est, à *Carnis* populis nomen accepit. Carnorum meminit Volaterranus l. 2. Geogr. *supra Istros Carni sunt, lata regio: à Forojuliensibus incipiens, atque ad montana pertingens.* Populi sunt Istris finitimi, ab ea parte, qua Alpes Iuliæ Aquilejæ incumbunt, qui à Plinio collocantur in decima regione Italiæ ad Tergestum fluvium, qui in Venetiarum ora in sinum Hadriaticum influit. Dividitur in Superiorem & Inferiorem, quarum hanc *Siccam*, illam *Irriguam aquis* Maginus appellat: Male vero *Goritium* Comitatum Inferiori adjudicat. Cum autem variis mutationibus harum regionum imperia obnoxia fuerint, difficile erit regioni huic suos assignare limites & terminos. Regio montosa est, (quamquam quædam planities sint valde frugiferæ) vini, olei, frumenti, aliarumque rerum, quæ ad hominis sustentamentum sunt, ferax. Superbit Ducatus titulo, ac Austriacis paret. Quia vero ob incolarum barbariem non multum exteris frequentatur, & sic quasi incognita sit, nihilominus valde grandis & ampla est provincia, pluribus urbibus pollens & eximiis vicis nobilis.

Karstia.

Habet Carniola Inferior, quæ à quibusdam dicitur *Karstia*, ab Oriente Windorum Marchiam, ab Occidente Forum Iulium, Sinum Tergesticum à Meridie, & à Septentrione Montes. Regio hæc non magni circuitus, & ejusdem cum vicinis naturæ, urbes alicujus momenti nullas habet, sed tantum vicos & arces. Laasium vulgo Laäs sive *Kacseole* ad radices montium situm, regiunculæ caput est, multos equos vicina regio fert, satis bonos non tamen multis molestiis duraturos. *Czirknick* ad lacum cognominem est, latius Lugeæ palus dicitur. *Iessen* munita urbecula est ad eundem lacum. *Gnuino* ad fluvium Chubel; & *Vnitz* ad fluvium cognominem. Cingitur fere fluminibus *Lisonzo* & *Albeno*. Irrigat eam *Timavus* fluvius celeberrimus novem nascens capitibus, teste Pomponio, unoque ostio se in mare evolvens. Per subterraneos meatus cum Recca fluvio confunditur. De eo Virgilius lib. 1. Æn. *Regna Liburnorum & fontem superare Timavi*: vulgo *Brenta* vocatur.

Carnorum Mores.

Ipsi Carni, gens rustica, Windorum lingua utens, sine cura vivit, terræ proventibus contenta: in eorum ædibus barbaries summa, lectorum usus fere nullus in stramine cubantibus: eorum hypocausta hominibus porcisque æque patent; in omnibus sunt homines sordidissimi. Harum omnium adjacentium nationum idem fere ingenium: inhospitales sunt, &, ut dicam uno verbo, barbari.

Flumina.

Fluvii sunt, *Savus*, illis in oris maximus post multos alios absorptos se Danubio miscens; *Laubach*, urbem sibi cognominem alluens, Savo aquas suas tradit: *Gurca*, ad cujus ripas multa oppida sunt, eidem Savo se infundens. Sunt & alii; sed imprimis memorandus est lacus celebris, qui quotannis messe, piscatione & venatione indigenas beat: accolæ eum *Czircknixerzee* vocant ab oppido *Czirckinitz*, quod in ejus ora situm. Clauditur iis circumquaque montibus; patetque ad sesquimilliarium, minus laxa latitudine: plerisque in locis decem & octo cubitos altus; & ubi minimum profundus est, æquat justam humani corporis mensuram. Ex montibus circumpositis rivi quidam ignobiles procurrunt, suo quisque alveolo; ab Orientali quidem plaga tres, ab Australi quatuor. Singuli, quo longius fluunt, hoc minus scatent aquis, terra nimirum eos absorbente, donec postremo absorbeantur scrobibus saxeis, ita natis, ut humano opere excisæ videri possint. Hic aquis ita redundantibus, ut recipi non possint, fit, ut regurgitent scrobes, neque solum nihil aquæ admittant, sed etiam quicquid receperint, effundant tanta celeritate, ut reflexus impetum equiti quamvis expedito & fugienti vix effugere liceat. Itaque quacunque pateat locus, diffunduntur aquæ & lacum efficiunt. Hæ aquæ non minus fere celeriter recedunt quam accesserant, sed non per scrobes illas tantum, sed universa pene terra eas absorbente, non aliter quam si per cribrum diffunderentur. Quod cum fieri sentiunt agricolæ, continuo grandioribus, quantum fieri poterit, meatibus obstructis, agminatim advolant ad piscationem, quæ ipsis non modo jucunda, sed etiam fructuosa est. Nam hi pisces sale condîti magnâ copiâ ad vicinos exportantur. Porro siccato lacu fit messis, qua parte solum consitum, & idem rursus conseritur, antequam inundet: ubi quoque volunt, venationi satis oportunus est. Dubium an ab aquis lacus, an à piscibus vivarium, an à venatione arvum appellari debeat. Graminis ita ferax est, ut post xx dies secari soleat. Straboni *Lugeum* palus appellatur. Cingunt hunc lacum ultra montes densæ sylvæ, das Byrpamerwald / dictæ. Montes, quibus tota fere Carniola consita est, *Czalin* vocantur, suntque partes Alpium, quæ Italiam versus se extendentes, tam famosum ei munimentum præbent. Multa in his montibus rara & notatu digna occurrunt, quæ incuriosos accolas adepta vix in

Sylvæ. Montes.


CARNIOLA, CILIA COMITATVS, et WINDORVM MARCHIA.
Ger. Mercatore Auctore.
Milliaria Italica communia.
Guilhelm. Blaeu excudit.
OBER KRAIN
VNTER KRAIN
WINDISCH MARCK
Cellei Com.
Saan tal
FRIVLI
ISTRIA
Golfo de Trieste
GOLFO DI VENETIA
Carnero Golfo
Vegia insula
Cherso insula
Arbe insula

17

curiosorum cognitionem veniunt. Sunt enim fluvii in iis, & fontes, per occultos terræ meatus in altum se gyrantes, & rursus post parvum cursus sui spatium se abscondentes, in tanta aliquando præcipitia evehuntur, ut impossibile videretur: inveniuntur nihilominus in iis pisces *Forellæ* dicti, qui una cum aqua ex infima montium regione ad eorum cacumina sese egerunt. Dejecta in profluentem signata ligna, vel aliæ res, post longum temporis spatium in longe dissitis locis inveniuntur, quo occultos tramites aqua se confert. Capiuntur etiam in his montibus perdices, in quorum stomachis auri ramenta inveniuntur.

Windorum Marchia.

Windorum Marchia Carniolæ accessio videtur, eodemque jure utitur & plerumque cum ea confunditur, cum recta ejus & Carniolæ distinctio dari non possit. Mores incolarum vicinis simillimi. Flumina iisdem confusa jam nominata sunt. Nos uniuscujusque urbes ordine enarrabimus.

Vrbes. Labacum.

Labacum caput gentis ad fluvium ejusdem nominis situm est. Cluverius arbitratur antiquis *Hemonam* dictam fuisse. Lazius vero Iasonis & Argonautarum *Nauportum* sive *Pamportum* esse existimat. Romanorum vel *Iapodum* municipium, cujus nomen decrescente Imperio vicini *Latobici* in Labacum mutarunt. Windis vocatur hodie *Lublana*, Italis *Lubbiana*. Oppidani utuntur passim Italica, Windica & Germanica Lingua: accolæ & agrestes plurimum Windica. In urbe nihilominus omnia edicta Germanica publicantur, & quæ Tribunal spectant, eadem lingua pronunciantur. Plurimi quoque Nobiles Germanici sunt sanguinis, & ad Germanicum morem se gerunt. Vrbs ipsa plurimis eximiis ædificiis ornata & populosa est, sed aëre valde insalubri fruitur; munimentis hosti arcendo nullis fere provisa; licet arcem satis magnam in propinquo sibi colle habeat, & continuo præsidio munitam, non tamen alicujus hostis fortiori impressioni resistere posset. Episcopatu quoque gaudet, & quamvis ab aliquot centenis jam annis à Windis fuisset exstinctus, tamen Imperator Fridericus IV ad annum 1470 iterum Episcopatum erexit, decrescente interim Patriarchatu Aquilegiensi. Episcopi reditus ad quatuordecim florenorum millia esse feruntur.


Sequuntur *Bischofslack* ad Zeyram fluvium, Antonini *Prætorium Latonicorum*, *Iapodum municipium*, juxta Lazii sententiam, *in Diœcesi Aquilegiensi*. *Crainburgum* ad Savum, cui ibidem Cancer fluvius confluit: Lazius putat illud fuisse *Iapodum Noviodunum*, non solum quod olim Neuburg sit appellatum, multæque antiquitates illic reperiantur, sed etiam quia hic locus adeo Antonini dimensioni convenit. *Gotschee* in Windorum Marchia oppidum à Patriarchatu Aquilegiæ dependens, cui annexum parvulum dominium, seu regiuncula, Gotscheerländlein dicta, in qua ut & in oppido medios inter Windos soli Suevicum idioma loquuntur, & Suevicæ esse originis dicuntur; Lazius Suevos quoque tempore Iustiniani illic habitasse vult, & oppidulum appellatum *Burnum*. *Gurckfeldt* ad Savum jacet in Inferiore Carniola, gaudetque pulchro castello; antiquorum *Quadrata* est. *Landstraß* ad Gurcam fluvium, oppidum modicum. Hic prope mons est aliquot milliaria in longum porrectus, quem multi Walachi insederunt, plurimisque pagis exornarunt: *Vskochi* appellantur, Græco ritu sacra administrantes, & Imperatori nulla tributa solventes; sed ubi necessitas postulat, unaquæque Domus seu Familia unum virum in Turcam mittere tenetur. *Metlinga* ad Culpam fluvium Windorum oppidum, anno 1431 atrocem in modum à Turcis deturpatum. Anno 1578 iterum Turcarum insultum passum est, quos tamen Windorum & Croatarum agrestium manus in fugam convertit. *Ratmansdorff* in Superiore Carniola prope Savum fluvium. *Neuwstettl* sive *Rudolfswörth* ad Gurcam fluvium, secunda à Labaco fertur, & vini optimi totius Carniolæ proventu claret. Milliari abhinc Balneum *Doplitz* est, ab ægrotis valde frequentatum. *Stein* ad Veistricem fluvium, oppidum *Tschernembl* in Windorum Marchia ad incelebrem torrentem, qui in Culpam elabitur. *Weichselburg* in Inferiore Carniola. *Igg* oppidum Windorum ad Iggam fluvium; & *Segna*, Antonini *Senia*, Dalmatis infessa, satis firma, arcem habet cum præsidio. Sunt & plura minoris nominis oppidula, quæ curioso Lectori in mappa seu tabula conspicienda relinquimus.

Cilia Comitatus.

Ciliæ Comitatus inter Dravum & Savum fluvios jacet. Nomen habet à Metropoli *Cilly*, quæ *Zelia*, *Cælia*, *Celia* & *Cileia* antiquis dicta fuit, celebris urbs & antiqua, arcem egregiam habens, sita ad Sainam fluvium: Germanicum & Windicum seu Sclavonicum idioma hic indifferens est, cum fere omnes accolæ Windi sint. Vbique multa antiqua monumenta monstrantur, eruta quoque multa numismata; & ingentis molis reperta cadavera, non dubia venerandæ antiquitatis vestigia sunt. Spectantur adhuc magnifica marmora tantæ magnitudinis, ut uni soli vix currus sufficeret. Comitatus hic continet *Saxenfeld*, *Tifer*, *Lichtewald*, *Keyserberg*, aliaque oppida; & à Pœtovia ad Trojanum usque montem extenditur.

CARINTHIA.

Nomen.



Carinthia olim Pannoniæ pars fuit: A *Carnis* nomen accepisse nullum dubium; ante Caroli Magni tempora *Provincia Norici*, *Lauriana*, & *Patria Slavorum* dicta. Ab Ortu & Septentrione Styriam habet, ab Occasu & Meridie Alpes & Forum Iulii contingit. Dividitur in Superiorem & Inferiorem. Hæc inter Olezam fluvium & Lavandam jacet: illa inter Mol fluvium & Olezam. Regio montosa est & satis frigida, quare vina ex Stiria, Foro Iulio & Carniola in illam advehuntur. Montes quatuor præcipuos & altissimos habet, nempe *S. Vlrici*, *S. Helenæ*, *S. Viti*, & *S. Laurentii*, ad quem magna multitudo singulis annis, tertio Veneris die post Pascha, peregrinantes confluunt; qua de caussa multi morbos contrahunt, imo aliquando moriuntur: est enim via satis longa, &, ut quidam rationem ducunt, 12 milliarium Germanicorum. Mons *Löbel* quoque valde altus & latus est, quo Carniola à Carinthia dividitur. Lacus primarii sunt *Ossiacherſee*, *Weissensee*, *Forchtensee*, *Mulstettersee*, *Wordsee*, *Lavantsee*, *Iudenburgersee*, &c. Excellit inter hos **de Wordsee**/ latissimus, & duo milliaria longus, piscibus abundans. Ex Fluminibus primas tenet *Dravus*, *Gurcam*, *Lavandam* aliosque multos fluvios (quorum numerus cum torrentibus centum & viginti excedit) sibi conjungens. Oritur circa dimidium milliare supra Doblach in planitie; & prope inferius Draburgum ex Carinthia cursum in Stiriam continuat, & recepta, prope Czackothurnum (Illustrissimi Comitis Zerinii Arcem & Domicilium) Mura fluvio exinde non longe supra Albam Græcam Danubio aquas suas tradit. Multæ in hac regione valles sunt tritici aliique frumenti feracissimæ, quod Venetias asportatum non mediocre lucrum incolis adfert. Abundat quoque pecorum armentis & metallis. Imperium penes Austriacos est. Ecclesiastica Iurisdictio inter Saltzburgensem Archiepiscopum & Patriarcham Aquilegiensem dividitur. Vetus in Carinthia mos est, ut unusquisque in propria persona judicio se sistere cogatur, ubi vel agens vel reus est: quo Carolus V, anno 1520 Moniales exemit, & licentiam dedit, ut per alium earum caussa agatur. Anno 1585 Prælatis, Ecclesiasticis & Nobilibus in Carinthia juramenti in judicio præstandi, ubi testimonium dicebant, necessitate ab Archiduce Carolo soluti sunt: ita ut Prælati aliique sacerdotes per sacerdotalem suam dignitatem & honorem; Nobiles per Fidem suæ Nobilitatis, Chirographam & Sigillum omnia exequi possint. Nobilitas hic frequens est, sicut & in tota Austria, Stiria & adjacentibus locis.

Termini. *Partes.* *Montes.* *Lacus.* *Flumina.* *Mores aliqui Regionis.*

Olim mos in hac regione fuit, ut Duces Provinciæ, feudum à certo aliquo rustico cogerentur accipere; qua in re multæ ceremoniæ usitatæ fuerunt, quas hic operæ pretium erit adjicere. Est in Carinthia congeries ruderum, quæ ex diruta aliqua veterum urbe adhuc restant: inter cætera verò grandis lapis seu petra, in quam Rusticus aliquis, cui id jus geniturâ competit, prosilit, dextra prope petram tenens vaccam, & à latere equam, & circumcirca multis rusticis cinctus. Interim Dux magno cum suorum comitatu adequitat cum duodecim vexillis in fronte, (quorum unum altero major & præstantius est, quæ certus aliquis Comes, hoc speciali privilegio gaudens, portat) & habitu pastorali ac rustico ad petram accedit. Vbi ille Rusticus accedentem eum conspicatur, clamat alta voce & rogat; *quis ille est, qui tanto fastu & superbia huc venit?* respondent adstantes, *Ducem esse & Dominum Provinciæ*. Ille iterum; *Ecquid Iustus Iudex erit? Eritne Defensor libertatis & salutis Patriæ? estne nobili sanguine prognatus? estne Fortis, & dignus honore & reverentia? estne Christianus & Christianæ fidei Defensor?* Acclamant alii, *Est & Erit*. Iterum Rusticus: *Dicite, qua ratione me hac petra depellat, in qua nunc consisto?* Respondet illi Comes vexillifer: *Pro hoc loco dabuntur tibi sexaginta aurei, hæc vacca, & equa tuæ erunt: donabitur tibi vestis pretiosa quam ita statim Princeps deposuit: & tu cum tua domo omni tributo liber eris.* Quo finito Princeps seu Dux petræ appropinquat, cui à Rustico parva alapa impingitur, & admonetur boni Iudicis officio defungi. Interim rusticus cum vacca & equa discedit. Princeps equo descendens subsilit in saxum, & nudato gladio circum caput acto promittit omnibus se bonum Principem & Iudicem futurum. Tum apportatur ei in pastorali concha aqua ad bibendum; Princeps iterum de saxo abit, & cum comitatu ad templum equitat, postea habitum pastoralem magnificis vestibus commutat, & post opiparum convivium totum diem dicundo juri insumit. Vltimus hujus moris usurpator Ernestus, Dux Austriæ fuit, pater Friderici IV, Imperatoris, ad annum 1414. Sunt quoque qui scribunt, Clagenfurti cives adeo furta odisse, ut levi furti suspicione gravatus, inauditus ad crucem abripiatur. Post tertium vero, à quo sumptum supplicium est, diem, de mortui caussa & crimine judicant, quem si insontem fuisse cognoverint, quod unum misero solatium est, honeste sepeliunt; sin vero reum deprehenderint, pendere sinunt. Verum commentitia hæc est fabula, & figmentum oscitabundi & nugivenduli cujusdam scriptoris.

Vrbes.

Clagenfurt forte olim *Glanfurt* à fluvio *Glan*: Lazius à *Claudia* vel *Claudio* Veterum, dictum *Claudenfurtum* vult. Prope jacet Cœnobium *Vitring*, *Victoria* olim appellatum, ubi paucis ab hinc annis miraculose triticum pluisse fertur. Anno 1473 Turcæ prima vice irruptionem in Carinthiam fecerunt, & ejus Præfectum **den Landshaubtman**/ D. Christophorum à Colnitz ante


SALTZBVRG ARCHIEPISCOPATVS, et CARINTHIA DVCATVS. Auct. Ger. Mercatore.
Occidens
Oriens
Saltzburg
Milliaria Germanica communia
1 2 3 4 5
Amsterdami
Apud Guiljelmum Blaeu.

18

urbem Clagenfurtum prælio superavere, ita ut cum paucis vix in urbem fugiendi facultas data fuerit. Hodie Carinthiæ caput est, ubi Ordines totius Provinciæ conveniunt, suamque Domum habent. Ædificia Italico more structa urbem satis decoram reddunt, ad quod templa quoque multa & cœnobia plurimum faciunt.

Villacum, *Villach* vulgo, oppidum domibus in fronte, coloribus historiisque magnifice depictis spectatoribus gratum. In planitie jacet, altis rupibus cinctum, ad Dravi ripam, ponte lapideo ulteriorem ripam contingens. *Sancti-Andreanum* in valle Lavantina; *Frisachium* loco amœno conditum, ad confinia Superioris Styriæ, cinctum monticulis seu collibus; terra circumjacens non adeo magna, sed fertilis: multa antiquorum monumenta hic inveniuntur. *Sancti Leonardi* oppidum in Lavantina valle eximio castello fulgens; *Volckenmarca* ad Dravum; *Argentina Carinthiæ*, sedes Episcopalis ad Gurcam; & *Wolffsberg* in valle Lavantina. *S. Viti Oppidum* ad Lan fluvium,& *Gemunda* ad Lyseram in confiniis Salisburgensis Archiepiscopatûs.

SALTZBVRGENSIS ARCHIEPISCOPATVS.

Nomen.



Ivavum, quod Antonius & Tabula Peutingeriana aliquoties nominant, esse hodiernum Saltzburgum non negabit, qui id ita proditum olim sciet ab Eginhardo in Vita Caroli Magni, & Sigeberto in Chronicis. Ille sic: *Vivanum, quæ & Saltzburgum*: hic, *Iuvavum quæ & Saltzburch*: Notitia Imperii vocat *Iuvense Castellum*, haud dubie à juvando formata militari appellatione. Amni idem nomen inditum à castro. Sed in Tabula Peutingeriana mendose legitur *Ivaro*. In Inscriptionibus est: *Col. Hadriana Iuvavia*, & *Duumviri Iuvavenses.* Otho quoque Frisingensis, *Iuvavia*, inquit, *quæ nunc Saltzburga dicta, Bajoariæ Metropolitana sedes esse noscitur.* Creditur etiam dicta *Hadriana.* Atque huc faciunt versus, quos in urbis templo legisse se testatur Pighius:

Tunc Hadriana Vetus, quæ post Iuvavia dicta est,
Præsidialis erat Noricis & Episcopo digna.

Aventinus author est, Ptolemæi παιδικον idem esse cum Saltzburgo, pagumque ostendi in vicinia ejus nominis. Gaspar Bruschius initio vernaculo nomine *Helffenberg* dictam prodidit, atque ex eo fluxisse Romanum nomen Iuvaviæ vel Iuvensis castelli. Salisburgum postea à salinis vocari cœpit, quarum copia non procul ab ea urbe reperitur in oppidulo Halla. Alii vero & rectius Saltzburgum dici volunt, à Salza fluvio, qui urbem alluit. *Situs.* Sita autem est in Norico Cisdanubiano, in mediis Alpibus, decenti murorum ambitu, turribus & propugnaculis, ac præterea ædificiis publicis privatisque egregie exculta: Arcem habet in edito monte splendidam. Veteris Arcis Iuvavensis ruinæ extra suburbium conspiciuntur in colle. Templa & sacella sunt varia: Abbatia S. Petri vetusta admodum est, ex eaque petiti sunt sæpius Episcopi. Ad S. Sebastianum conspicitur Theophrasti Paracelsi monumentum cum hac inscriptione: *Conditur hic Philippus Theophrastus insignis Medicinæ Doctor, qui dira vulnera, lepram, podagram, hydropisin, aliaque insanabilia corporis contagia mirifica arte sustulit, ac bona sua in pauperes distribuenda collocandaque ordinavit. Anno* 1551, *die* 24 *Septembris vitam cum morte commutavit.* Cathedrale templum præ cæteris eminet. *Archiepiscopatus.* Fuit enim hic perdiu sedes Archiepiscopalis, translata illuc Laureaco, sub Carolo Magno, anno Christi 798, qui dignitatis illius eminentis titulum contulit in Arnonem Episcopum, suffragante Papa Leone, quum ante à temporibus inde Bonifacii tantum fuisset sedes Episcopalis. Bonifacius quippe ab Vtilone Bajoariæ Duce invitatus tractum illum omnem in quatuor parœcias distribuit, & singulis singulos Episcopos præfecit. Ex his, inquit Wilibaldus, is qui Bonifacii vitam contexuit, primus fuit Ioannes, quem voluit Salisburgensis oppidi cathedram obtinere; alter Erimbertus, qui Frisingensi Ecclesiæ præfectus est: tertius Gunibaldus Ratisbonæ, quæ est Bajoariæ Metropolis, antistes institutus est: Winilus vero à Præsule Apostolico jam ordinatus Pataviensi Ecclesiæ Episcopus datus est. Fuere autem Cathedræ isti, ex quo ad Archiepiscopalem dignitatem evecta est, subjecti suffraganei, Tridentinus, Pataviensis, Viennensis, Gurcensis, Brixiensis, Frisingensis, Seccoviensis, Laventinensis, & Chiemensis.

Fines. Terminatur Status Archiepiscopalis ab Oriente Stiria & Superiori Austria, à Meridie Carinthia & parte Tyrolis: ab Occidente & Septentrione Bavaria & Tyrolensi Comitatu. Abundat Salinis, auri, argenti, cupri, ferri aliorumque metallorum fodinis. *Montes.* Regio montosa est: montium nomina sunt *Radstatterthaurn*, *Felberghthaurn*, *Kornthaurn*, *Casteinrthaurn*, aliique. *Sylvæ.* Multæ quoque sunt sylvæ, quas *Herdionem*, *Henhardum* & *Weyhardum* vocant. *Flumina.* Flumina prope innumera sunt, quæ ex montibus scaturientia, totam regionem irrigant. Sunt autem *Anassus*, quem suis aquis augent Altzius, Matichius; Traunus, Mura & Dravus è lacubus orti; & Salza, quæ urbi & toti regioni nomen commodat. Sunt & multi lacus, omnes piscium abundantissimi.

Vrbes. Comprehenduntur hoc Statu, præter Metropolin Saltzburgum, hæ urbes; *Tietmoning*, *Titmaninga* ad Salzam fluvium in confiniis Bavariæ; ut Lazio videtur, Antonini *Bidaium.* *Radstatt* ad Anassum fluvium situm in valle oppidum, circumjacentibus montibus quibus nomen communi-

municat, circumquaque cingitur. Anno 1257 natus in hoc oppido infans fuit, duo cornua in capite habens, cujus vagitum quatuordecim ante natalem diebus auditum fuisse ferunt. Lazius antiquum putat, & Taurinam, Tauream, sive Teurniam appellatum arbitratur. *Muldorff* ad sinistram Oeni ripam situm, & prælio inter Ludovicum Bavarum & Fridericum Austriacum Imperatores (in quo Fridericus captus fuit,) celebre. *Lauffen* ad Salzam fluvium inter Saltzburgum & Dietmoning, Antonini Laviacum, ut Lazius lib. 12. Comm. Reip. Rom. arbitratur. *Hallein, Haliola*, & *Halilula* ad Salzam fluvium salinis & salis coctionibus satis frequentatum; anno 1573 in una ex iis Salinis, seu Salifodinis 6300 pedes profunda inventus est homo totus 9 spithamas longus, duræ Petræ Salinæ insculptus, qui corpore, capillis, & vestimentis satis dignosci poterat, & olim forte illuc decidit. *Frisachium* & *Sanct-Andreanum* quoque Salzburgensi Archiepiscopo parent; quia vero in Carinthia sita sunt, eorum descriptionem benevolus Lector illic inveniet.

Series Archiepiscoporum SALTZBVRGENSIVM.

ANno 4-6 quo tempore Noricum Romanis parebat, fuit Iuvavensis Episcopus S. Maximus, quem Ostrogothi & Heruli Duce Vidomaro in Italiam proficiscentes ex patibulo suspenderunt, urbe insuper vastata, & plurimis civibus in captivitatem abductis. Et jacuit aliquamdiu ita Civitas, donec Rupertus Episcopus Wormatiensis jussu Theodeberti Francorum Regis ad Bojos profectus, baptizatis Ratisbonæ Theodone III, & Theudeberto ejus filio, doctrinam Christi illis locis docuit Laureacum usque. Inde reversus per Noricum, Oetingæ baptizavit Theodonis fratres, Vtonem & Theodewaldum, ac tandem Saltzburgi docuit. Defunctus est ibi anno 624.

Abbates S. Petri ante Episcopos.

2 Vitalis, Monasterii S. Petri Abbas, sedit annos 23, mortuus est anno 646.
3 Ansologus, Abbas ad S. Petrum, sedit annos 20, sepultus est anno 666.
4 Savolus, sedit annos 14, defunctus anno 680.
5 Ezius, Abbas sedit annos 23, obiit anno 703.
6 Florbargisus, Abbas vixit annos 37.

Episcopi.

7 Ioannes, qui à Bonifacio factus est Episcopus, sicut ante diximus: sedit annos 14, obiit anno 754.
8 S. Virgilius Hibernus: sedit annos 30, obiit anno 784.
9 Bertricus Abbas, defunctus anno 885.

Deinceps Archiepiscopi.

10 Arno I, ex Episcopo factus Archiepiscopus anno 798 per Leonem III, sedit annos 36, obiit anno 821. Fuit autem in flagrante gratia apud Thassilonem III, Ducem Bojoariæ, non tantum priusquam ille à Carolo Ducatu pelleretur, sed etiam post. Sub hoc celebrata sunt Saltzburgi Comitia anno 807, quibus interfuere etiam Legati Nicephori Imp. Constantinop. decretumque, ut Carolus ipsiusque successores *Imperatores Romani, Latini* & *Occidentales*, dicerentur: Nicephorus vero cum suis, *Constantinopolitani, Græci*, & *Orientales*.
11 Ammilonius, obiit anno 821.
12 Adalramus, defunctus anno 836.
13 Leopramus, obiit anno 869.
14 Adalwinus, sedit annos 14, obiit anno 873.
15 Adelbertus, sedit annum unum, obiit 874.
16 Dietmarus I, sedit annos 23; cæsus est ab Hungaris anno 907.
17 Piligrinus I, sedit annos 16, obiit anno 923.
18 Olibertus, sedit annos 12, obiit anno 935.
19 Egilolphus, sedit annos 4, obiit 939.
20 Heroldus Comes à Schyern, sedit annos 18, erutis oculis dejectus est de dignitate anno 958.
21 Fridericus I, in Chiemgaw, obiit an. 991.
22 Hartwicus, Comes in Spanheym & Artenburg, sedit annos 32, defunctus est anno 1002.
23 Guntherus, Henrici Imp. qui Sanctus dictus est, Cancellarius, obiit anno 1025.
24 Dietmarus II, sedit annos 16, defunctus anno 1041.
25 Balduwinus, sedit annos 19, obiit anno 1060.
26 Gebhardus, Suevus, ab Helffensteyn, sedit annos 28, constituitque Ecclesiam Gurcensem. Hic pulsus aliquamdiu à Bertholdo à Mospurg, restitutus est: defunctusque anno 1088. Bertholdus postea sedit annos 2. Is Gebhardus cum Papa tenuit in bello contra Henricum IV gesto, unde ipse & posteri titulum *Legati nati in Germania* acquisivere.
27 Thiemo ex Abbate S. Petri, sedit annos 11, captus inde à Turca apud Chorazin in Palæstina vitam martyrio finivit.
28 Conradus I, de Abensberg, Henrici IV, Capellanus, sedit annos 42, defunctus anno 1147.
29 Eberhardus I, Comes de Hiltpoltsteyn, Abbas Biburgensis, sedit annos 17, defunctus anno 1164.
30 Conradus II, S. Leopoldi, Marchionis Austriæ, filius, ex Episcopo Pataviensi factus Archiepiscopus Saltzburgensis, sedit annos 4, obiit anno 1168.
31 Adelbertus, filius Sobeslai, Regis Bohemiæ, sedit annos 6, expulsus est à Fri-

derico I Barbaroſſa, an. 1174, ſuffectus tunc Adminiſtrator Henricus Præpoſitus Berchesgradenſis.

32 Conradus III, Cardinalis Epiſcopus Sabinenſis, ſedit annos 6, poſtea factus Archiepiſcopus Moguntinus deſerta ea ſede rediit, rexitque adhuc annos 17, ob. anno 1200.

33 Eberhardus II, Epiſcopus Brixinenſis, præfuit annos 46, erexitque Epiſcopatus tres, Chiemenſem, Secorienſem & Laveminenſem; defunctus eſt anno 1246.

34 Philippus Bernhardi Carinthiæ Ducis filius electus contra Burchardum, præfuit annos 10, ſed quum nollet ordinari in Sacerdotem, depoſitus eſt anno 1256.

35 Vdalricus Epiſcopus Secovienſis, ſedit annos 9, & reſignavit.

36 Vladiſlaus, Henrici Sileſiæ Ducis filius, ſedit annos 5, obiit anno 1270.

37 Fridericus II, de Walhen, ſedit annos 14, ob. anno 1284.

38 Rudolphus, Rudolphi Imp. Cancellarius, ſedit annos 5, ob. anno 1290.

39 Conradus IV, ſedit annos 22, ob. anno 1312.

40 Wichardus à Polheym, ſedit annos 3, obiit anno 1315.

41 Fridericus III, à Leibnitz, ſedit annos 23, defunctus anno 1333.

42 Henricus à Piernprun, ſedit annos 5.

43 Ortulphus de Wiſenech, ſedit annos 22, mortuus anno 1365.

44 Piligrinus II, à Pucheym, ſedit annos 32, obiit anno 1396.

45 Georgius Schneck, ſedit annos 7, obiit anno 1403.

46 Eberhardus III, præfuit annos 24, mortuus anno 1427.

47 Eberhardus IV, de Starenberg, obiit anno 1429.

48 Ioannes II, ſedit annos 12, defunctus 1441.

49 Fridericus IV, Truchſeſs d'Emerberg, defunctus anno 1452.

50 Sigiſmundus I, à Volckendorff, præfuit annos 8, obiit anno 1461.

51 Burchardus à Weiſpriach Cardinalis, ſedit annos 4.

52 Bernhardus à Ror, ſedit annos 15, reſignavit anno 1482.

53 Ioannes III, Strigonienſis, ſedit annos 7, mortuus anno 1489.

54 Fridericus V, Comes à Schauwenberg, ſedit annos 5.

55 Sigiſmundus II, ab Holneck, ſedit menſes 8, obiit anno 1495.

56 Leonardus à Keutsbach, ſedit annos 24, obiit 1519.

57 Matthæus Langius à Wellenburg, Auguſtanus, Cardinalis S. Angeli, Conſiliarius Maximiliani I, Imp. Francofurti Imperium Carolo V obtinuit. Interfuit quoque Comitiis Auguſtanis an. 1530: ſedit an. 21, obiit anno 1540.

58 Erneſtus Comes Palatinus Rheni, Bavariæ Dux, natus Alberto Bavaro & Kunegunde Friderici Imp. filia, diſcipulus fuit in patria Ioannis Aventini, Ticini Iaſonis Mayni: ex Epiſcopo Patavino factus eſt Archiepiſcopus Saltzburgenſis.

59 Michaël à Nieuenburg, electus an. 1554.

60 Ioannes Iacobus Tirolenſis Nobilis, electus anno 1560.

61 Georgius à Kienburg.

62 Wolffardus Dietericus à Raittenaw, anno 1587 electus, & à Bavariæ Duce uſque ad mortem in cuſtodia detentus.


63 Maximilianus Sittich ab Hohen-Embs, anno 1612 electus.

64 Paris, Comes Lodron, qui nunc præſidet, anno 1619, 13 Novembris electus.

TIRO-

TIROLIS COMITATVS.

Nomen.



ATeriolis Tauriscorum populis castroque Romanorum cognomine, Tirolis nuncupatio est, tam arci ad confluentes Athesis & Passeyri, quam toti Provinciæ communis.

Habet arx suos Comites, Dynastas ab Vlthen, quorum ultimus Albertus, cum majorem natu filiam Adelaidam Meinardo Goritiensi Comiti elocasset, obiit anno 1254, & in eadem arce sepultus.

Principatus. Domini. In Tirolis Provincia novi Principatus initia, post proscriptum Henricum Leonem Bavariæ & Saxoniæ Ducem, dedere Duces Meraniæ, Andechia gens; nam Berctoldus Dux Primus à Cæsare Friderico Barbarossa creatus, collata opera cum parente Berctoldo Istriæ Marchione Insprug, Oenipontem Latine reddes, fundavit anno 1180. Otto autem Berctoldi Ducis filius, Dux ipse Meraniæ II, Oenipontem muro circumdedit, & jure civitatis donavit, anno qui notatur in antiqua illa inscriptione:

Otto Meraniæ Princeps, cognomine Magnus,
Insprug circundat muris, & mœnia fundat,
Trigesimo quarto post annos mille ducentos
A nato Christo privilegia Dux dedit Otto.

Qui cum conditam à se urbem in Principum etiam sedem, & Provinciæ caput destinaret, Provincialia ibidem eodem anno celebravit Comitia. (præcipui inter Provinciales fuere Gebhardus Tridentinus, & Henricus Brixinensis Episcopus) Egit præterea cum Brixinensi de Advocatia Episcopatus, sed inaudito Alberto Tirolensis arcis Comite, cujus etiam lis illa intererat, statutum est nihil. Litem mors tunc diremit Magni Ottonis, quæ secuta est nonis Maji ejusdem anni; sed Mars eandem suscitavit sub Ottone II filio, Duce Meraniæ III, tandemque compositio facta cum Egnone electo Episcopo Brixinensi, in hæc verba:

Dominus Electus debet infeudare Ducem Meraniæ & Comitem Tirolensem, de feudis eorum indivisim, prout prius infeudati fuerunt, cum omnibus suis pertinentiis, excepta Advocatia Brixinensi, quam unus eorum tantum, de consensu alterius & voluntate debet habere in feudum tempore vitæ suæ; defuncto illo, alter succedit ipsi Advocatiæ jure hæreditario, & dicti Domini, scilicet Dux Meraniæ & Comes, non debent alienare ipsum ab Ecclesia calumniose, exceptis suis hæredibus. Et non solum ab ipso Electo hoc debet inviolabiliter observari, sed etiam ab omnibus Successoribus suis. Acta Brixinæ anno 1241. Indictione 14 die Mercurii 12 Calend. Aprilis.

Hinc ordo ille Comitiorum Provincialium, Tridentinæ & Brixinensis Ecclesiæ hæreditaria Advocatio, forma denique Liberi Principatus, quam armis & jure sæpe propugnatam, sartam tectamque in hanc usque diem servant Meranensium Ducum successores, qui se Provinciæ Principes, **Landfürsten** / & Tirolis Comites nominarunt.

Annus 1248 fatalis fuit Ottoni II, Duci Meraniæ III, quo sine prole mascula extincto, cum vacaret Imperium, magnis Meranensis Ducatus ditionibus, qua jure, qua injuria distractis, Menardus Goritiensis Comes, qui & ipse genere Andechius erat, & Berctoldi Ducis I, ex Methilde Sorore nepos, Provinciam sibi Tirolensem vindicavit, sed Ducis Meraniæ titulum prætermisit; An in gratiam soceri Alberti arcis Tirolensis Comitis, adhuc superstitis, cujus etiam hæreditatem sexennio post adivit; An quod sciret Duces Meraniæ non à Tirolensi, sed à Forojuliensi Merano, vel à maritimis illorum Principum provinciis (est enim Meran, quasi **Ahn dem Meer** / ad mare) quæ tunc temporis ad Vngaros & Venetos transierant, denominationem accepisse.

Cognominem Parentem secutus est filius Menardus II. Stambsensis Monasterii fundator. Enimvero hic ille est quem Rudolphus I, Habspurgicus, Ducatu Carinthiæ donavit, cujusque filiam Elisabetham natu maximam, sibi nurum, Alberto filio postea Cæsari uxorem, Austriis Principibus, qui nunc vivunt magnam matrem adlegit, magnamque illis olim dotem allaturam, quod tum factum est, cum (de Carinthiæ Ducatu & Goritiæ Comitatu hic taceo) Margaretha Maultaschia, Menardi hujus ex Henrico filio Neptis, & Hæres ultima, adhuc vivens anno 1263 Tirolim Rudolpho IV Magnifico, Alberto Trica, & Leopoldo Probo, Austriis Fratribus, & communibus ejusdem Menardi & Rudolphi I, Cæsaris Pronepotibus, transscripsit. Porro solus Leopoldus longa Augustæ Propaginis serie beatus, ad Pronepotem Maximilianum I Cæsarem, inde ad Pronepotis Abnepotem Archiducem Leopoldum Tirolim transmisit. Produxit quidem ac vindicavit Maximilianus Tirolenses fines, quos Leopoldus contra jamjam irrupturum Weimarium ad fauces Fiessenses tutatus est anno 1632; eo è vivis abrepto, Masculæ virtutis, singularisque prudentiæ ac pietatis vidua, Claudia Hetrusca, Mater, Tutrix, ac Gubernatrix Ferdinandum Carolum Provinciæ Principem, cum pupillis Archiducibus, ad avitam educavit paterni maternique nominis gloriam. Nunc vero Fer-


TYROLIS
COMITATVS.
SERENISSIMO
PRINCIPI
FERDINANDO CAROLO,
D.G. ARCHIDVCI AVSTRIÆ,
DVCI BVRGVNDIÆ,
COMITI TYROLIS, & GORITIÆ,
LANDGRAVIO ALSATIÆ, &c.
Tabulam hanc humillime offert et dedicat
I. BLAEV.
Milliaria Germanica.
Septentrio
Meridies
Occidens
Oriens
ALGOIA
BAVARIÆ CONFINIA
EPISC. SALISBVRGENSIS PARS.
CARINTHIÆ PARS.
FOROIVLIENSIS DVCATVS.
MARCHIA TREVISANA.
WALGOIA
PRÆTIGOV
RHETIÆ PARS
ITALIÆ PARS
Ferner et Lacus Glaciatus
Lacus Benacus olim di Garda
Venetiæ
Tridentum
Tyrol
Bolzano

Ferdinandus Carolus Archidux Sereniſſimus Provinciæ huic maxima cum prudentiæ & benignitatis laude præeſt, veſtigiis majorum ſuorum digniſſimus inſiſtens.

Amplitudo regionis. Porro Tirolis amplitudo, qua longiſſima eſt, intra tres gradus Germanica milliaria 30, totidem qua latiſſima eſt intra gradus duos continet. Quamvis autem ejus ſuperficies ubique montoſa ſit, crebris tamen, cultisque vallibus diducta ad hoſpitaliora & fœcundiora ſpatia identidem fatiſcit; proinde feſtive Carolus V, Tirolenſem Comitatum rugoſo pallio, quod ſemper majus eſt quam appareat, comparabat.

Qualitas. Alpes, quæ Peninæ antiquis Authoribus dicuntur, à Lyci ad Dravi fontes, Provinciam ſecant in partes duas, Septentrionalem quæ Germanico tantum, & Meridionalem, quæ magna ex parte Italico ſermone utitur. Illa fodinis ditior, hæc vitibus fœcundior, utraque tamen frumenti, frugumque ferax:

Eſt argentiferis tellus & turgida venis,
Et Cereri non indocilis, nec inhoſpita Baccho,

verè de Tiroli quidam cecinit, ſed non integrè: nam præter venas cujuſvis generis metalli, & Cadmiæ lapidoſæ, fuſuris (ut Plinius lib. 34. cap. 10. loquitur) neceſſariæ, turget Tirolis prope Hallam, civitatem officinis cum ſalinariis, tum cudendæ & examinandæ monetæ nobilem, venis optimi ſalis, nec non diverſi coloris terræ, ad tincturæ picturæque uſum, denique foſſilium, ac lapidum variorum pretio: Cryſtallus enim hic optima & Malachites, caſuris olim ſi feratur opem allatura. Cæterum fodinarum proventum, qui quotannis non eſt contemnendus, tam divitem in ſolis Schwazenſibus argentifodinis Archidux Sigiſmundus habuit anno 1448, ut Opulenti cognomen inde acceperit.

Alpium prædictarum vertex, exeſis præruptisque jugis tam vaſte coronatus, ut ejus diameter ad ſex Germanica milliaria ſe extendat, Gros Ferner dicitur, quod longè lateque ferreo perennique rigeat gelu: interim inde caput, unde altum primum ſe erumpit Atheſis, & dii minorum gentium flumina ferme 30. Quæ ad Aquilonem labuntur Oenus excipit, quæ vero ad Meridiem Atheſis, quibus uterque auctus, ille in ſuperiori Engadina natus à Ponte-alto, ad fauces uſque Kuffenſteinianas, totam Tirolis longitudinem irrigat, inde per Bavariam fluit, nomen daturus Oenopoli, Germanis *Inſtatt*, in ripa Danubii Paſſavio oppoſita.

Flumina. *Oenus.* *Atheſis.*

Atheſis vero, qui majorem partem Tirolenſis latitudinis fœcundat, ſinuoſo primum flexu per Vennonum Vallem, nunc Venuſtam, ad Sigiſmundi coronam, mox recto curſu, gemina inter oſtia Anaunii & Eviſii, in urbem Epiſcopalem Tridentum excurrit. Inde per Archi-Ducum pluribus victoriis inſignem Lacherinam, Vallem, Roveretum præterfluit; relicturus quidem infra Borgettum, olim Palatium Tirolenſes fines, ſed nomen uſque in Adriæ ſinum ſervaturus.

Vltro citroque in Italiam & Germaniam commeantibus, facilem ſemper aditum præbuere Breneri fauces. Viæ duces ſunt ibi Sylla & Eiſacus, in vicinia nati, ſed Sylla ad Oenum tendit, quo aureas etiam prope Oenipontum arenas immittere, teſtantur torques aurei, qui cum theſauro Tirolenſium Principum, ſervantur in Arce Ambras. At Eiſacus oppoſito curſu Sterzingam (nam Vipitenum antiquum nomen, vicinæ tantum valles nunc retinent, incolis dictæ Wipthal) Brixinam, in Reuniæ, vulgo Rienzia, confluente, Sabionam, nunc vicum Seben, olim urbem, unde Epiſcopalis ſedes Brixinum translata eſt anno 1038, denique Bolſanum Provinciæ emporium præterfluit, magno Mercatorum compendio, opem laturus Atheſi, ad ſuſtentandas onuſtas mercibus naves.

Sylla. *Eiſacus.*

Auſtralis pars Tirolis, præter Atheſim, & longos ejus decurſus, deducit etiam ex valle Zugana in Adriam fontes Meduaci, vulgo Brenta; nec non ab Euganeis fluvium Sarcam, qui cum intra fines Tirolenſes in Benacum influat, an idem mutato nomine Mincius effluat, non partus, ſed alumnus Benaci, ut Plinius loquitur lib. 3. cap. 19. authores certant.

Meduacus. *Sarca.*

Septentrionalis autem Tirolis pars, præter Oeni fluenta, derivat in Danubium fontes Dravi, qui ultra Leontium, vulgo Lienz, Carinthiæ fines ingreditur: ſed & Iſaræ per Bavariam, denique Lyci Vindique fontes per conterminos, quibus nomen etiam ii fecere, Vindelicos.

Dravus.

Numerantur in Tiroli univerſim urbes Epiſcopales duæ, Civitates quindecim, oppida majora 16. Monaſteria, Collegia & Cœnobia ſupra 60. Provincialia dominia, Baronatus & Comitatus 142. Teuthonicorum Equitum Domus quinque. Nobilium arces 350. Pagi denique ſupra mille. Totius Provinciæ Metropolis Oenipons, ubi Archi-Ducum Aula, armamentarium, & ſuprema cauſarum Tribunalia. Plura & ſingulariora in Annalibus Tirolenſibus.

Epiſcopatus. Vrbes. Pagi. Monaſteria.

BAVARIA DVCATVS.

Nomen.

Avariam multi ab *Avaris*, plurimi à *Bojis* Galliæ populis nomen accepiſſe exiſtimant; aliqui ab utriſque: unde & doctiores *Bojoariam* eam appellant, quaſi *Bojo-Avariam* ex duorum iſtorum populorum coalitione: Germanis hæc regio *Bayerland*, & incolæ *Bayern* nominantur.

Veteres Populi.

Veteres incolæ fuere Nariſci, Vindelici & Norici. Nariſci hodie ſunt Nortgovienſes, quos Danubius ab aliis hujus tractus populis ſeparat. Vindelici, prout docent Veteres, inter Noricos & Rhætos poſiti ſunt; Ptolemæus autem eos à Rhætis Lyco flumine disjungit: at Strabo Rheno & Conſtantiæ lacu,& ab Alemannis Danubio diſcretos ſcribit. Origo nominis eorum à Vinda & Lyco (qui & Lechus dicitur) fluviis emanavit, ut patet ex hiſce verſibus:

Reſpicit & late fluvios Vindamque Lycumque,
Miſcentes undas, & nomina littoris, unde
Antiquam gentem, populumque urbemque vocarunt
Vindelicam.

Norici ab Oeno flumine verſus Hungariam & Italiam ſe exporrigunt: hi fortiter contra Romanos, ipſis vicinos, olim militavere; quare Noricorum arma Poëta Horatius præclare celebrat.

Termini.

Limites habet Bavaria ab Oriente Auſtriam, ab Occidente Sueviam; à Meridie ſunt Alpes Rhæticæ, à Septentrione vero Franconiæ Bavariæque Palatinatui adjacet, Danubio interfluente.

Qualitas.

Aëre fruitur ſano & temperato; territorium habet fertile, frumentique quam vini feracius, ſed quod abunde vicina Auſtria ſubminiſtrat. Salis hic & porcorum magna copia, quæ duo in alias vicinas regiones magno cum indigenarum emolumento evehuntur: Argenti, cupri,ferrique venæ non deſunt,præcipue in Nortgovia circa Ambergam & Sultzbach. Frequentes per totam Bavariam ſylvæ, fluvii & lacus de palma inter ſe certare videntur, utrum plus ferarum illæ, an piſcium hi ſuppeditare poſſint. Longitudo ejus eſt 29 milliarium, & latitudo fere exæquat mill. 25.

Fluvii.

Fluvii præcipui ſunt, *Danubius*, qui omnium totius Europæ maximus, *Iſara, Labtra, Oenus, Lycus* vel *Lechus, Alemannus, Ambra, Zoyſus, Vilſus*, pluresque alii & fere innumerabiles.

Lacus.

Multa præterea ſunt ſtagna ac lacus, *Azee, Ammerzee, Wirmzee, Rorzee*.

Montes & Sylvæ.

Montes ſunt *Rhæticæ Alpes*; Silvæ & Saltus magnæ Hercyniæ partes ſunt, uti *Heynerdoch, Schwartzwald, Grienwald*, & *Zellerwald*.

Mores Veterum Bojorum.

Erant Veteres Boji homines rudes & agreſtes, ſed bellicoſi, & tempore pacis agricultura, & armentorum cura vitam ſuſtentantes: cubabant ſemper humi, quam gramine ſtraverant, in pagis plurimum habitantes. Artium & ſcientiarum illis nulla cura: divitiæ in auro & armentorum numero apud eos conſiſtebant; unde & ſagittas auro illuſtrabant, & colla torquibus ornabant. In hoc intenti plurimum erant, ut quamplurimos ſibi amicos devincirent, illos potentiſſimos æſtimantes, quorum dominatio maximo clientum numero niteretur. Quoad religionem, habebant eoſdem cum reliquis Germanis deos, & ante inſignes vetuſtate quercus iis ſacra faciebant.

Mores hodierni.

Hodierni Bavari homines ſunt religioſi,populares inter ſe, ſed inhoſpitales aliquantulum, pacis amantes, timidi, agriculturæ dediti, & mercaturæ ignari, nec avidi. Præterea feruntur eſſe vinoſi, & multa ſobole delectari; imprimis amatores ſuæ patriæ, quique non libenter cœlum mutant. Principes ſuos eximia benevolentia amplectuntur, & literarum fautores intra aliquod tempus eſſe inceperunt: ſicut &,ex converſatione continua Italorum, Muſicæ, armorum ſtudio aliiſque artibus operam dare contendunt.

Habitus veſtium,

Veſtitus Bavarorum convenit cum Auſtriacis; ita ut Nobiles utriuſque ſexus ditiores Gallicum modum imitentur; minoris vero conditionis homines, Italum vel nativum veſtiendi modum aſciſcant.

& Lingua.


Lingua ferè eadem cum Suevis utuntur, ſed magis adhuc rudi & agreſti: in qua id obſervatur,plura vocabula Armenica in ea inveniri, ita ut Bojos aliqui exinde ex Armenia ortos eſſe ſuſpicentur.

Diviſio.

Diviſa eſt Bavaria in duas partes; in Superiorem nempe & Inferiorem: hæc Orientem, illa Occidentem ſpectat. Superior verſus Meridiem Alpibuſque vicina, magnis lacubus & ſtagnis, nec non fluviis & ſaltibus abundat: inferior populis frequentior eſt,agerque ejus excultior,& ad Danubii Laberæque & Iſaræ confluentes fertilis & feraciſſimus.

Contenta.

Comprehendit Bavaria plurimas regiones, videlicet *Nortgaviam*, aliàs Superiorem Palatinatum, ſive Superiorem Bavariam dictam. Archiepiſcopatum *Saltzburgenſem*, Epiſcopatus *Patavienſem*, *Friſingenſem* & *Ratisbonenſem*; Ducatum *Neoburgenſem*, Landgraviatum *Leuchtenbergenſem*,& Vrbem Imperialem Liberam *Ratisbonam*. Tota quidem hæc regio Duci & Electori Bavariæ paret, exceptis Diœceſibus Eccleſiaſticis, urbe imperiali Ratisbona,Ducatu Neuburg,& Landgraviatu Leuchtenberg, quæ ſuis quæque Dominis reguntur: ita ut triginta quatuor urbes, quadraginta ſex oppida, ſeptuaginta duas Abbatias, exceptis adhuc innumeris caſtellis contineat.


BAVARIA
DVCATVS,
Per Ger. Mercatorem.
Apud Guiljelmum Blaeu.
Milliaria Bavarica
1 2 3 4
BOHEMIÆ
PARS
Occidens
Oriens
Regenspurg
Ingolstat
Augspurg
Landshut
Munchen
Saltzburg

Monachium. Superioris Bavariæ urbes sunt; *Monachium* situm ad Isaram flumen, quod ex Alpibus Pœninis lapsum Septentrionem versus volvitur, inque Danubium sese exonerat; sedes est Bavariæ Ducum, urbs ampla, potens, elegans. Exstructa murisque cincta fertur ab Ottone Duce, anno Christi 1162 aut circiter; nomen autem habere ex eo dicitur, quod monachorum villa hoc loco fuerit collegii Schefflariensis: itaque insigne illi adhuc Monachus, qui passis ulnis dexterâ speciem jurantis præ se fert, lævâ librum tenet. Cæterum sita est ea in loco amœnissimo; Occidentem versus respicit Lycum amnem & Augustam Vindelicorum: versus Orientem, Oenum & Wasserburgum, paribus intervallis decem milliarium. Septentrionem versus est Frisinga; ad Meridiem montes Tirolenses. Amplitudo ejus interior continet passus quingentos. Templa in urbe sunt varia; duo autem præcipua, quorum alterum B. Petro, alterum B. Virgini sacrum est, in quo monumenta spectantur illustrium Bavariæ Ducum, & Ludovici IV Imperatoris. Turres hujus templi binæ, columnarum instar rectæ adsurgunt in altitudinem pedum 333. Organum musicum pneumaticum ejus templi constat ex tubis buxeis, quibus nullæ in universa Germania capaciores ex plumbo vel stanno fusiles esse creduntur. Monasteria plura sunt, Franciscanorum, Augustinianorum, Iacobitarum, aliorumque. Inter quæ magnificum illud Patrum Societatis Iesu collegium eminet, ampli cujusdam & regalis palatii structuram referens. Primùm templi porta conspicitur statuis diversis, columnis sculpturisque decorata; parsque illius interna picturis insignibus, operibusque prominentibus artificiose elaboratis conspicua: fornicem habet ex lapide & gypso singulari industria cælato compositum. Insuper se offert in collegium aditus, porta sua magnificis picturis exornata superbiens: intus apparent perystilia & ambulacra, Italicos fastus omnino præ se ferentia. Collegium ædificari cœptum est à Duce Guilielmo (qui vitæ normam Iesuitarum non absimilem sibi instituerat) petitis ad hoc undequaque opificibus architectisque, tum ut opus collegii inchoatum consummaret, tum ut Palatium Ducale (uti nunc est) splendidum & plane regium, exstrueret; quod inter prima mundi mirabilia merito collocari potest, sive amplitudo locorum quadrangularium, porticibus circumquaque ex marmore & Iaspide affabre factis, cinctorum consideretur, sive magnificentia aut multitudo aularum, in quibus præclara Ducum Bavariæ gesta depicta, Phrygiarioque opere texta conspiciuntur. Hortus præter artificiosum fontem, & domum pulcherrimis picturis ac statuis ornatam, pergulasque & antra ex opere topiario, hoc habet insigne, quod sub vesperam quotidie vergente ad noctem crepusculo, magnus cervorum grex fenestras arcis sua sponte subeat; quasi dominum salutans, ut facile sit Principi vel sagitta vel sclopeto destinatum aliquem ex tam multis conficere. Bibliotheca Ducalis habet undecim millia voluminum, quorum magna pars scripta est manu. Vicinum ei est theatrum: infra theatrum locus, in quo statuæ & monumenta ex Italia Græciaque & remotioribus locis, immani sumptu petita adservantur. In curia Ducali aluntur tigrides, lynces, ursi, leones, etiam ad genituram. Ante palatium exstructus est à Ferdinando Duce fons ad ornamentum & usum civitatis, quem quatuor angulis statuæ elementorum, in medio, equitis galeati & cristati simulacrum exornat. Viæ urbis latæ sunt, nitidæ, superbis ædificiis exornatæ; ad quarum munditiem multum faciunt canales tres ex Isaræ alveo ducti.

Frisinga. *Frisinga* ad Mosaci amnis ripam sita est, quam vetustiores *Fruxinum* vocavere. Est autem urbs amœna, colli imposita, agro satis fertili. Locum sic describit Otto ejus urbis Episcopus: Mons est in pulcherrimo & amœnissimo loco positus, limpidissimarum aquarum, ac præcipue Isaræ rapidissimi fluvii cursu conspicuus, totam illius regionis faciem, & ex Australi plaga latissimam campi planitiem tanquam è specula longe lateque contemplans. Originem urbis aliqui ad Romanos referunt, cum totam hanc regionem à Danubii fontibus ad Alpes usque per prætores suos administrarent. Sunt qui ad annum 444 templum D. Mariæ sacrum hoc in colle exstructum volunt, & primum hujus urbis fuisse, non vero sacellum D. Petri, ut quidam alii existimant. Gaspar Bruschius in monte *Tetmo*, qui huic urbi vicinus, Pipinum Galliæ regem, ut & Carlomanum aulas suas constituisse scribit in castello, cujus nunc locum occupat Benedictinorum cœnobium. Multis porro rerum successibus & variantibus longo temporis tractu casibus, Frisinga & erecta & debilitata est. Imprimis ab Vngarorum incursibus plurima damna perpessa est. Anno 1086 à Saxonibus tempore Paschatis, Imperatori Henrico rebellis, capta est. Henricus quoque undecimus Dux Bavariæ Ecclesiasticorum Frisingensium vicos & oppida mœnibus nudavit, urbemque ipsam gravi pœna attrivit, quod à partibus Ducis Guelphi stetisset, una cum Imperatore Conrado urbem obsidione cingens. Tempore Friderici I, ad annum 1159, paucis mensibus post Othonis Frisingensis Episcopi obitum, tota cum Cathedrali Ecclesia reliquisque aliis templis in cineres abiit. Anno 1632 à Gustavo Sueciæ Rege occupata est. *Episcopi.* Primus Frisingensis Ecclesiæ Antistes cum Episcopi titulo fuit *S. Corbinianus* ad Annum Christi 716, cujus vitam cum aliis plurimis Otho Frisingensis conscripsit. Obiit A. C. 730, cum 14 annos Ecclesiæ præfuisset. Secutus est S. Corbinianum frater ejus germanus *Erimbertus*, qui vixit annos 28, vel ut alii volunt 13, in Episcopali dignitate. III. *Iosephus Veronensis*, Isæ sepultus anno 764. IV. *Aribo*, qui S. Corbiniani cadaver Frisingam deferri curavit, cum antea ad S. Valentinum Maisæ in Tyroli sepultum fuisset: miraculo res insignita est, quod in Tetmo monte puteus tunc aquam large iterum subministrare inciperet, cum jam ante quadraginta annos exaruisset. Ariboni successit *Atto*, anno 782, qui 27 annos Ecclesiæ præfuit. VI. *Hitto*, qui 25 annos Episcopatum rexit: moritur 837. VII. *Erchtimbertus*, sive *Erimbertus*, mortuus anno 853. VIII. *Anno*,

no, Episcopatum plurimis suis bonis ex patrimonio proprio coëmtis ditavit, & 21 annos administravit; excessit anno 875. IX. *Arnolphus*, vir satis doctus, 8 annos Ecclesiæ præfuit, cui successit anno 883, X. *Waltho*, sub quo Ecclesia Cathedralis cum diplomatibus, scriptis, aliisque ornamentis omnibus in favillas redacta est; quod damnum multum sublevavit liberalitas Arnulphi & Ludovici Imperatoris. Rexit annos 22, & obiit anno 905. XI. *Vto*, unum annum Ecclesiam gubernavit, & successorem habuit, XII. *Dracolphum*, non fidelem Episcopatus administratorem, cui præfuit annos 20, in Danubio submersus A. C. 926 die S. Vrbani. XIII. *Wolframus* 12 annos Ecclesiæ regendæ insumpsit, plurima alienata à prædecessore suo bona recuperavit, multa cum sua laude. Hunc secutus est, XIV. *Lambertus*, vir pius & sanctus, cujus fervidis precibus adscribitur, quod cum Vngari 955 circumjecta loca misere depopulati essent, apertis oculis, sed confusa mente ob intercedentem nebulam, urbem montemque Frisingensem non viderint, & intactam reliquerint. Episcopatus habenas tenuit 18 annos, mortuus anno 957. *Abrahamus* XV Episcopus, electus est anno 962, triginta annos Episcopatum rexit, obiit anno 992. XVI. *Gotscalcus*, vir eloquentissimus, qui mellita sua eloquentia Henricum Imperatorem aggressus, oratione de clementia habita, adeo movit, ut statim Hacilonem sive Henricum, Marchionem Franconiæ, quem captivum retinebat, dimitteret. Hic quoque ejus decreti auctor est, quo Canonici una præbenda contenti esse coguntur, usque in hunc diem vigentis. Præsedit annos duodecim, fatis concessit anno 1005: sub hoc tempus monetam cudendi libertas Frisingensi urbi data; & Dominium Waidhofen in Austria huic Episcopatui incorporatum est. XVII. *Engelbertus* seu *Egilbertus*, ex Comitibus Mospurgensibus ortus, cui Conradus II, Imperator, filium Henricum dederat educandum, rexit ecclesiam annos 34, & obiit anno 1039. XVIII. *Nitgerus* præfuit annos 13; decessit Ravennæ anno 1052. XIX. *Ellenhardus*, Comes Dachspergensis, sedit annos 25; è vivis abiit anno 1078. XX. *Meginwardus*, vir pius & zelosus in propagando nomine Iesu Christi; qua de caussa in Bohemiam abiens Pragæ cœnobium & templum exstruxit, ibidem mortuus anno 1098, cum jam reditum cogitaret: præfuit annos 20. XXI. *Henricus* ab Eberstein, seu Ebersdorf, sedit annos 39, obiit 1137. Ecclesiæ omnia sua testamento legans. Hunc secutus est *Otho*, Leopoldi S. filius, sub quo Frisingensis Episcopatus maxime floruit, nullique in divitiis, splendore & ornamentis cessit; adeo Ecclesiasticorum integra vita erat sub hoc Præsule, ut Frisinga margaritæ assimilaretur, quæ Imperii Romani annulo insereretur. Cum Conrado Imp. in Syriam, contra Saracenos militatum abiit, & Græciam Palæstinamque visens, memorabilem illam Chronologiam à Mundi creatione ad sua usque tempora conscripsit. Cum 20 annos sedisset, sub Friderico patruo decessit anno 1158. XXIII. *Albertus*, Comes Sigmariensis, eligitur anno 1158, cujus regiminis altero anno, ingenti tempestate exorta, tonitrubus & fulguribus quasi certatim erumpentibus, tota Frisinga incendio fere absorpta est. Albertus, qua potuit diligentia, & de suo suppeditatis sumptibus, templa refici, ædificia erigi, omnia restaurari curavit. Obiit anno 1183, postquam 24 annos Episcopatum administrasset. XXIV. *Otho* II, antea Canonicus Magdeburgensis, filius Dietpaldi Comitis à Diessen, & Gisalæ Comitissæ Bergensis; fratres habuit quinque; quorum tres quoque ad Episcopatus honorem pervenere. Hic Otho uno die Veronæ à Pontifice & Imperatore Ecclesiastica & Cæsarea Regalia accepit; qui honor paucis Germanis Episcopis contigit. Sedit annos 35, & mortuus est anno 1220. XXV. *Geroldus*, qui 11 annos præfuit. XXVI. *Conradus*, dictus *Telznerus*, à Friderico II Imperatore, cum aliis Episcopis Austriam gubernandam accepit, cum dictus Imperator Ducem Fridericum illinc expulisset: qui ut Viennam recepit, Conradum in custodiam dedit, diuque detinuit. Exercuit quoque hic Episcopus graves cum Othone Bojoariæ Duce inimicitias, quæ tandem sopitæ sunt, & acta scriptaque hinc inde igni tradita, in meliorem amicitiæ redintegrationem. Obiit 1258, cum 27 annos Ecclesiam rexisset. XXVII. Successit *Conradus* II, Comes Sylvester, sedit annos 20, subita morte exstinctus. XXVIII. *Fridericus Montalbanus*, 4 annos, obiit 1282. XXIX. *Emicho*, Comes Mospurgensis, præfuit annos 29, obiit & sepultus est Viennæ anno 1311. XXX. *Gottfridus* quatuor annos præfuit. Hunc secutus est, XXXI. *Conradus* II, qui defunctus est anno 1322 cum veneni suspicione, post 7 annorum regimen. XXXII. *Iohannes Decretorum Doctor*, à Pontifice Ioanne XXII Brixiensis, inde Bambergensis & tandem Frisingensis Episcopus ordinatus, quinque tantum septimanas sedit, & obiit anno 1324. XXXIII. *Conradus* IV *Clingenbergensis*, qui ob dissidia bellantium Principum in Austriam secedere coactus fuit, & Vlmerfeldæ mortuus est 1337, tertiodecimo Episcopatus sui anno. In hujus locum electus est XXXIV. *Iohannes à Gittingen*, per Papam Bonifacium XII, excellens Medicus & Astrologus: hic nunquam Frisingam venit, sed Avenione in Aula Pontificia remansit; ubi & mortuus est anno 1349. Hoc interea absente electus est *Leopoldus*, seu, ut alii malunt, *Ludovicus à Schaumburg*, qui interim Episcopatum administrabat; & post utriusque mortem, à Clemente VI ordinatus est XXXVI Episcopus *Albertus*, Comes Hohenbergensis, filius Rudolphi, qui 9 annos plurima cum laude Ecclesiam rexit, mortuus Steinæ ad Rhenum 1359, & sepultus Rotenburgi in templo S. Mauritii. XXXVII. *Paulus*, sedit annos 18. XXXVIII. *Leopoldus*, post triennale regimen ex constructo à se ipso ponte in Carnia decidens obiit anno 1381. XXXIX. *Bertoldus de Wahing*, Austriacus, & Ducis Austriæ Cancellarius, decessit anno 1410, postquam Episcopatui 29 annos præsedisset. XL. *Degenhardus von Weix*, *Conrado* Episcopo Gurciensi cedere coactus; qui à Ioanne XXIII Pont.Rom.ordinatus erat. Sequitur XLI. *Hermanus* Comes Ciliæ,

Ciliæ, anno 1412 electus, ſedit annos 9. XLII. *Nicodemus de la Scala*, Veronæ & Vincentiæ Dominus, unde paulo ante hanc familiam Veneti armis expulerant, à Pont. Martino V, Epiſcopatui huic præpoſitus eſt, quamquam à Capitulo Iohannes Grunwaldter electus eſſet, cui tamen Nicodemus annuos 200 florenos expendere conſtrictus fuit; rexit annos 20, mortuus Viennæ anno 1443, & ibidem in Auguſtinorum eccleſia ſepultus. XLII. *Iohannes Grunwaldter*, poſt Nicodemi mortem Epiſcopatum adeptus eſt, & S. R. E. Cardinalis factus: renitente licet Henrico Schlichio, quem Cæſar Fridericus favore ſuo ad id faſtigium evehere conabatur. Iohannes itaque recuperatis, quæ ab Eccleſia alienata erant, & multa alia animo agitans, ſubito morbo correptus deceſſit Viennæ anno 1452, & Friſingæ in Cathedrali Eccleſia, ſicut voluerat, ſepultus eſt. XLIII. *Iohannes Tulbeck*, Decretorum Licentiatus, Eccleſiæ bona cum fide, & ſua magna laude præfuit annos 21; at propter incommoda provectæ jam ſenectutis dignitatem reſignavit in *Sixtum Tannebergenſem*, Cancellarium ſuum, virum doctum & eximii ingenii, qui reformandis cœnobiis immenſam operam inſumpſit; obiit Franckenthaliæ anno 1495, anno regiminis ſui 21, & reliquit Eccleſiæ 30 millia Ducatorum ſive aureorum. XLV. Hujus in locum poſtulatus eſt Rupertus Philippi Palatini & Electoris ad Rhenum filius; qui cum ob teneram nimis ætatem, (agebat enim 17 annum) aliasque cauſas Epiſcopatus habenas accipere recuſaret, & tandem cum Georgii Bavariæ Ducis filia conjugium necteret, locum ejus occupavit frater *Philippus* anno 1499. Hic plurimis ex Epiſcopatus bonis reſtauratis, refectisque, plurimis quoque aliis coëmptis, & adjunctis, poſt 42 annos laudatiſſimi regiminis fato functus eſt anno 1541. XLVI. *Henricus* Palatinus, Philippi frater, præfuit annos 10, obiit anno 1551. XLVII. *Leo Löſch* rexit annos 7, obiit 1559. XLVIII. *Mauritius Sandizellius* poſt ſexennale & pacificum regimen Epiſcopatum in manus *Erneſti*, filii Alberti Bojoariæ Ducis reſignavit, qui exinde plurimos alios adeptus, tandem ad Archiepiſcopatum Colonienſem pervenit; vir probus & pacificus, qui multa inter Principes Germaniæ diſſidia compoſuit: obiit Arnsburgi in Weſtphalia anno 1612. L. *Stephanus à Seibelſtorff* præfuit annos 5 menſes 6, poſt cujus obitum anno 1618 electus & confirmatus eſt *Vitus Adamus* ex Nobili Gebeckiorum familia oriundus, ſub hoc Suecorum arma Friſingam ſibi ſubjecere. Innumera mala, quibus & urbs & agri vexabantur & opprimebantur, in hiſtoriis patent: Quibus reſiſtendis coadjutor & Succeſſor Vito adjunctus eſt *Albertus Sigiſmundus*, Alberti Bavari filius.

Ingolſtadium. *Ingolſtadium* urbs ad Danubium flumen poſita eſt, ab Anglis Suavis ſic dicta; initio tantum vicus fuit, verum ab Imperatore Ludovico Bavaro jura privilegiaque, quibus civitates donari ſolent, obtinuit. Hoc tempore claret Academia & Univerſitate ſcientiarum omnium diſciplinarumque doctrina celebri, quæ immunitatibus amplis à Ludovico Bavariæ Duce, ſummoque Pontifice Pio II, dotata fuit. Vrbs ipſa tantopere nunc eſt munita, ut fere omnino inexpugnabilis habeatur: ideoque commotionis & belli tempore ad eam Bavariæ Duces confugere, domiciliumque habere ſoleant. Sita eſt ad Danubium fluvium in planicie, niſi quod Danubium verſus paulo inæqualiter aſſurgat: Circuitum Dreſſerus 3500 paſſus excedere affirmat. Circumjecta urbi regio fertiliſſima, aërque ſaluberrimus eſt. Vrbs diſtincta nitidiſſimis plateis, & pictis ædibus exornata, non minus tamen ornamentum ſui eximiis templi divitiis acceptum refert, in quo pretioſiſſima & rariſſima D. Mariæ effigies palmam cæteris eripit 50000 aureis æſtimata: imago ipſa ex puro auro ſatis grandis lapillis pretioſiſſimis conſita & variis coloribus inſignita, Regis alicujus Galliæ donum exiſtimatur, cui conjuncta eſt effigies multo minor S. Michaëlis, ex auro quoque confecta & lapillis ornata. Media in eccleſia pavimentum fundationis originem rubro lapide deſcriptam exhibet. Eſt præterea in hac urbe Cœnobium ſeu Collegium Ieſuitarum, excellens, amplum & multis cubiculis, cameris & ſcholis diviſum, & inſigni Bibliotheca conſpicuum. Anno 1632 à Guſtavo Adolpho, Sueciæ Rege tentata eſt urbs, ſed in vanum, cum tormenti ictu equus ſub corpore Regis mortuus concideret, & Marchio Badenſis interficeretur.

Oppida. Alia Superioris Bavariæ oppida ſunt plurima, ut: *Abensperga* ad amnem Abenſt, qui oppido nomen dat, Antonino & in Notitia Imperii *Abuſina* dictum. Fuit olim ſedes Comitis Babonis fœcunditate prolis celebris; fertur enim 32 filios & 8 filias generaſſe. Poſt occiſum à Chriſtophori Bavariæ Ducis militibus Nicolaum ultimum Abenspergenſem Comitem, Albertus, Dux Bavariæ, oppidum in ſuam poteſtatem redegit, annivente Imperatore Friderico anno 1486. *Aicha*, duabus commendatariis Ordinis Teutonici olim celebre oppidum, Cameræ Monachienſi ſubditum, ſed bello Suecico anno 1634 à Suecis captum, direptum, & in cineres redactum eſt. *Brauna* urbs ad Oenum fluvium ſita, Latinis Brundunum, ubi antiquum monumentum reperitur, ſpectat ad Cameram Burghuſianam: & tam natura loci quam munientium arte hodie ſatis firma cenſetur, neque unquam bello Suecico tentata eſt. Burghuſium, *Burgkhauſen* ad Saltzam fluvium ſita urbs, cui eximia & munita arx in monte excelſo ſtructa, non exiguum decus & munimentum præbet. Videtur hæc urbs quaſi propugnaculum eſſe hujus partis Bavariæ, quæ Salisburgenſem Archiepiſcopatum reſpicit. Conſtitutus eſt hic Conſeſſus Principis Iudiciarius, pertinentque ad hanc Cameram multa alia oppida & vici, quæ numerare nimis operoſum. *Fridberga* urbs uno milliari Auguſta diſtans, ad Cameram Monachienſem refertur: arcis ſuæ fundamen Duci Ludovico, Ludovici IV patri acceptum refert, quamquam aliqui ſint, qui ipſam urbis fundationem ipſi adſcribant. Anno 1632 à Suecis urbs capta, direpta & incenſa eſt, incolæ ferro abſumpti. *Landsberga* 6 parvis milliaribus Auguſta Vindelicorum diſtans, Cameræ Monachienſi ſubjecta eſt, urbs pera-

peramœna, in inæquali solo sita ad Lycum fluvium, & in colle arcem habens. *Neostadium* ad amnem Abenst, Cluverio Celeusum, urbs est gratissimo in loco condita; spectans ad Cameram Iudicialem Monachiensem. Anno 1395 inopinatò à Ludovico, Duce Ingolstadiensi tentata, capta, & direpta est, cives trucidati; tantaque præda à victoribus inventa, ut equites aurum & argentum galeis inter se dividerent & metirentur. Iterum sub Sigismundo Cæsare tempore Bacchanalium civibus somno vinoque sepultis, ab Ingolstadiensibus improviso assultu urbs capta & incensa est. Anno 1633 Bernhardo Wimariensi deditione se tradidit. *Ottinga* urbs, Cameræ Burghusianæ subdita, ad Oenum fluvium sita est. Nomen huic urbi aliqui ab *Vtone* vel *Otone* Duce Bavariæ, Theodonis II filio inditum existimant. Hoc constat, quod plurimi Reges Ducesque Bavariæ hîc sedes fixerint, & temporibus Hunnorum incursantium sæpissime Principes Imperii huc de republica deliberaturi convenerint. Invitabant ad hoc commoditas & amœnitas loci, piscinæ frequentes, & non infructuosæ ferarum venationes, quibus aucupiorum deliciæ accedebant. Ostentantur adhuc horum Principum Regumque monumenta in SS. Philippo & Iacobo sacris templis. Postquam Hunni Veterem Ottingam vastassent, & incendio delevissent, excepto solo sacello D. Virgini sacro, suburbium incolæ inhabitavere, quod tandem in urbem mutatum, nunc novæ Ottingæ nomen occupat, quarta milliaris parte Veteri distans ad fluvium Oenum, & muris cinctum, quibus Vetus Ottinga nudata est, ita ut nec pago nec vico similis sit, habens aliquid inter utrumque, clara tamen miraculosa D. Virginis imagine, quæ in dicto sacello collocata est. Plurimæ huc peregrinationes instituuntur, & innumera donaria conferuntur, ita ut illic custoditus cimeliorum thesaurus vix æstimari queat; unde aliqui hanc Germanicum *Lauretum* appellare non vereantur. *Pfaffenhoven* oppidum est ad Ilmam fluvium, sub camera Monachiensi. *Raina*, oppidum non quidem amplum sed cultum satis, sub eadem camera, ad Acham situm, pervetustum, quod Cluverius *Clarennam* vocitatum arbitratur. *Reichenhall* ad Salam situm oppidum, ad Monachiensem Cameram spectans, salifodinis & fontibus celebre est. *Schardinga* ad Oenum fluvium Cameræ Burghusianæ oppidum, pulchrum & amœnum, ædibusque lapideis nitens, cum eximia & munita arce. *Schonga*, quibusdam *Schongavia*, oppidum cameræ Monachiensis, loco excelso structum, subterlabente fluvio Lyco. *Schrobenhausen* oppidulum parvum est ad dictam Cameram judicialem spectans. *Traunstein*, ad Draunum fluvium non longe Reichentall situm oppidum sub Camera Monachiensi, balneis propinquis celebre. *Wasserburg*, ejusdem Cameræ amœnum, splendidum & opulentum oppidum, media sui parte Oeno fluvio cinctum, & in profunda valle situm: olim suis Comitibus paruit, quorum jam diu familia exstincta est. *Weilheim* ad Ambram fluvium, Cameræ Monachiensi subjacet. *Wembding*, non spaciosum oppidum, sed nitidum, habet adjunctam arcem, situm inter Ottingam Suevorum & Monhemium.

Vicorum pagorumque numerus innumerus est, inter quos eminent, *Aibling, Dachaw, Diesen, Friburg, Gaimersheim, Hag, Toltz, Trospurg, Vokburgh, Wolfertshausen, Ilm, Kœsching, Maurkirchen*, quo in vico egregium templum, & in eo statuæ multæ equestres ab Henrico I, post victoriam ab Hungaris partam solvendo voto positæ; *Parthenkirchen, Ried, Riedenburg, Schwaben*, &c.

Vici & Pagi.

Cœnobia in hac Bavariæ parte multa & magni nominis sunt: Excellunt inter hæc; *Altenmunster*, Virginum S. Brigittæ Cœnobium; *Andechs*, peregrinationibus celebre, & ordinis S. Benedicti; *Berchtesgaden* eximia & libera Abbatia, quæ à nullo nisi Pontifice & Imperatore dependet; *Bernfriedt*, ordini Regularium Canonicorum S. Augustini dicatum; *Beurberg*, ejusdem ordinis; *Beyhartingh* itidem ordinis Reg. S. Augustini; *Ebersberg*, eximium Cœnobium ex voluntate Pont. Clementis VIII, Iesuitis concessum, cum antea Benedictinorum esset; *Ettal*, ordinis Benedictinorum; *Furstenfeld* Ordinis Cisterciensis ad Ambram fluvium; *Hochenwart*, olim arx Comitum ab Andechs, nunc Cœnobium Virginum Ord. S. Benedicti; *Keysersheim* Abbatia Illustris non longe Donawerta; *Kuebach*, Virginum Ord. S. Benedicti; *Raitenbach*; Ord. S. Augustini prope Schongam, monumentis & reliquiis Primi, Feliciani & Panosæ Martyrum celebre; *Raitenhaslach*, Ord. Cisterciensis ad Saltzam fluvium; *Scheftlarn*, Ord. Præmonstratensis, decem millia passuum Monachio distans ad Isaram; *Schyrum*, *Scheyren*, celebre Benedictinorum Cœnobium supra Pfaffenhoven, olim arx munitissima, quæ ab Arnulpho, Ducis Arnulphi, dicti Maligni, filio ædificata fertur, 120 Principum tumulis famosa; *Schœnfeldt*, Abbatia & Cœnobium Virginum Ord. Cisterciensis non longe Raina, ubi Lycus fluvio Danubio miscetur; *Seon*, *Sevum* Ord. S. Benedicti non longe Chiemsee; *Staingaden* Ord. Præmonstratensis Abbatia prope Raitenburch ad Lycum; *Tegernsee*, celeberrimum totius Bavariæ Cœnobium, & Abbatia inter Isaram & Oenum situm, munimentis & bellicis tormentis in omnes hostium assultus provisum; cujus Abbates Nobilium liberos, instar Principis, in servitium suum adsciscunt, & sæpius ab Imperatoribus Imperii Principes nominati sunt; *Thierhaubten*, Abbatia Ord. S. Benedicti, ad Lycum non longe Augusta Vindelicorum; & *Wessesbrunn*, eorundem Cœnobium ad Lycum situm.

Cœnobia.

Inter Inferioris Bavariæ urbes palmam tenet *Ratisbona*, de qua Otto Frisingensis sic scribit lib. 2 de gestis Friderici Barbarossæ: Hæc civitas, inquit, super Danubium, qui unus trium famosissimorum fluminum in Europa à Topographis dicitur, ex ea parte qua prædicto amni duo navigabilia Regnus & Naba illabuntur flumina, posita, eo quod ratibus opportuna bonaque sit, Ratisbona; vel à ponendo ibi rates Ratispona, Bajoariorum quondam Regum, nunc Ducum sedes est. Vrbs est amplissima atque ornatissima; aggere, fossa, mœnibus egregie ornata. Paruit olim Regibus Bojorum, sub Friderico autem

Vrbes.

Ratisbona.

autem Primo adserta est in libertatem. Anno 791 incendio pene tota consumta fuit, sed Arnulphi industria restaurata est. Templa & sacella tot habere dicitur, quot sunt in anno dies. Pars urbis ultra Danubium sita, est vetustior, habuitque à Regno amne nomen Reginopurgi. quod nomen postea adcrescente parte Cisdanubiana, ad novam quoque urbem derivatum est. Pontes hic duo sunt lapidei, unus ad Regnum, alter ad Danubium: quorum ille antiquior est, hic magnificentior; omnium ad Regnum & Danubium pontium maximus, ac Dresdano dumtaxat ad Albim minor, ut qui 800 habeat passus in longitudine, quum hic tantum habeat 470. Pontem illum condidisse dicitur Henricus Dux Bavariæ & Saxoniæ, adjutus opibus civium Ratisponensium & Episcopi, anno 1135. Religionem Christianam primus in urbem importavit Marcus B. Pauli comes. Postea sub Zenone anno 484 Paulinus & Iustus. A Paulino usque ad Garibaldum numerantur Episcopi novem. Prolapsam enim Ecclesiam restituere Carolus Magnus & Bonifacius, dato Garibalto Præsule. Hic primum Garibaldus ordinem inter Episcopos Ratisbonenses auspicatur, ita ut hunc primum constituant, quem sequitur 2 Sympertus. 3 Adalwinus. 4 Baturicus. 5 Erchamfridus. 6 Embricus. 7 Aspertus. 8 Tuto. 9 Isingrinus. 10 Conradus. 11 Guntherus, sive Guntharius, tempore Othonis I. 12 Michael. 13 S. Wolfgangus, qui anno C. 994 obiit. 14 Gebhardus I. 15 Gebhardus II. 16 Gebhardus III, qui anno 1060 decessit. 17 Otho. 18 Gebhardus IV. 19 Vlricus. 20 Hartvicus I. 21 Chuno I. 22 Henricus I. 23 Hartvicus II. 24 Eberhardus. 25 Chuno II. 26 Gothofredus. 27 Conradus II. 28 Conradus III. 29 Sigfridus. 30 Albertus I. 31 Albertus II, cognominatus Magnus, qui anno 1260 ad Episcopatum hunc pervenit, & ut melius studiis vacare posset, Coloniam discessit, desertis Episcopatus molestiis. 32 Leo. 33 Henricus II. 34 Conradus IV. 35 Nicolaus. 36 Fridericus I. 37 Conradus V. 38 Theodoricus, Liber Baro in Abensberg. 39 Iohannes I. 40 Albertus III. 41 Iohannes II. 42 Erhardus. 43 Conradus VI. 44 Fridericus II. 45 Fridericus III. 46 Rupertus, Comes Palatinus Rheni, qui anno 1465 fato functus est. 47 Henricus III. 48 Rupertus II, Comes Palat. 49 Ioannes III, Comes Palat. qui anno 1538 mortem obiit. 50 Pancratius I. 51 Georgius I à Pappenheim, mortuus anno 1563. 52 Vitus à Fraunberg. 53 David Köldrer, qui cum urbe de Iudiciis & officiis exercitas lites composuit, aulamque Episcopalem ita redintegravit, ut Imperatori Maximiliano sedem per aliquod tempus præbuerit. 54 Philippus, Dux Bavariæ, qui decessit anno 1598. 55 Sigismundus Fridericus Fuggerus. 56 Wolfgangus II. 57 Albertus IV, Comes Toringicus anno 1613, 22 Octobr. electus: cui anno 1642 Coadjutor datus Franciscus Guilielmus, qui dein factus est Episcopus Osnabrugensis, Mindensis & Verdensis, Comes in Wartenberg; nunc S. R. E. Cardinalis. Goldastus in lib. de R. Boh. hunc Episcopatum non amplius Salizburgensi Archiepiscopo subjectum esse, sed immediate Pontificem tantum agnoscere asserit.

Episcopi.

Patavium.

Patavium, Germanice *Passaw*, in libro Notitiarum Imperii *Batava* dicitur: urbs præclara ad Oeni ripam, qua is se Danubio jungit, posita, in ipsis Austriæ finibus: nescio an toto orbe amœnior gratiorque loci prospectus inveniri possit, quippe secundo Danubii alveo paulatim sub urbem delapsis urbs ipsa in medio, exerentesque post urbem capita montes, hinc Cœnobium D. Virgini sacrum in edito monte, & subtus longo ordine structæ ædes, inde excelsæ rupi impositum castellum, castelloque subjacentes domus, triplici fluviorum ordine dividente visum, gratissimum oculis spectaculum præbent, luxuriantisque tum naturæ, tum æmulantis naturam artis, amœna diversitas, quo animum, quo oculos flectas, dubitantem, & inter claudentes latera rupes jam modo devium, rapacitate fluminis relinquit. Adjuncta, sed suo tamen flumine separata, Patavio oppida sunt, *Innstadt* & *Ilsstadt*, hoc ad Iltzam margaritarum proventu valde celebrem, illud ad Oenum rapacitate sua notum fluvium, utrumque è regione Patavii situm, ita ut una potius urbs, sed tribus divisa fluviis videatur, ligneis duobus iterum conjuncta pontibus. Patavium in longitudinem 1100 passuum porrecta urbs, undique à tergo montibus sylvisque quasi muro cingitur, suoque Episcopo immediate subjecta. Inter structuras sacras prima se offert Cathedralis S. Stephani Protomartyris Ecclesia, quam Plectrudis Grimoaldi Campaniæ & Bavariæ Ducis filia, & Pipini Heristalli, Comitis Palatini Regni Galliæ uxor, cum patre fundavit, qui Patavii sedem fixerat: Monumentum in ea S. Valentini visitur, cujus in Arrianis convincendis zelus enituit. Hodie quoque celebris est miraculosa D. Virginis imagine, quam Archidux Leopoldus ab Electore Saxoniæ dono acceptam hoc in templo plurima cum reverentia conservandam reliquit. Secunda huic sacræ ædi aula Episcopalis est, nitida & excelsa turri conspicua, nec minus omnium facultatum codicibus repletissima Bibliotheca insignis. Reliqua templa SS. Paulo, Michaëli & S. Cruci dicata, ut & Cœnobium Virginum nobilium *Niedernburg*, non exiguum urbi ornamentum sunt. In monte S. Georgii trans Danubium munitissima Arx *Oberhaus* conspicitur, & infra hanc Ilszipolis sive Ilsstadt, Iltza fluvio ab altero sed jam pervetusto castello *das Vnderhaus* dicto distincta. Anno 1552 famosa illa comitia Imperii huc convocata & celebrata sunt, in quibus Religionis Pax seu libertas inter Carolum V, & Mauritium Electorem Saxoniæ, intercedente Romanorum Rege Ferdinando, constituta est, & exinde Passaviensis contractus nomen invenit. Quod Episcopatum Pataviensem attinet; ditio Episcopalis Bavaria, Archiepiscopatu Salisburgensi, Bohemiaque & Austria includitur. In Austria plurima habet prædia, pagos, ut & oppidum Mautem, & vicos Ebersberg ad Draunum & Ambstetten. In Bavaria, præter Patavium, urbem vel oppidum non habet, sed multos vicos, pagos & dominia cum arcibus: ita ut reditus hujus Episcopatus ad 80000 Coronatorum sum-

summam accedere existimetur. Olim Laureaci, ubi Anassus fluvius Danubio jungitur, Episcopalis sedes constituta erat, sed ob continuas Hungarorum incursiones Patavium translata fuit, cujus primus Episcopus *Erchenfridus* vocabatur, ad annum 616. S. Ruperto memoratus in Itinerario suo. Sunt tamen aliqui, qui eundem Erchenfridum Archiepiscopum Laureacensem & Episcopum Pataviensem volunt. Vt ut sit, major lux apparet paulo post, cum *Philoni*, quem Archiepiscopum Laureacensem fuisse, & Erchenfridum Episcopum Pataviensem ajunt, & *Brunoni* Pataviensi unus tantum *Theodorus*, & huic *Vivilus* succedit, qui primus, post dirutum Laureacum ab Hunnis ad annum 735, sacra, sacerdotes, Monachos & Moniales Patavium transtulit: hunc secutus est *Sidonius*, hunc alii iterum, & inter eos *Waldericus* Archiepiscopus Pataviensis, sub cujus jam appropinquantem vitæ terminum hic Archiepiscopatus Saltzburgum translatus est; quamquam & postea aliqui hic Episcopi Archiepiscopatus titulum usurparint, & Româ Archiepiscopale pallium acceperint. Ex his erat *Winechindus*, sive *Wichindus*, cui Imperator Arnulphus donationem urbis Patavii ab Ottilone Bavariæ Duce factam confirmavit anno 899, & plura alia privilegia contulit. *Gerardus*, seu *Gebhardus*, qui anno 945 obiit, à Pontifice Archiepiscopus iterum Laureacensis creatus, tandem cum Heroldo Archiepiscopo Saltzburgensi convenit. *Pilegrinus*, qui ultimus Archiepiscopus aliàs dicitur, obiit anno 991. Inter sequentes jam Episcopos hi maxime clarent: *Altmannus*, mortuus anno 1091. *Conradus* Marchio Austriæ; *Weichardus à Polheim* obiit anno 1282. *Albertus* II, Dux Saxoniæ, mortuus anno 1342. *Gothofredus à Weissenek* an. 1362, sub quo terræ motus Patavii fuit, & pars urbis in cineres abiit. *Iohannes à Scherfenberg*, decessit anno 1387. *Georgius Comes Hohenloius*, obiit anno 1424. *Ernestus* Dux Bavariæ anno 1517 electus; huic successerunt *Wolfgangus* Comes à Salm: *Wolfgangus* II, *à Klosen*: *Vrbanus à Trenbach*, qui 70 Laureacensis & Pataviensis Episcopus existimatur. *Leopoldus* Archidux Austriæ, qui anno 1580 dicto Vrbano Coadjutor datus erat. *Leopoldus Guilielmus* Archidux Austriæ, nuper Belgicæ Hispanicæ pro Rege Hispaniarum Gubernator, adhuc Ecclesiasticum regimen administrat.

Landishutum. *Landishutum* est ad rapidissimum fluvium Isaram, qui longe lapsus, postquam Landaviam, Sindelfingium, Monachium, Frisingam, Mosburgum, & Mittenwaldium, urbes satis celebres attigit, in Danubium tandem sese effundit. Conditum est anno Salutis partæ 1208, à Ludovico Bavariæ Duce, quum antea arcis jacta fuissent fundamenta à Ludovico Ottonis filio, sub annum 1178. Sedes est Principalis. Ager omnium rerum beata copia abundans, segete, vino, leguminibus, arboreis fructibus, quibus colles agrique vestiuntur. Prata quoque habet & silvas: meritò ut regio ista cum amœnissimis & uberrimis totius Europæ certare possit. Vrbs ipsa ædificiis admodum venustis & elegantibus nitet, inter quæ potissimum eminet Ecclesia, quæ artifici structura, ac præsertim stupendæ altitudinis turri spectantium ad se oculos atque animos rapit. In monte, qui urbi imminet, ampla est arx, ex qua in vicina loca quaquaversum patet amœnissimus prospectus. Est quoque magnificum aliud in inferiore parte urbis Palatium, opus Alberti Ducis, quod vulgo novum ædificium vocant. Ejus structura elegans, ad Italicæ architecturæ symmetriam, scite subtiliterque concinnata, magnum toti urbi decus atque ornamentum adfert. Est ibi visendus hortus, quem Guilielmus Dux, in gratiam conjugis suæ Lotharingicæ, Gallorum hortulanorum operâ consevit. In eo pergulæ operis topiarii, sepimenta, labyrinthi, areolæ, artifici manu directæ, ingentem spectatoribus recreationem præbent, inter limpidissimorum fontium ductus.

Straubinga. *Straubinga*, altera Inferioris Bavariæ metropolis, ad Danubium sita est, sexto milliari infra Ratisbonam, à Ludovico Bavariæ Duce an. 1208 fundata. Est in hac urbe etiam Camera Ducis Bavariæ judicialis, ad quam plurima oppida, pagi, arces & monasteria referuntur. Anno 1238 incendio grave damnum passa est. Anno 1392 tota in favillas redacta est. Imperator Ludovicus IV, rebellantem Henricum Ducem Bavariæ persecutus, Straubingam obsedit & cepit: cujus Imperatoris filius Dux Albertus è fundamentis arcem hic exstruxit, cum hac in urbe sedem statuisset. A Duce Bernardo Wimariensi urbs obsidione cincta, deditione tandem in ejus manus venit, sed insequenti anno à Bavaris recuperata est. Vrbs satis magna est, & è lapide constructis ædificiis nitens, & commodo mercaturæ exercendæ loco sita.

Oppida. Reliqua Inferioris Bavariæ oppida sunt: *Dingolvinga*, commode situm ad fluvium Isaram, & pervetustum, quo ad annum 765, Episcopi, Abbates, & Status Bavariæ Inferioris convenerunt, veteraque statuta & privilegia congesserunt, correxerunt, & novo suo Duci Thassiloni confirmanda proposuerunt. Tempore Concilii Basileënsis, ab Henrico Duce Landishutensi obsessa & expugnata est, cum antea Ingolstadiensi Duci Ludovico paruisset. *Erdinga*, oppidum vetustum & olim grande, nunc valde contractum: situm est in amœnissima & omnium frugum felicissimo proventu grata planitie, in finibus quasi Inferioris & Superioris Bavariæ, quam irrigans Sempta ingenti accolis piscium copiâ prospicit. Anno 1632 & 34 bis captum à Suecis oppidum, direptum & incensum est, incolis plurimis ferro igneque absumptis. *Landavia* ad Isaram, anno 1224 à Ludovico Bavaro exstructum, cujus cathedralem D. Virgini S. Ecclesiam Ludovici IV, Imperatoris, filii, anno 1348, Abbati & conventui Cænobii Ober-Altaich ad Danubium, cum omnibus appendicibus, privilegiis & commodis in æternum possidendam tradidere. *Mosburgum* inter Ambram & Isaram situm, & inter urbes Landishutum & Frisingam, ab utraque 2 mill. distans, virentibus circumcirca pratis inclusum est. Anno 1632 à Gustavo Sueciæ Rege obsidione captum, sed anno 1634 à Suecis direptum est, Ratisbonam tunc temporis tendentibus. Olim suos habuit Comites, sed eorum familia extincta ad Bavariæ Duces, anno

1281, Comitatus possessio devenit. *Osterhovia*, inter Vilsam & Isaram non longe Danubio situm, olim *Petrensiæ* nomen habuisse Cluverius existimat. Insigne hic cœnobium est Ordin. Præmonstratensis, in quo Dux Vtilo, qui anno 765 obiit, cum conjuge Hiltrude Caroli Martelli filia, tumulati sunt. Post Ludovici Imperatoris mortem, qui Arnolphi filius, Hungari Bavariam excursionibus vastantes, Regium hîc Palatium, & hoc quoque cœnobium incendio delevere. Henricus autem Mosellanus Bavariæ Dux, S. Cunigundis frater, jamjam in ruinas abiens oppidum restauravit, & in integrum restituit. Sub regimine Henrici VI, Imperatoris, ab Austriacis direptum est, & postea multis fortunæ ictibus objectum, nunc iterum quasi convaluit. Et hæc quidem oppida ad Cameram Iudicialem Landishutensem referuntur: sequentia vero Straubingensis Cameræ sunt: *Deckendorff* prope Danubium inter Straubingam & Vilshoviam situm est, versus Palatinatum Superiorem: anno 1633 à Wimariensibus, & dein anno 1641 à Suecis expugnatum. *Dietfurtum* ad Laberam fluvium situm est. *Furt* ad Sylvam Hercyniam situm oppidum, munitissima arce gaudet: quam anno 1641, Dux Suecorum Wrangelius in potestatem redegit, ut aliam satis munitam arcem Ritzsteig, sesquimilliari hinc distantem, quam Decanus Campensis arbitrio victoris permittere, seque cum aliis quos in defensionem arcis assumserat, pecunia redimere cogebatur. *Gravenavia* amni Sagæ adjacens, non longe Hercynia sylva Bohemiam versus. *Kelhemium*, ad Danubium situm oppidum, olim Ducum sedes; prope quod Abbatia *Valentia* Ordin. S. Benedicti jacet. Primum in tota Bavaria Cœnobium **Statt am Hoff**, è regione Ratisbonæ situm, suburbium ejusdem potius, quam oppidum videtur, à Bernardo Wimariensi destructum, ut ex ejus ruinis novum munimentum erigeret, sed post recuperationem Ratisbonæ à Bavaro in justam oppidi formam redintegratum. *Vilshofen* ad confluentem Vilsæ & Danubii structum oppidum, non spatiosum quidem, sed nitidum, & Austriacorum vinorum mercatura celebre.

Pagi, vicique. Ex pagis & vicis hi præcipui sunt: *Abach*, Latinis *Abudiacum Danubianum*, Henrici II, Imperatoris incunabulis celebris vicus; *Dorffen*; *Ebersbeundt*, *Eckmühl*, *Eggefelden*, *Enchendorff*, *Ergolspach*, *Esfing*, *Falckenstein* cum arce munitissima; *Gangkoven*, *Geisslhoring*, *Griespach*, *Hals* Comitatus titulo insignis, & ad Landgravios Leuchtenbergenses relapsus, ab iis venditus est, ita ut nunc Bavarorum Ducum sit. *Hengersberg*, *Kötsding*, *Newmarckt*, *Pfarrkirchen*, *Pfatter*, proventu parvularum, sed grati saporis raparum celebris; *Plädling*, *Pogen*, *Reispach*, *Rögen*, *Rotenburg*, *Thonawstauf* vicus paulo infra Ratisbonam, cum eximia arce ad Danubium situs; *Viechtach*, *Vilsbiburg* olim suis Comitibus parens; *Wertha* vicus anno 1641 à Suecis direptus, & incensus excepta arce, quæ à 150 præsidiariis egregie defensa est; *Wolnzach*; aliique complures.

Cœnobia. Inter Cœnobia primas tenent: *Ober & Nieder Altaich*, duo Benedictinorum Cœnobia ad Danubium, nomen à quercubus pervetustis trahentia, quæ olim divino cultu ab Ethnicis insignitæ, materiam Christianis præbuere extruendi ibidem loca, ubi Christiana religio doceretur. Anno 1634 à Suecis astu captum Ober Altaich, & fortuito igne absumptum est, omnibus præsidiariis fere cæsis; quippe locus & natura & arte munitus erat. *Furstenzell*, præcipuum Bernardinorum monasterium; *Gottszell* Canon. Regularium S. Augustini ad sylvam Hercyniam; *Mallersdorff* Ord. S. Benedicti ad Laberam fluvium, Abbatem habens. *Mariæ Cella*, in finibus Bavariæ Bohemiam versus, asseclis S. Bernardi inhabitatum; *Pamburg* Ordinis S. Augustini ad confluentem Drauni & Altzæ situm; *Ror* non procul à fluvio Labero situm, iisdem inhabitatum; *Suben*, sive *Subana* ad Oenum Ordinis S. Augustini; *S. Veit* sive *S. Veitsberg*, prope fluvium Rotam Ordinis Benedictinorum; *Viepach* infra Landishutum non longe Isara situm, Virginum monasterium Ordinis S. Augustini.

Reditus. Reditus Electoris & Ducis Bavariæ ad millionem sive 1000 millia thalerorum accedere ferunt. *Vires.* Regio populosa & bello apta est; ita ut intra sex septemve dierum spatium Dux 30 millia militum armare possit. Armamentaria duo habet, Monachii & Ingolstadii, quæ viginti millibus arma suppeditare possunt, & plusquam sexcenta tormenta bellica majuscula, exceptis innumeris minoribus. Illud vero ejus statui maximum præsidium, quod tantopere à subditis ametur; & nobiles æque ac opifices ad Principis jussa parati esse debeant.

Regimen. Ad Electoratum hic Dux anno 1623, 25 Febr. pervenit, excommunicato à Cæsare Ferdinando II. Palatino Rheni, Friderico, qui contra Imp. arma sumpserat, suffectus. Quoad Aulæ suæ splendorem, valde magnificus & splendidus est, quippe qui suum præfectum Aulæ majorem, Marescallum, Cancellarium & alios ministros habeat, & plusquam mille homines sustineat. Habet præterea centuriam custodum sui corporis tam equitum quam peditum, & duodecim tubicines. In urbibus oppidisque Nobiles constituit, qui illis præsint. Hi populum in causis civilibus, criminalibus & Politicis gubernant, non vero Nobiles, qui ab ipso Duce dependent. In successione natu major filius Patri succedit, & reliqui fratres aliqua dominia vel Episcopatus adipiscuntur, eadem fere in urbe cum Duce pacifice viventes.

Imperii Circulus. Secundus Imperii circulus est Bavaria, tribus compositus Ordinibus, Ecclesiastico scilicet, in quo comprehenduntur Archiepiscopus Saltzburgensis, Episcopus Pataviensis, & Ratisbonensis, Præfectus Berchtolsgadensis, Abbates Waldsachsensis, Rodensis, Keishaimius, S. Haymerini in Ratisbona, Abbates Altmunsteriensis, & Obermunsteriensis in Ratisbona. Secundus Ordo est Principum & Nobilium, quem conficiunt Dux Bavariæ, Comes Palatinus Bavariæ, Lantgravius Leuchtenbergius, Comites Hagensis, & Ortenburgensis, Baro Stauffennius, Dominus à Rhinfelden, Barones à Degenberg, & Oversultzenberg. Tertius autem Ordo est Civitatum liberarum Freistadii & Ratisbonæ.

Genealogia. Imperator Fridericus contulit anno 1180 Ducatum

catum Bavariæ in *Othonem* Comitem à Wittelspach, qui Landishutum condidit, & mortuus est anno 1183.

Ludovicus I, filius Othonis, condidit Straubingam; occisus anno 1231. Reliquit ex Vxore Ludomilla, Primislai Bohemiæ Ducis filia,

Othonem II, dictum Illustrem. Huic successit

Ludovicus II, *Severus*, Palatinus Rheni, è matre, quæ illius hæres erat. Succedit

Ludovicus III, interfectus Noribergæ, à Comite Hohenlojo in ludo equestri secum lancea dimicante. Sequitur hunc Frater

Ludovicus IV, Imperator electus anno 1314, mortuus anno 1347, postquam triginta tres annos Imperio præfuisset.

Stephanus I, *Fibulatus*, Ludovici filius, obiit anno 1390; habuit hic tres filios, quorum natu major

Stephanus II, Ingolstadii aulam suam stabilivit, & decessit anno 1413, hæredem relinquens *Ludovicum Barbatum*, qui fatis concessit anno 1447.

Fridericus, *Stephani* I alter filius, mortuus est anno 1393, Inferioris Bavariæ Dux Landishuti sedem figens, reliquit filium *Henricum Divitem*, qui cognatum suum Ludovicum Barbatum terris suis spoliavit, & anno 1450 obiit. Huic successit filius *Ludovicus Dives*, Dux Inferioris Bavariæ, Princeps liberalis, & Iudæorum inimicus, quos omnes è ditione sua ejecit, omnibus eorum bonis fisco condemnatis: moritur anno 1479 relicto hærede filio *Georgio Divite*, qui anno 1503 obiit, absque mascula prole.

Ioannes, *Stephani* I tertius filius, Monachii vixit, & obiit anno 1379.

Ernestus II, filius Iohannis Bavariæ Ducis, decessit anno 1438, hæredem instituens

Albertum III, filium ex Elizabetha Barnabæ Ducis Mediolanensis filia. Hic reliquit tres filios, Ioannem, Sigismundum, mortuos absque mascula prole, &

Albertum IV, qui obiit anno 1508, & itidem, tres filios genuit, Wolfgangum, Christophorum & Guilielmum V. Ex iis Wolfgangus & Christophorus absque prole mortui; & successit

Guilielmus V, utriusque Bavariæ Dux, qui fatis concessit anno 1550.

Albertus V, Guilielmi filius, utriusque Bavariæ Dux, obiit 24 Octob. anno 1579. Vxorem duxerat Annam Austriacam filiam Imp. Ferdinandi anno 1546. Filios habuit tres, Guilielmum, Ferdinandum, & Ernestum Archiepiscopum Coloniensem, & filiam Mariam nuptam Carolo Archiduci Austriæ, Duci Stiriæ.


Guilielmus VI, filius Alberti V, natus 29 Sept. 1548 Monachii, uxorem duxit Renatam, Francisci Lotharingiæ Ducis filiam anno 1568. Successit illi

Maximilianus, Electoratum adeptus anno 1623, cum Palatinatu Superiori, ut diximus. Obiit mense Septemb. 1651, ætatis suæ 78: primam uxorem duxit Elizabetham, Caroli Ducis Lotharingiæ filiam; alteram vero Mariam filiam Imperatoris Ferdinandi II, ex qua suscepit successorem suum

Ferdinandum Maria, qui in matrimonium sibi adjunxit Adelheidam, Victoris Amadæi Sabaudiæ Ducis filiam; & cum summa laude etiamnum hodie superstes est.

BAVARIÆ PALATINATVS.

Nomen.



Alatinatus Superior, sive Bavariæ, ad differentiam Palatinatus Rheni ita dicitur, vulgo **die Oberpfaltz**. Hodie *Nortgoviam*, *Nortgow* vocant, voce à *Nort* & *Gow* deducta: *Nort* enim plagam Septentrionalem significat, *Gow* terram & agrum. A Septentrione Voitlandiam adspicit, ab Ortu Bohemiam; qua Meridies est Danubio Fluvio à reliqua Bavaria dispescitur; qua Occidens Hanecampo, Sueviæ parte & Franconiæ terminatur. Veteribus *Noricum* dictum fuit. Noricos olim ad dexteram labentis Danubii ripam coluisse, Lyco amne à Vindelicis discretos alibi diximus. Hi quando transmisso Danubio interiora Germaniæ petiverint, Noricumque Transdanubianum fecerint, omisso vetere, incertum est. Tota regio in 22 mill. longitudinem se extendit, novemdecim mill. lata, continet Rempublicam *Noribergensem*, Landgraviatum *Leuchtenbergensem*, & partem Marchionatus *Anspachensis* Brandenburgici, ut & urbem *Oegram*, cum Comitatu *Ellbogen*, qui nunc Bohemici juris sunt.

Termini.

Qualitas. Aëre Nortgovia fruitur amœno & salubri, sed paululum frigido, unde multo vigore & robore incolæ præditi sunt. Hinc quoque terra dura, aspera & non adeo ferax, quanquam aliquibus in locis bona arva inveniantur, plurimum tamen in prata desinit, vinum hic nullum provenit, nisi aliquantulum ad Danubii ripam, quod tamen aceto similius ob cruditatem. Metallorum hic venæ innumeræ, ita ut inde immensum lucrum incolis proveniat. Lapis quoque cæruleus Lazurus dictus, è Pinifero monte abundantissime eruitur.

Montes. Montes in ea sunt aliqui, & imprimis **der Fichtelberg**/ sive mons Pinifer, qui ad sex milliaria in rotunditatem extenditur, & quatuor fluviis, Mœno, Nabo, Salæ & Egræ ortum præbet, quorum unusquisque ad singulos mundi cardines separatim cursum dirigit. Regio tota *Sylvæ.* sylvis umbrosa est, quæ magnæ Hercyniæ sylvæ partes sunt.

Fluvii. Fluvii hunc Palatinatum humectantes multi sunt, inter quos *Pegnitz*, urbes irrigans Herschpruck, Lauff, & Noribergam; *Regnitz*, scaturiens prope Wissenburg, præterlabitur Noribergam, & Pegnicium recipit; *Altmuhl*, qui cancrorum copia claret, originem trahens prope Anspach, postquam Papenhemium & Eystetten aquis suis & piscibus ditavit; prope Kelhemium Danubio miscetur; *Wernitz* Danubio prope Donawertam confunditur; *Nabus*, receptis Vilso aliisque fluviis, non longe Ratisbona Danubio confluit, & Palatinatum quasi in duas partes secat; *Regen*, ex Bohemiæ montibus fontis originem trahens, ad Ratisbonam Danubium aquis suis, & urbem nomine suo donat. Illud vero notandum, omnes hosce Nortgoviæ fluvios officinis ferrariis percommodos esse, quippe qui rapacitate sua molas circumagentes, immensi ponderis malleos elevant ad cudendum super incude ferrum, tanto cum fragore, ut verè hæc Regio Vulcani sedes credi posset.

Vrbes. Inter Nortgaviæ urbes palmam obtinet *Noriberga*, urbs illis in partibus commerciis celeberrima, de qua suo loco amplius. Post Norimbergam excellit *Amberga*, vallo, fossa, turribus, propugnaculis, situ egregie munita; civium vero concordia & in Principes suos fide, armorumque tractandorum peritia invicta. Sita est ad amnem Vilsam, qui in Nabum sic sese exonerat, ut hic in Danubium. Crevit urbs paulatim incolarum industria, prudentia Magistratus, & liberalitate Principum. Maximus in ea proventus est ex metallis, ac ferro imprimis. Fuit autem initio sub potestate Suevorum: sed eam Ludovicus II Dux Bavariæ & Elector Palatinus emit à Conrado Sueviæ Duce, anno Christi 1266, firmatusque est contractus ab Episcopis, Abbatibus, & Principibus compluribus. Post cæsum vero ab Helvetiis Leopoldum Austriacum, imperante Wenceslao, tres hic convenere Ruperti, fœdusque inter se pepigerunt, quo comprehensi sunt etiam Albertus Ludovici Imperatoris filius, Comes Hollandiæ, nepotes Imperatoris, aliique. Lectus postea in Imperatorem Rupertus Palatinus, Ambergam egregie auxit munivitque. Is moriens quum plures liberos relinqueret, voluit ut Friderico cederet Amberga, cæteris liberis aliter ipse prospexit. Frederici hujus, itemque Ottonis, & Ioannis Neoburgici nepotes nulli fuerunt: itaque ad Ludovicum II Electorem Palatinum devoluta sunt, Amberga, Mosbachium, Neoburgum. Ejus filius Ludovicus Mansuetus tranquille urbem, ut & cætera utriusque Palatinatus rexit. Obiit anno 1449, relicta uxore gravida, quæ eopse anno enixa est Philippum posthumum, cui tutor ex lege fuit patruus Fridericus. Is quum statuisset Palatinatum tempore suæ tutelæ ornare, protinus se gessit pro Electore, hortantibus etiam ad id Comitibus, & Ordine Equestri, & plerisque civitatibus, quod vererentur, ne per infantiam legitimi hæredis alius in bona illa involaret. Displicuit autem ea res Imperatori, quod existimaret, Fridericum crescente potentia ad se suosque pupilli hæreditatem translaturum. Itaque ab Imperatore proscriptus est. Quum autem postularet, ut Ambergenses fidem sibi tanquam Palatino Electori darent, difficiles offendit ad eam rem animos civium, dicentium,

Amberga.

tium, ſe obſtrictos eſſe Ludovico ejuſque hæredibus, nec poſſe aut ipſum ad ſe trahere pupilli bona, aut ſe duos legitimos dominos habere. Fuit enim Ambergenſium ſumma ſemper in ſuos Principes fides. Ille ergo contra obniti. Hi cum Senatu pertendere. Tandem decretum unanimi omnium conſenſu, Friderico præſtandum quidem juramentum obſequii & fidelitatis, ſed ut Tutori & Adminiſtratori, non ut Electori. Ille nihilominus miſſis ad ipſos Conſiliariis conatus eſt mentes eorum ad ſe flectere, vim etiam, ſi recuſarent, oſtentans. Offenſi ergo cives, quoſdam ex iis in Curia captivos tenuerunt aliquandiu, quos tamen haud multo poſt dimiſerunt, uno excepto, qui, ut iratæ multitudinis furorem evaderet, bovi mactato atque exenterato ſe inſui paſſus eſt, & corruptis cuſtodibus pro cadavere extra urbem deferri. Irritatus hac Legatorum ſuorum injuria Fridericus, collecto ſubito milite cum 1500 equitibus Ambergam properavit, cæteris ſequi juſſis, pœnas à civibus contumacibus ſumpturus. At illi jam ducti pœnitentia cum Senatu, & ordine Eccleſiaſtico ipſi obviam progreſſi, veniam delicti poſtulabant. Fridericus quinque è civibus noxæ dedit, deque iis tres ſecuri percuſſit. Ita tandem jurarunt Ambergenſes in verba Friderici, ipſumque pro Electore habuerunt.

Alia oppida. Eſt & *Egra* Nortvagiæ Civitas ſita ad Hercyniam ſylvam; ſed quia hæc nunc Bohemiæ annexa eſt, de ea in Deſcriptione Bohemiæ amplam mentionem fecimus. Reliqua hujus Palatinatus oppida ſunt: *Anerpach*, quod anno 1634 Sueci in ſuam poteſtatem redegerunt; & ubi 1641 Banerius eorum Dux ſtativa habuit; *Champ* ad fluvium Campam & Regnum ſitum oppidum, olim Marchionatus titulo inſigne; nunc Bavariæ Ducum eſt, à Banerio Suecorum Duce anno 1641 deditione captum, & poſt Bavarici exercitus intellectum adventum iterum relictum. *Freyenſtatt* oppidum in Sultzgoviæ finibus, à Suecis anno 1632 captum, direptum & incenſum eſt. *Hilpoltſteyn* ad Rotam amnem ſitum, olim ſuis Comitibus ex ſtirpe Brabonis Comitis ab Abensberg paruit. *Kemnat* oppidulum 5 mill. Egra diſtans, à Wimaricis anno 1634 expugnatum, & anno 1641 à Suecis captum cæſo Bavarorum præſidio. *Neoburgum ad ſylvas*, ad diſtinctionem alterius Neoburgi, 3 mill. Champa diſtans, amni Swartzach adjacet; oppidum hoc arce inſignitum, inſtrumento bellico apertis portis, Suecos recepit anno 1634. Anno vero 1641 Bannerius Suecorum militiæ Mareſcallus locum hunc ſui arbitrii fecit. *Neumarckt* oppidum valde amœnum, & pulchrum, eximia arce nitet; olim, cum Palatinorum ad Rhenum eſſet, illuſtri Gymnaſio celebre. *Pfreimbd* olim Nariſcorum ſedes, nunc vile oppidulum, ſola arce, quæ egregia, nomen meretur. *Sultzbach* inter Ambergam & Vilſeck edito in monte ſitum, Ducali arce floret: aquarum nullæ in eo venæ, ita ut ex puteo ad radices montis effoſſo cives omnes ſuſtenentur. *Waldmünchen* prope ſylvam Hercyniam ſitum oppidulum, anno 1641 à Suecis occupatum eſt. *Weiden* oppidum ſatis amplum & munitum, ad Nabum fluvium inter Newſtatt & Pfreimbd ſitum, anno 1634 à Bernardo Wimarienſi obſeſſum, & poſt acrem defenſionem tandem occupatum, ſed inſequenti anno iterum à Bavaris receptum.

Pagi. Ex pagorum numero eminent, *Bruck*, *Gravenwerd*, *Hirſchaw* veterum incolarum maxima ſimplicitate notus vicus; *Miterteich*, *Nittenaw*, *Pleinſtein*, *Preſſat*, *Schönfecht*, *Schneittenbach*, *Swartzfeld*, *Oberviechtag*, *Waidhauſen*, aliique. *Cœnobia.* Monaſteria præcipua ſunt *Caſtell*, ad amnem Lauterbach, olim arx Comitum à Caſtell, quæ anno 1098 à Beringerio, Comite à Sultzbach, ejuſque ſorore & patruo in Cœnobium Benedictinorum mutata eſt; quod nunc tamen à Ieſuitis poſſidetur: *Ensdorf*, ad Vilſum olim monaſterium Ord. S. Benedicti valde dives, ſed quod Elector Fridericus II cum conſenſu Pontificis bonis nudavit, eaque in fundamen Ambergenſis Scholæ impendit: *Gnadenberg* olim valde celebre monaſterium Ord. S. Salvatoris; *Waldſaſſen* Ordinis Ciſtercienſis, uno milliari Egra diſtans.

Vires. Poſſidet Dux Bavariæ non tantum Superiorem & Inferiorem Bavariam, (exceptis Epiſcopatuum terris & Ducatu Neoburgenſi) ſed quoque Nortgaviam ſive Palatinatum Superiorem, quem ultimis bellis ſibi acquiſivit cum Electoris titulo, cum antea hæc duo fuiſſent Friderici Electoris Palatini ad Rhenum. Tenet præterea urbem Donawertam, quam anno 1607 vi ceperat à Cæſare excommunicatam. Quod Electoratus & Palatinatus Superioris poſſeſſionem attinet, de eo in tractatu pacis Monaſterienſis definitive concluſum eſt, ut Dux Bavariæ, ejuſque hæredes maſculi, utrumque retineret; ſed Inferiorem Palatinatum ad Rhenum Carolo Ludovico Friderici, Bohemiæ Regis filio, octavo Electori, cederet: Præterea deficiente maſcula Bavari prole, Superior Palatinatus cum titulo Ducis Bavariæ rediret ad dictum Principem Carolum Ludovicum; & exinde octavus Electoratus concideret, priorque ſeptem Electorum ordo vigeret.



Septentrio
Meridies
Occidens
Oriens
PALATINATVS
BAVARIÆ.
Bauaria
inferior.
Amsterdami
Excudit Guiljelmus Blaeuw.
Milliaria Germanica communia.
Nurenberg
Amberg
Weissenburger walt
Danubius fl.

Palatinatus sive Ducatus NEOBVRGENSIS.

Origo Ducatus.



Riginem hic Ducatus è Bavarico bello, quod Comites Palatini cum Alberto IV gesserunt, trahit, cum antea omnes illius urbes & oppida Bavaricæ ditionis essent. Imperator autem Maximilianus I, post dictum bellum anno 1505 omnem hanc terram Palatino Comiti adjudicavit, & Ducatus titulo insignivit. Hinc quoque quod Novi Palatinatus nomen acceperit, cum ad Comitum Palatinorum Familiam ejus possessio devenerit. Concessit eum Maximilianus, ut diximus, Ruperti Comitis Palatini jam mortui filiis Philippo, & Othoni Henrico, quorum hic Neoburgi novum Ducale Palatium exstrui jussit, & eodem aulam transtulit. Idem Otho, bello Smalcaldico Protestantium partes amplexus, ab Imperatore Carolo V, omni sua ditione exutus est, sed iterum restitutus anno 1552 juxta Passavici fœderis conventum; usque dum mortuo Electore Friderico II, ad Electoratum pervenit, & hunc Ducatum Cognati Wolfgangi Ducis Bipontini maximo natu filio, Comiti Palatino Philippo Ludovico hæreditario jure concessit, cui filius Wolfgangus Guilielmus successit; & huic Philippus Guilielmus, ejusdem filius.

Neoburgum.

Caput hujus Ducatus est urbs *Neoburgum*, non adeo ampla, sed nitide exstructa. Aliqui sunt qui Neoburgum dictum velint, ad differentiam Altenburgi veteris castelli, cujus rudera proxime Neoburgum ostentantur. Quis conditor sit, ignoratur; hoc certum, pervetustam esse, & cujus Episcopus Manno, unicus quidem quantum scimus, tempore Caroli Magni vixerit, & primum locum in Concilio Dingolvingæ anno 772 habito, occupaverit. Exinde semper Bavariæ annumerata est; in qua Ludovicus Gibbosus Patrem Ludovicum Barbatum obsedit. Singulis septimanis Forum vinarium hac in urbe est, in quo omnis generis vina emuntur & venduntur. Fuit quoque illustre hic Cœnobium Virginum Ord. S. Benedicti, quod emortuis virginibus Wolfgangus Guilielmus in templum & Collegium convertit, & Patribus Societatis Iesu inhabitandum dedit, situm non longe Ducali Palatio. Anno 1632 aliquoties urbs hæc à Suecis & Bavaris hinc inde occupata, & plurimis belli malis divexata est. Duo hinc milliaria distat celebre Benedictinorum Monasterium *Bergen*, virginibus monialibus istius ordinis inhabitatum.

Oppida.


Alia hujus Ducatus oppida sunt: *Gundelfinga*, ad Brentzam amnem modicum oppidulum, & pulchra arce celebre, habens circumcirca plurima castella, vicos & Monasteria in vicino sita. *Hacdeck*, una cum arce Pegnitio fluvio adjacens oppidum, olim cum consensu Caroli V, & Ferdinandi I, cum duobus aliis Reipublicæ Noribergensi oppignoratum, & à Philippo Ludovico Palatino redemptum est anno 1578. *Hemavia* oppidulum 3 milliaria Ratisbona distans. *Hiltpoltstein* ad Rotæ fontes situm, olim suos dominos ex Brabonis Abensbergensis Comitis posteris habuit, nunc Neoburgici dominii est. *Hochstatt* ad Danubium situm oppidum, Ioannis Heroldi Patria, cum arce, Croatarum tyrannide hic anno 1634 exercita, nomen in annalibus meruit. *Laugingа*, altera à Neoburgo urbs & cæteris longe præstans, insignia sua à Sutore accepit, cui ea ob interfectum duello Vngarum Otho I, Imp. donaverat in fortitudinis præmium, cum privilegio ut exinde rubræ ceræ urbis sigillum imprimi liceret. Cathedralis Ecclesia turri 301 pedes alta superbit, quæ anno 1518 strui cœpta, anno demum 1576 absoluta est. Anno 1632 à Suecorum Rege occupata, & munimentis plurimis circumdata est. *Monhemium* duobus mill. Donawerta distans, acuum ibidem confectarum copia claret. *Nabburg* sive *Nabbruck*, ut alii volunt, inter Egram & Ratisbonam situm ad Nabum fluvium. Anno 1634 à Suecis expugnatum, & eodem anno à Cæsarianis recuperatum. Adjacet huic oppido Arx Drausnitz, in qua Fridericus III, Imp. detentus fuit. *Schwandorff*, amœnum, sed parvum oppidulum inter Nabburg & Regenstauf situm; & anno 1641, à Suecis captum, plurimo cum incolarum damno, qui jam à prioribus cladibus acceptis mediocriter convalescebant. *Velburg* prope Laberam fluvium oppidulum, non adeo magnum; anno 1633 in Suecorum potestatem venit. *Burglengenfeld* ad Nabum, optimi saporis cerevisia nobile, cui recondendæ aptæ cellæ confectæ sunt; anno 1633 Suecorum vires expertum, iterum ab illis anno 1641 mense Ianuario incensum est, & eodem anno à Bavaris recuperatum.

Pagi.

Ex pagis, quorum in hoc Ducatu non exiguus numerus, eminent *Burckhaim*, inter Neoburgum & Rainam; *Marxheim*, in quo telonium; & *Regenstauff* ad fluvium Regnum, qui ab hinc duo milliaria apud Ratisbonam in Danubium effunditur.

Descriptio Territorii NOVOFORENSIS, In Superiori Palatinatu.

Nomen.



Ovoforense Territorium, partem constituens Superioris Palatinatus, denominationem à *Neumarckt* vel Novoforo, Metropoli sua, deduxit; quod ad Septentrionalem plagam Norimbergensium ditioni incumbit, *Fines.* versus Occasum & Meridiem ad Marchionatum & Aichstetensem Episcopatum extenditur, reliqua sui parte partim Marchionatu, partim aliis Superioris Palatinatus Præfecturis terminatur. Hodie Dominum agnoscit Bavariæ Ducem, in quem Ferdinandus II Imperator, (rejectis Palatinis Heidelbergensibus) Electoralem Dignitatem transtulit, quo tempore una cum universo Palatinatu Superiori, armorum vi in Bavari potestatem est redactum. *Fertilitas.* Solum habet feracissimum, maximam partem planum, lætissimis agris, saltubus, pascuis, cum innumeris quos alebat incolis nuper luxurians, sed quod diuturno hoc bello multis expeditionibus & incursionibus per & in illud factis devastatum, incolisque & culturâ fere universâ est privatum. Ex uberrimo frumento optima hic coquitur cerevisia, qua cum copiosa ferina, piscibusque, quos fluvii abunde suppeditant, mensæ opipare instruuntur. *Aër.* Aër est serenus, salubris, sed aliquanto inclementior, & vitis proventui nocivus, hinc vina à Rheno, ex Alsatia & aliunde ipsi advehuntur.

Fluvii. Multi rivi fluviique terram hanc irrigant, quibus plurimæ molæ, tam molendo frumento, quam cudendo ferro, sunt impositæ; nam Superior Palatinatus non solum omnigenis frugibus, sed & ferri mineris, imprimis circa Ambergam & Sulzbachum abundat, cui fundendo & cudendo, multæ officinæ & machinæ aquarum impetu circumagendæ sunt necessariæ. *Schwartzach fluvius.* Fluvius Schwartzach è stagno Novoforensi ortus, & Reduiziæ junctus, infra Bambergam à Mœno suscipitur. *Monasterium Gnadenberg.* Mons Gratiæ, Germanice *Gnadenberg*, (olim Eichelberga, ut nonnullis placet) dictum cœnobium, non longe à Schwartzach fluvio distans, multis reditibus est ditatum, quod Monachi pariter atque Moniales, S. Brigittæ regulam observantes, ante Reformationem possederunt; hoc in duas partes erat distinctum, quarum altera viris, altera fœminis erat consecratum: in harum medio à Fuggeris Norimbergensibus magnificum templum fuit erectum, sex & triginta altaribus instructum, in quibus Monachi & Moniales divinum cultum peragebant; in adito ingens conspicitur lapis, sub quo Catharina Pomeraniæ Ducissa, cum suo Conjuge Iohanne, Palatino Duce, atque Christophori Daniæ Regis Patre, qui hoc cœnobium anno 1436 junctim fundarunt, sepulti jacent. Artificiosissime fabrefacto ambulacro, cui simile alibi vix inveneris, est exornatum: dimidio milliari distat Altorffium, *Altorffium.* ubi Norimbergensis Magistratus anno 1578 Academiam fundavit, cui Cæsar Ferdinandus II, anno 1622 hac conditione, ne Theologiæ Doctores ibi crearentur, privilegia concessit. *Burgthannum.* Dimidio milliari Altorffio Burgthannum occurrit, una de quatuor præcipuis Burggraviatus Norimbergensis præfecturis, quam à possessore, Nobili, cui nomen *der Thanner*, Burggravii sibi acquisiverunt; antiquitus vero Feudum fuit Palatinorum ad Altorffium pertinens. *Laber fluvius.* Laber fluvius è duplici scaturigine, quarum altera, Laber Inferior, ad S. Helenam: altera, Laber Superior, ad Botenhofen erumpit: qui duo fluvii uno alveo excepti, inter Kelheim & Ratisbonam, in medio Altmuhli & Nabi fluviorum decurrentes, in Danubium se exonerant. *Sultza.* Sultza è stagno *Mos-weicher* prope Neoforum oritur, quam Altmuhlo fluvio, Eichstadio descendenti junctam, Danubius juxta Kelnheim absorbet.

Novoforum. Neoforum vel Novoforum, hujus tractus caput, est urbs amœnissima planitie ad stagnum *Mos-weicher* sita, non tam splendida amplaque Principum arce condecorata, quam Gymnasio, quod sub Electorum Palatinorum imperio ibidem semper floruit, sed à Bavaro postea sublatum. Hæc civitas licet in Imperii Matricula non reperiatur, neque locum vel votum in Comitiis habeat, Regalia tamen & Immunitates ab antiquis Imperatoribus & Regibus, præcipue à Carolo V, in Comitiis Wormatiensibus anno 1521 accepisse, Imperii Registra satis ostendunt; ideo & Aquilam Imperialem simplicem, & non bicipitem pro insignibus habet. Ultimi belli injuriis multa est perpessa, cunctisque bonis suis exhausta: primò enim cum totus Superior Palatinatus à Bavaro invaderetur, cum reliquis & hæc urbs in manus ejus pervenit; quam Sueci anno 1632 occupatam usque ad annum 1634 tenuerunt, ubi accepta prope Nordlingam clade, eam Bavaro iterum capiendam permiserunt, à quo in hunc usque diem detinetur. Hæc urbs sesqui milliari à Cœnobio *Gnadenberg* distare censetur, juxta regiam viam sita, qua Herbipoli, sive Wurtzburgo & Norimberga Ratisbonam itur. Norimbergâ Altorffium tria numerantur milliaria, hinc Gnadenbergum, dimidium, à quo Novoforum sesqui milliari dissitum est, quæ jun-



TERRITORII
NOVOFORENSIS
IN SVPERIORE PALATINATU
ACCURATA DESCRIPTIO
Auctore
Nicolas Rittershusio D.
Milliaria Germanica communia
Septentrio
Meridies
Oriens
Occidens
TERRITORIVM NORIMBER
GENSE
Nurnburg
Altdorf
Newenmarck
STIFFT CASTEL
Berching
Freystatt
Rotenacker
Berngaw
WOLFSTEIN
SVLTZBVRG
HERRSCHAFT LVTZMANSTEIN
HERRSCHAFT FELBVRG
Amgt HOLENSTEIN sampt dem schloss
Marckgrafische Wildt Zaun

Kastell cœnobium.

junctim 5 milliaria constituunt. Kastell cœnobium, præclara olim fuit Abbatia, anno 1098 fundata, de qua Lazii lib. 7. de Migrationibus Germanorum; & Bruchii Chronologia Monasteriorum Germaniæ consulantur. In hoc Monasterio multa occurrunt notatu digna, inter quæ Seifriedi Schweppermanni, fortissimi Herois effigies & epitaphium in circuitu eminet, quod sic sonat:

Jederman ein Ey /
Dem frommen Schweppermann zwey.

Quod Latine in hunc sensum verti posset:

Vnum exercitui toti præbeto viritim;
Sed Schweppermanno duo nos concedimus ova.

Cujus historiæ Michaël Hebrerus in Ægyptiacæ suæ servitutis descriptione meminit. Huic Monasterio vicinus est fons quidam, cujus aquæ salis petræ saporem exhibent, qui cum fluvio Lauternach, cui se associat, Vilzio conjungitur. Ad Occidentale Novifori latus *Freystätlein* ad Schwalam & Schwarzam situm est, quod Suecicus Capitaneus Tupadel anno 1632, mense Iulio superavit, spoliavit, flammisque misere diripuit. Pagus *Deining* unius milliaris spacio Novoforo abest, transitum præbens iis, qui Ratisbonam proficiscuntur: sequitur Pagus *Teszwang*, urbs *Helmaw*, arx & pagus *Eretzhausen*, quæ singula loca duorum milliarium intervallo ab invicem distant: dimidio milliari abest Ratisbona, quo curru vel navi per Nabum descenditur. Milliaria ergo Norimbergâ Novoforum numerantur quinque, hinc Ratisbonam octo: totumque iter Norimberga Ratisbonam tredecim leucas conficit.

Freystätlein.

Iter Norimbergâ Ratisbonam.

Incolæ.

Tractum hunc cum Superiori Palatinatu confinibusque regionibus Suevi Narisci, Naristi vel Naristæ dicti, olim incoluere: his successerunt Norici, qui vel à Romanis, quod Pirckheimerus vult, vel, juxta aliorum & verisimiliorem opinionem, ab Hunnis sedibus suis pulsi, hanc regionem invaserunt, & à se Noricam vel Nordgow cognominarunt. Complectitur vero Nordgow vel Norica urbes, Norimbergam cum subjecto territorio, Ambergam, Novoforum, Chamb, cum aliis Superioris Palatinatus locis: districtum quoque Egrensem, Ellenbogensem, Parenth, Creussen, quæque ad Culmbacensem Marggraviatum spectant, Abbatiam Aichstatensem, Rempublicam Stattweydensem, Sulzbacensem & Hippolsteinensem ditionem, Landgraviatumque Leuchtenbergensem. Mons à pinis (*der Fichtelberg*) dictus, cujus ambitus est sex milliarium, in hac Nordgovia valde celebratur, à quo quatuor insigniores fluvii, Nabus sc. qui Danubio, Mœnus qui Rheno, Sala & Egra, qui Albi excipiuntur, ortum suum ducunt. Quicquid territorii Palatini Electoris olim fuit, hodieque Bavariæ Duci paret, à Norimbergensium imperio Egram usque excurrens, hoc totum Palatinatus Superior, ab aliis verò *Vetus Bavaria* vocatur. Sed Marquardus Freherus part. 2 Orig. Palat. cap. 4. Superiorem hunc Palatinatum Sueviæ potius quam Bavariæ annumerat, dicens: Has terras Cunradini, ultimi Suevorum Ducis, è Sorore Ludovici & Henrici Palatinorum Principum prognati dono, ad Palatinos fuisse devolutas; quam donationem Imperator Rudolphus I, accedente Electorum suffragio confirmarit. Videsis & ejusdem Freheri Epistolam 2 ad D. Gewoldum. Ludovicus IV Imperator, Dux Bavariæ, Ambergensem ditionem, Sultzbachum & Hippolsteinum cum subjectis locis Palatino Rheni, cognato suo concessit, quod Andreas Ratisbonensis attestatur: hanc divisionem præfatus Freherus uberius pertractat.

Nordgow.

SVPE-

SVPERIORIS SAXONIÆ CIRCVLVS.

Termini Saxoniæ priscæ.



SAxones in Germania agnoſcit Ptolemæus, ſed illic terminos eorum anguſtiores facit. Poſtea vero multum crevit eorum ditio, ut quæ ad Septentrionem mari Balthico & Oceano; ad Auſtrum Hercynio ſaltu concluſa fuerit: ad Ortum habuit Albim fluvium, ad Occaſum Rhenum. Conſtat tamen, etiam ultra Albim Saxones multum terræ poſſediſſe, imò verò ab Albi per littora maris Balthici, uſque in Pruſſiam exſtructis claris urbibus omnia tenuiſſe. Pulſis Chaucis, Bructeris, populisque omnibus inter Albim & Rhenum ſitis, Saxones oram omnem littoris Germanici inſedere, cum Oſtophalia & Weſtphalia, tentata etiam Gallia, in qua littus Saxonicum agnoſcit Notitia Imperii; & occupata Inſulæ Britannicæ parte: ob quam rem Saxones Occidentales, apud poſterioris ævi ſcriptores pro Anglis, Orientales pro Germaniæ populis ſæpenumero ponuntur, manetque hodie ſermonis quoque cognatio. Nunc tam late non patet. Antiqua ſiquidem Saxonia inter Albim & Rhenum fluvios, mare Germanicum, & Eydoram amnem uſque ad Haſſiam & Thuringiam extendebatur, eratque ejus centrum Brunſwicum. Itaque Weſtphalia, Marchia vetus, Miſnia, Luſatia, Mansfeldia, aliæque complures Saxoniæ nomine vocabantur. Hodie non ita naturalibus limitibus, quales ſunt flumina & montes, ſed ſecundum Principum dominia & imperia terminatur. Poſt Imperii diviſionem in Circulos aliter hæ ditiones diſtributæ, quippe in duos Saxonia diſtincta fuit, Superiorem ſcilicet & Inferiorem: in Superiori equidem ſui nominis Ducatum habet peculiarem, cujus Dux eſt ex ſeptem Electoribus.

Saxonia duplex.

Hic Superioris Saxoniæ Circulus in ordine eſt octavus, & tribus conſtat Ordinibus, quorum primus eſt Epiſcoporum, Miſnenſis ſcilicet, Merſpurgenſis, Naumburgenſis, Brandeburgenſis, Haverburgenſis, Lubuſenſis & Caminenſis; Abbatum vero Salfeldt, Rotterhauſen, Walckenried; & Abbatiſſarum Quedelnburg & Genrode. Secundus ordo eſt Principum ſæcularium, in quo ſunt, Dux Saxoniæ Elector, Marchio Brandenburgenſis Elector, Dux Pomeraniæ, Princeps Anhaltinus, Comites Schwartzenburg, Mansfeld, Stelburg, Hogenſtein, Buchlingen, Rappin, Mullingen, Gleiche, Leiſneck, Windenfels; Domini de Plawen, de Gratz, & de Schonburg. Tertius ordo eſt civitatum liberarum, ut ſunt, Dantiſcum, Elbinga aliæque. Ad Inferiorem Saxoniam referuntur Ducatus Lauwenburgenſis, Luneburgenſis, Brunſwicenſis, Mechelenburgenſis, ut & Holſatiæ Ducatus; Archiepiſcopatus Magdeburgenſis, & Bremenſis; Epiſcopatus Hildeshemienſis, Lubecenſis, Halberſtadienſis, Suerinenſis & Ratzeburgenſis, cum urbibus Imperii Lubeca, Hamburgo, Mulhuſia, Northuſia & Goſlaria.



SAXONIA SVPERIOR, CVM LVSATIA ET MISNIA.
Milliaria Germanica communia
Crossen Ducatus
Manßfeldiæ comitatus pars
MISNIA
VOITLANDIA
LVSATIA Inferior
LVSATIA Superior
SILESIÆ PARS
BOHEMIÆ PARS
Occidens
Oriens

23.

MARCHIONATVS MISNIÆ.

Termini.



Isnia S. R. I. Marchionatus non exigua sui parte Sudetis montibus cincta, ab Oriente Lusatiam, à Meridie Bohemiam, ab Occidente Thuringiam & Saxoniam Septentrionem versus respicit.

Divisio.

Misnia hodie omnis in duas divisa est partes, quarum una, quæ à decliviore, quem nacta est, situ Inferior dicitur, in duos se tractus scindit: Orientalem, & eum, quem Misniam veteres solùm appellarunt. Orientalis Pleissensem tractum complexus, *Libonothriæ* olim ac *Osterlandiæ* appellatione claruit. Alter ad Lusatiæ fines ultra Albim procurrens, hac ex parte Muldam recipit, quæ, plures supra Grimam secum amnes raptans, paulo infra Dessaviam flexuoso meatu in Albim se effundit. Superior ad *Sudetos* montes (à Germanica voce *Sudöden*, quasi dicas Eremum Australem, sic nominatos) exporrigitur, quorum cacumen exsuperans agrorum, collium, nemorum, convallium spatia haud exigua occupat, urbibus, pagis, oppidis frequenter convestita. Inferior, quæ campestris utplurimum & plana est, quemadmodum agrorum ubertate, urbium populique frequentia, navigatione fluminum, piscatu, hortorum amœnitate, vitiferis collibus ac negotiatorum commerciis præstat: Ita Superior pascuis, lignorum, metallorum, ferarumque copia longe illam antecellit. Vtramque *Hermunduri* habitant, qui hodie Misnenses & Voitlandi. Hermundurorum appellatio à Germanico *Heermänner* defluxit, ac si viros militares dicas, seu bellicosos. Regio ipsa à Misna oppido appellationem sortita est, quod à Misa fluviolo, qui Misnam præterlabitur, nuncupatum fuisse, plurimi eruditorum demonstrant.

Qualitas.

Regio omni frugum genere fœcunda, vini & mellis ferax, nec non plurimis variorum metallorum, imprimis argenti, venis referta est: prata habet virenti gramine obducta, quæque omnis generis pecudum gregibus corpora pinguedine distentant. Aëre fruitur paululum clementiori ac Saxonia, & valde salubri.

Vrbes.

Vrbes præcipuas habet Misnam, Dresdam, & Lipsiam. *Misna* Meridiem versus habet Tubiscum torrentem, à Septentrione rivulum Misnam. Tres autem habet Misna in uno monte arces, unam Principis, alteram Episcopi, tertiam Burggravii. Pons saxeus altissimus montes duos inter se committit: estque is templis ac turribus ad Albim sitis multo eminentior. Per eum itur ex monte Afræ in arcem Episcopi, patetque prospectus ex eo in urbem subjectam, in colles circumfusos, in hortos, in vineta. Arx Principalis inchoata est ab Ernesto, perfecta vero & absoluta ex opulentia metallorum Annæbergensium ab Alberto Saxoniæ Duce, anno Christi 1471. Episcopatum ibi constituit Otto Magnus, liberum, & à reliquorum Germaniæ Metropolitanorum inspectione immunem, soli subjectum Pontifici Romano. Vrbs ipsa sparsa varie, alibi planitiem habet & valles, alibi in colles montesque adsurgit. Ad Occasum sunt excelsi montes, ad Septentrionem rivulus Misena, qui ad Schlosburgum montem in majorem amnem sese exonerat: ad Austrum est Tubiscus, ad Ortum Albis; qui ponte sternitur ligneo, tam artificioso, ut similem neque Romanum habeat Imperium, neque regiones exteræ. Extra urbem sunt metalli fodinæ in montibus. Primo ab urbe lapide occurrit Scharffenbergum, unde argentum & plumbum effoditur. Fribergum versus fuisse etiam fodinas, testantur altissimi specus. Multa vero passa est urbs ista ab hostium incursionibus. Anno 1015 obsessa est à Mescone filio Boleslai Polonorum Ducis, absentibus Marchionibus Misniæ Guntero & Eccardo II, qui tunc in castris Imperatoris militabant. Tentata est tunc expugnatio summo labore, præsertim ad vicum Wasserburgicum. Ferunt injectum ignem in tabulata, quum jam erupisset, & vicina loca depasceret, à mulieribus restinctum, affuso loco aquæ mulso. Quum autem videret Mesico se nihil posse obtinere, ob civium in suos Principes fidem, constantiam & fortitudinem, & militum suorum clades, quodque Albis crebris tunc imbribus crescens, difficilem in castris mansionem faceret, discessit re infecta. Hujus tam opportunæ liberationis memoria publico festo celebrari solita est, mulieribus in domum Consulis convenientibus, & cum pompa inde in templum ad gratias Deo Liberatori ac Sospitatori agendas, urbisque custodiam ipsi commendandam, procedentibus. Anno 1067 venit urbs in manus Henrici IV Imperatoris, traditaque est ab eo Vratislao Duci Bohemorum: sed anno 1076 recuperavit eam Ecbertus II Thuringiæ Marchio, mansitque ex eo tempore semper in potestate Marchionum Misniæ.

Lipsia.

Lipsia ad trium amnium conflugem, Plisnæ, Elystri & Pardæ sita, emporium est haud admodum grande, sed peropportunum mercimoniis, & omnium ad vitam necessariarum rerum copia abundans. Commendant illud prata, horti, muri, fossæ, turres, curia, castrum, templa duo, scholæ particulares duæ, Academia, Iudicium Provinciale, mercatus annui tres, depositio mercium, atque imprimis optimorum civium humanitas & fides. Monasterium Canonicorum regu-

regularium fundavit Theodoricus Marchio Misniæ, anno 1218. B. Thomæ monasterium confirmatum est ab Adolpho Imperatore anno Christi 1294. Cœnobium Vestalium extra portam Peninam fuit: Bernardinum Cistercienstium in Prulio. Tria quoque castella, quæ mœniorum ambitu inclusa fuerant, conversa sunt in sacros usus à Ludovico. Vnum ad portam Grimensem cessit Dominicanis, qui templum illic B. Paulo condiderunt. Alterum illud est quod vocatur castrum Plissenburgicum. Tertium fuit in vico Franciscanorum, qui & ipsi templum magnificum eo loco exstruxere. Quumque hactenus triangularis fuisset urbs, rectis lineis à porta Penina ad Ranstetensem, atque inde ad Grimensem, facta est quadrata, incluso Prulio vico. Anno 1263 Theodoricus Marchio de Lansbergo donavit cives autonomiâ, ut à Præside citati non teneantur comparere, sed de suo jure possint apud Prætorem urbanum contendere. Circa annum 1420 cœpere Scabini Lipsienses lites publice decidere. Collegium autem illud ab Augusto Saxoniæ Duce & Electore ita ordinatum est, ut Præses unus sit, Assessores sex, è quibus tres sunt Iureconsulti, totidem Senatores, cum uno Actuario. Anno 1488 institutum est Lipsiæ ab Alberto Saxoniæ Duce judicium Provinciale, quod etiam ita ab Augusto ordinatum est, ut in eo unus sit ex Equestri ordine judex primarius sive Præses, tres nobiles Assessores, totidemque Iurisconsulti. Tum ordinarii Advocati quatuor ad causas ordinandas, & ad caussas amice componendas Nobiles duo, cum totidem Iurisconsultis. Nundinæ Lipsienses à Maximiliano I Imperatore anno 1467 & 1469 confirmatæ sunt, & ita constitutæ, ut quotannis vere, autumno, & kal. Ianuarii in omne tempus celebrari ac frequentari possint, nec fas sit similes in Halberstadiana vel Misnienſi, vel Merceburgensi diœcesi ad quindecim milliaria indicere. Academia Lipsica ortum habuit ex Pragensi, sub Friderico Electore Saxoniæ anno 1409, concessis ei duobus Collegiis, uno majore in equestri vico, altero minore in vico B. Petri. Distinctæ quoque sunt nationes, in Misnensem, Bavaricam, Saxonicam, & Polonicam. Ioannes XXIII Papa Canonicatus sex Academiæ dedit, duos ex Misnensi Episcopatu, duos ex Mersubergico, singulos ex Numburgensi & Cicensi. Principes quoque pagos tres contulerunt, Cozschinam, Mercovicium, & Hoheheidam. Sub Henrico Duce mutatio facta est Ecclesiæ. Sub Mauritio ingens ad Academiam bonorum accessio. Concessi pagi quinque, evocati Professores, Ioachimus Camerarius, Ioannes Rheticus, aliique. Anno 1517 obsessa est per dies 14 Lipsia à Ioanne Friderico, qui regionem suam, licet proscriptus, conatus est Mauritio eripere, sed ob gelu soluta est obsidio. Curia sumptuose exstructa est anno 1556, cum tabernis mercatorum, & libra, supra quam aula ingens ad honestiorum civium convivia. Castrum ad Plisnam ædificare cœpit Mauritius, absolvit Augustus. Anno 1595 Rector Vniversitatis designatus est Vdalricus, Slesvvici & Holsatiæ Dux. Anno 1602 Philippus Iulius, Stetini & Pomeraniæ Dux. Biennio post Adolphus Fredericus, Dux Megapolensis.

Dresda. *Dresda* propter Albim, supra Misnam sita est, vetus & nova, quæ ponte committuntur. Illa ad Lusatiam, hæc ad Misniam spectat. Illa Slavorum opus, qui ante Henricum Aucupem ad Albim incoluere: hæc post Hunnorum irruptionem fuit veteris Dresdæ colonia. Sed hanc Imperator Misnensi Ecclesiæ dedit. Adolphus Nassovius, qui ære magno Thuringiam emerat, adflixit Misniam: venerunt autem tunc in ejus potestatem Friberga, Dresda, Misnia. Anno 1303 Dresda cessit Regibus Bohemiæ, quod eam Wenceslaus ab Alberto Misnensi Præside emisset: non multo tamen post rediit ad Henricum Marchionem: qui numeratis mille sexaginta marcis à Misnensi Episcopo Witigone eam redemit. Ex eo crevit urbs. Pons ædificari cœpit anno 1070, estque decennio post consummatus. Omnium is totius Germaniæ pontium est elegantissimus & firmissimus, ut qui passus 800, vel cubitos nongentos, fornices vero sive arcus habeat viginti quatuor, de quibus tamen quatuor propter arcis ampliationem decessererunt. Pragensis hoc est minor. Sunt qui ejus initium referant ad Ottonem Divitem, qui ex reditibus argentifodinarum Fribergensium eum cœperit exstruere sub annum MCLXXV. Iidem perfectum ajunt tempore Henrici Illustris anno 1222. Inter hujus urbis memorabilia jam dictus pons est, ad cujus finem in sinistra fluvii ripa Arx est, qua in tota Germania nulla splendidior, aut spectatu dignior, munimentis compluribus in justæ obsidionis impetum firmata, è cujus medio eximiæ magnitudinis turris se elevat, & magnum eidem decus addit: digna certe tanto Electore sedes. In uno areæ, quæ in arce est, latere plurima fera animalia asservantur, ut Leones, Tigres, Leopardi, Pantheræ, Vrsi; & alia, quæ aliquando commissa gratam spectantibus pugnam exhibent. Præterea excellens illud armamentarium, omnibus armorum & instrumentorum bellicorum apparatibus instructissimum, non minorem in peregrinis admirationem excitat, ac illa cimeliotheca, sive omnium vel naturæ vel artis miraculorum reconditorium. Nec minus sese spectatorum oculis ingerit magnificum templum S. Crucis, à Constantia Leopoldi Archiducis Austriæ filia, & Henrici Illustris uxore exstructa.

Oppida. Reliqua hujus Marchionatus oppida sunt: *Annæburgum*, olim *Schreckeburgum*, anno primùm 1500 à Georgio Duce Saxoniæ ædificatum, exinde multis privilegiis auctum; celebre est argentifodinis, & natalitiis eximii Poëtæ & Critici Gregorii Bersmanni, olim Rectoris & Professoris in Ill. Gymnasio Serbstensi Anhaltino: non longe hinc balnea sunt, multorum morborum medela certissima. *Belgradum Misnicum*, olim non exigui nominis oppidum, multis bellorum vicissitudinibus diminutum est. *Bischofswerda*, olim ignobilis vicus *Werta* dictus, à Bennone Episcopo in oppidi formam restaurata est: nuperis bellis bis à Suecis captus, & direptus est, & plurimi ex civibus ferro interempti sunt. *Chemnicium*, satis notum & ad sui nominis fluvium


MISNIA
MARCHIONATVS.
Meissen.
Milliaria Germanica communia.
1 2 3 4
Jo: Blaeu Excu.
Septentrio
Occidens
Oriens
HASSENSIS
EPISCOPATUS PARS.
SAXONIÆ SVPERIORIS PARS.
LVSATIÆ SVPERIORIS PARS.
THVRINGIÆ PARS
VOIGHTLANDIÆ PARS
BOHEMIÆ PARS
Meissen
Dresden
Leyptzig
Hall
Prage
Weimar
Torgaw

situm est, multos quoque belli casus expertum, & sæpius hinc & inde occupatum, tandem ab Electore anno 1644, per quatuor septimanas obsessum & expugnatum est. Adjacet urbi Arx *Augustiburgum*, quæ tanto studio & tantis impensis ab Electore Augusto exstructa est, ut parem excepta Dresdana in Saxonia non invenias. *Colditz* ad Muldam fluvium cum pulchra arce situm, anno 1643 à Suecis direptum est. *Crimnitsch* oppidulum ad Leyssam situm sub ditione Arcis *Schweinburg*, quæ medium circiter milliare illo distat. *Delitium*, caligis, quas in vicinas oras incolæ avehunt, ibidem confectis, & cerevisia, *der Kühescbwantz*, celebre. *Dobel*, quod *Sumen Misniæ* nonnulli appellare solent, ob armentorum greges & terræ fertilitatem, quæ illic summa. *Eilenberga* oppidum cum arce, cui propinquum vetus illud castellum *Grunna*. *Frawenstein* oppidulum, cui excelsa arx imminet, ad Sudetes montes situm. *Friberga* oppidum metallicum non parvi momenti, & populosum; quippe quod ultra centum metalli fodinas circumcirca habeat. Inter cætera templum excellit, in quo suggestum mira arte ex lapide excisum, lilii formam repræsentans: in hoc quoque Electorum sepultura cum monumento ex vario marmore multis imaginibus & statuis ornato invenitur. Arcem Elector Augustus reædificavit, & multis structuris auxit & ornavit. Anno 1639 & 1642 à Suecis plurima cum suorum clade frustra tentatum, & virtute Georgii Hermanni à Schweinitz egregie defensum est. *Grimma* Muldæ adjacet, arcem olim habens, quam Sueci solo æquavere, cum jam antea ab iisdem oppidum direptum fuisset. *Hayna* ad Rederam fluvium, modicum oppidum, tribus milliaribus Dresda distat. *Konigsteyn*, cum inexpugnabili in rupe sita arce, oppidum; arcem illam Augustus exstruxerat, quam Christianus I, ejusdem filius, adjectis munimentis valde auxit, & invictam reddidit. *Leisnicium*, Muldæ adjacet, olim Burggraviatu celebre, cujus modo ante Henrici I, Imp. tempora mentio fit; à Suecis direptum est aliquoties. *Lutzen*, parvum cum pulchra arce oppidulum, famam meruit memorabili illo inter Suecos & Cæsarianos prælio, ubi Rex Suecorum Adolphus, & Papenhemius Cæsarianorum alterum caput, vitam finierunt; & Wallensteinius in fugam conjectus est. *Mariæburgum* recenter ad annum Christi 1519 ab Henrico Duce Saxoniæ exstrui ceptum. *Muhlberga* oppidulum ad Albim fluvium cum arce, famosum clade Ioannis Friderici Electoris, qui prope hoc oppidum in prælio à Cæsaris Caroli V militibus captus est. *Pirna* oppidum anno 1639 à Suecis vi expugnatum, & incensum est, excepta arce *Sonnenstein*, in quam Præfectus cum multis militibus & civibus se contulerat. *Rochlitz* oppidum cum arce, olim suis Comitibus parens; bello Suecico aliquoties cum suo damno partes mutavit. *Schneeberga* prope Muldam in montanis situm oppidum, argentifodinis celebre, & aliquoties bello Suecico direptum est. *Weissenfels*, sive *Leucopetra*, olim Comitatu insigne oppidum, arcem habet in edito monte sitam, egregiis structuris ita adornatam, ut Ducali sedi conveniat. Aliquoties à Suecis oppidum direptum est. *Wurtzemium* oppidum 3 mill. Lipsia distat, olim Comitatus titulo gaudens, nunc funestis cladibus, & à Suecis immani ibi exercita atrocitate in aliquot direptionibus memorabile. *Zeitz*, sive *Cizium*, oppidum Episcopale, ad Elsteram fluvium situm est, in amœno & fructifero solo. Arx ultimis Germaniæ bellis omnibus munimentis nudata est. *Zwickaw*, sive *Cygnea*, in Voigtlandiæ & Misniæ confiniis ad Muldam situm oppidum, cujus fundamen aliqui ad Caroli Magni tempora referunt: quamquam mediocriter munitum fuerit, anno tamen 1639 in Suecorum potestatem venit, qui illud ad annum 1641 tenuere. Et hæc quidem de insignioribus oppidis; quippe reliquorum oppidulorum, quorum magnus numerus, nomina quoque recensere nimis operosum, & Lectori forte fastidiosum esset.

Fluvii. Fluvii Misniæ primarii sunt, *Albis*, *Elstera*, *Sala*, qui Misniam à Thuringia dividit, & Voitlandiam irrigans, Naumburgum & Merseburgum percurrens, Elsteræ se jungit; & *Mulda*, è Bohemia originem trahens. *Montes.* Regio Bohemiam versus *Sudetes* montes habet, ut & hic & illic præcipue Thuringiam versus sparsos alios, *der Hartzwald* dictos, quod densis sylvis obsiti sint.

Altenburg Ducatus. Est præterea in hoc Marchionatu Ducatus Altenburgicus, quem possident Duces Saxoniæ Altenburgici, filii Friderici Guilielmi, qui Christiani II, Electoris tutor, per aliquot annos Electoratum administravit. Situm est *Altenburgum* ad fluvium Pleissam, cujus & nomen olim tenuit, dictum *Pleissenburgum*, Comitatus tunc temporis & S. R. I. Burggraviatus. Plurimum hanc urbem exornat Arx & sedes Ducum, quæ amœnissimis cincta hortis, gratisque aquarum fontibus, sylvis, aliisque ad amœnitatem facientibus rebus, spectatorum oculos nunc huc, nunc illuc errantes circumducit. Vrbs ipsa nitidis distincta plateis, & egregiis tam publicis quam privatis ædificiis spectabilis, anno 1430 ab Hussitis tota incendio deleta est. Exinde reædificata anno 1632 à Cæsarianis occupata est, & insequentibus annis multis cladibus affecta.

Oppida. Subjacent huic multa oppida: *Burgel*, uno mill. Iena distans: *Camburg*, inter Naumburgum & Dornbergam situm; *Eysenberg* olim Comitatus, anno 1640 à Suecis occupatum; *Gräventhall* ad amnem Zepten; *Leuchtenburg*, primaria arx cum dominio ad Salam è regione oppiduli *Kale*, quod ad id dominium pertinet; *Lucka*, inter Altenburgum & Pegaviam situm oppidum, famosa Suevorum clade anno 1308, à Marchione Friderico illata celebre: unde natum proverbium: **Es geht dir/ wie den Schwaben für Lucca**: id est, *tecum agitur, sicut cum Suevis ante Luccam*. Bello Germanico sæpius partes mutavit. *Orlamunda* edito loco ad Salam sita, Comitatus olim fuit, & Comitum sedes, qui in arce, quæ nunc destructa, habitabant; *Peseneck*, ad Orlam situm; *Rosla* ad amnem Helmam; & *Schmöllen*, non longe Pleissa fluvio inter Werdam & Altenburgum.

TERRA ADVOCATORVM, SIVE VOYTLANDIA.

Nomen.



Erram Advocatorum olim Hermunduri, Suevorum, qui nunc ſunt, progenitores, tenebant. Regio hæc cum adjacentibus Miſnia, Moravia, aliisque à Philippo Imperatore ad annum 1207 in *Præfecturas* dividebatur, ut Sethus Calviſius in ſuo Opere Chronologico teſtatur. Hinc huic Terræ nomen: quippe *Voyt* Germanis idem quod Advocatus ſeu Prætor; & *Land* terram denotat. Germanicum hoc nomen, Latine exprimere deſiderans Æneas Sylvius, *Terram Advocatorum*, & *Prætorianam* appellavit: nec male, quum olim quatuor Prætoribus paruiſſe, ſcriptores affirment. Hiſce tandem, ſeneſcente Romano Imperio, ab Imperatoribus in tutelam data, addito ſucceſſorum jure, quo verius in hoſtes Imperii vigilarent. Inde à *Voytburgo*, præcipuo hujus regiunculæ oppido, quod Latine *Prætorium* voces, *Burggraviorum*, id eſt, Comitum Palatii nomen. Intervallo poſtea temporis devoluta Voitlandia ad Saxoniam, ab ea bis ad alios tranſiit, usque dum Adorf cum vicino oppido ad Domum Saxonicam rediret, quanquam Marchiones Brandenburgici oppidum Hoff cum quibuſdam aliis, & Domini de Reuſſen non exiguam Voytlandiæ partem ad ſe traxerint. Non prætermittendum vero eſt, hac in regione puriſſime linguam Germanicam pronunciari, nec ullibi tota Germania nitidiorem ejuſdem linguæ uſum inveniri.

Termini.

Terminatur Voytlandia ad Orientem & Meridiem Bohemiæ montibus; ad Septentrionem Miſnia, & Thuringia ad Occidentem. Regio multis montibus & ſylvis obſita eſt: frumenti tamen & fructuum feraciſſima: aëre gaudet ſalubri & temperato.

Vrbs. Plaven.

Caput & primaria Voigtlandiæ urbs eſt *Plaven*, ad Elſteram fluvium, uno tantum milliari Olſnitio diſſitum, ante nupera bella, ſatis pulchra, & inter primas Saxoniæ annumeranda. Dreſſerus nomen illi per alluſionem *Himmelsblau-thal* fuiſſe aſſerit, id eſt vallem cæruleam: celebritate quatuor annuarum nundinarum urbs valde claret; cui non parum decoris olim addebant Cathedralis S. Ioannis Eccleſia, caſtellum excelſo monti impoſitum, *Ratſchawer* dictum, quaſi dicas, Conſiliorum inſpector; Cœnobium Dominicanorum, Gymnaſium, & Domus Publica. Sed Bellis Germano-Suecicis hæc omnia in fumos abierunt, quædam fortuito, quædam ſuppoſito igne. Magna olim incolis commoda ex pannorum & velorum ibidem confectorum commutatione, & vicinas in oras exportatione proveniebant; quæ nunc fortaſſe reſpirantes à tanto bello incolæ, iterum perſequuntur.

Olſnicium.

Olſnicium ad Elſteram inter Adorf & Plaven ſitum, oppidum eſt Electorale, pertinens ad adjacentem arcem *Voytzburg*, jam memoratam; cujus originem ſunt qui ad Druſum referant; doctiores tamen Prætorum alicui eam adſcribunt. Bohemorum vicinitas oppido ſemper funeſta fuit: nec minus funeſtum erat illud incendium, quo anno 1519 totum, ſolis duabus ædibus exceptis, in favillas abiit. Anno quoque 1632 menſe Auguſto huc accedens Cæſarianorum Dux Holkius, vi captum Olſnicium diripuit, incendit & civium ſtrage replevit, ita ut Magdeburgenſis cladis quaſi exemplum eſſet.

Adorf.

Adorf oppidum Electorale eſt, tribus milliar. Egra diſtans, ſita ad viam, quæ Lipſiam ducit, non longe à fontibus Elſteræ. Prope hoc oppidum Hoſpitium eſt, quo Mercatores, qui ad Lipſienſes Nundinas pergunt, divertunt. Hic illis novitiis, qui iter illud nunquam ante fecerunt, liber offertur, cui nomen ſuum inſcribunt, expenſo in ſociorum reliquorum hilaritatem uno vel altero coronato. Anno 1632 Holkius hoc oppidum diripuit, in quo inſequenti anno peſtifera lue attactus obiit. Anno 1642 ab Erfordienſi Sueco Præſidio iterum direptum eſt.

Weida.

Weida oppidum cum arce ad Elſteram à rivulo Weida, qui oppidum ingreditur, nomen accepit; olim Comitatus, & dein Baronatus titulo inſigne. Atrocibus illis Germaniæ bellis plurimas ſacras, publicas & privatas ædes, partim incendio, partim vi deſtructas amiſit; quæ tamen nunc temporis fere omnes reſtauratæ ſunt.

Oppidula alia.

Reliqua oppidula ſunt: *Arnshaug*, cum arce, ad Orlam ſitum, El. Saxoniæ annumeratum: *Auma* ejuſdem ditionis; *Gera* inter Zicium & Plaven ad Elſteram ſitum, oppidum ante ultima bella non ſpernendum, & multis privatis ſacrisque ædificiis, Gymnaſio & arce ſpectabile, Reuſſios agnoſcit dominos; *Glauchavia*,


TERRA ADVOCATORVM
Vulgo
VOIGHTLAND.
Descripta ab Olao Ioannis Gotho
S.R.M. Sueciæ Geographo.
THVRINGIÆ
PARS.
MISNIÆ
PARS.
BOHEMIÆ
PARS.
Septentrio
Meridies
Occidens
Oriens
Amstelædami
J. Blaeu excudebat
Milliaria Germanica communia

25

munita arce celebre oppidulum, & parvum, Dominis à Schönburg paret, ultimis bellis valde divexatum; *Graitz* oppidulum ditionis Reussiorum à Plaven, arcem habens; *Lobenstein* ad Salam situm, Reussiorum est, vicinum habens in monte vetus & dilapsum castellum; *Neuenmarckt*, Schonbergiis subjectum est; *Pausa*, Electorale oppidulum; *Reichenbach* ejusdem ditionis oppidum, anno 1632 à Cæsarianis incendio exhaustum est; *Schletz* Reussiorum oppidulum cum arce; *Salburgum*, ad Salam situm, iisdem dominis accensetur; anno 1633 à Croatis male exceptum; *Tann* forum pecuarium habens, Reussios agnoscit; *Wildenfels* oppidum cum arce, uno milliari à Zwickavia distans, ejus obsidione satis innotuit; & *Ziegenruck*, oppidulum ad Salam, in confiniis Thuringiæ, Electorale.

Fluvii in Voigtlandia multi sunt: inter quos eminent, *Elstera*, *Sala*, *Mænus*, *Nabus* & *Egra*, ex Pinifero monte orti; & *Mulda*, è Bohemiæ montibus profluens. *Fluvii.*



THVRIN-

THVRINGIA.

Situs & termini.



HVRINGIÆ Landgraviatus omnium nobilissimus, inter Salam Visurgimque amnes protensus, familiæ Saxonicæ paret. Terminos habet Salam & Werram fluvios, Hercyniam silvam & Thuringensem saltum. Longitudo regionis latitudinem exæquat, & milliaribus duodecim describitur. Frugum leguminumque ferax mater, & imprimis herbæ istius, quam *Glastum* vocant, & Isatim, vulgo *Weedt* & *Pastel*, è qua cæruleum colorem lanæ imbibunt. Ex hac magnum quæstum faciunt incolæ. Olim Regem habuit, jam Landgraviatus titulo regitur. In hac regione Comitatus sunt XII, & totidem Abbatiæ, civitates CXLIV, & totidem oppidula, vulgo *Marcktflecken*, pagi bis mille, & CL arces. Fluminibus gaudet pluribus, *Sala*, *Werra*, *Vnstrut*, *Ilma*, *Gera*, *Or*, *Apfelstet*, *Helbe*, *Cling*. Silvis quoque conspersa est, quæ ex Hercyniis saltibus efflorescunt, inter quas spaciosissima est Thuringica silva, *Duringerwalt*. Quod de Campania Italiæ dici solet, de Thuringia dixit Georgius Agricola, eam esse sumen Germaniæ.

Imperium. *Flumina.* *Silvæ.*

Erfurdia. Caput regionis est *Erfurdia*, nobilis civitas, amœnissimo ad Ierram fluvium situ. Nomen habet ab Erffa arce pervetusta, septem inde milliaribus dissita, cujus olim dominus jus illic habuit telonii, haud procul Prulio. Inde fluxit fabula, molitorem quendam Erfum noctu suspendere solitum fuisse lucernam cum candela, ut ad eam, transituri flumen, iter dirigerent, ne eluvione in devia abriperentur: ita paulatim convenarum numero crescente factum pagum, qui Erffurdia dictus sit, quasi Erfes-furdia, hoc est, vadum Erffi molitoris. Atqui *furdum* proprie non vadum sonat, sed trajectum: & *Erffa* non molitoris obscuri nomen, sed arcis tota Thuringia vetustissimæ & notissimæ, cujus etiamnum supersunt parietes & domini. Sunt qui ejus primordia referant ad Arcadii & Honorii tempora. Etsi vero nunc inter primas Germaniæ sit, neque vel civium frequentia, vel opibus, vel amplitudine structuræ, vel murorum ambitu dicatur cedere Coloniæ Agrippinensi; tamen exigua ejus fuisse initia, verisimile est. Hoc constat, quo tempore Bonifacius Moguntiaci agebat, urbem fuisse, & quidem antiquam Paganorum. Ipse enim, postquam illic prædicando ad Christum multos convertisset, petiit à Zacharia Pontifice, ut aliquis illic constitueretur Episcopus. Verba ejus epistolæ hæc sunt: *Vnam esse sedem Episcopatus decrevimus in castello, quod dicitur Wirtzburg, & alteram in oppido quod nominatur Buriburg*, (puto legendum Nuriburg) *tertiam in loco, qui dicitur Erphesfurt, qui fuit olim paganorum.* Neque arbitror exstare vetustiorem hujus urbis memoriam. Idem cathedrale templum B. Mariæ exstruxit. Sunt qui existiment, monasterium B. Petri, quod in monte est, quodque monti nomen dedit, opus esse Regis Dagoberti. In ejusdem templi fastigio spectantur dracones duo saxo incisi, quorum alter diducto rictu infantem, alter adultiorem virum devoraturus videtur. quod opus extra controversiam Gothicæ structuræ est. Vtut sit, negari non potest, quin antiqua urbs sit, & ab initio paruerit Archiepiscopo Moguntino, à cujus potestate postea, crescente cum viribus libertate, se exemit. Manet tamen hoc reliquum, quod cives quotannis solemniter jurant, se jura domini sui Moguntini non imminuturos, sed fideliter ea defensuros. Muris cingi cœpit anno M CLXIII. Chorus templi Beatæ Virginis exstructus est anno M CCCLI, dicunturque in eum expensæ vicies mille marcæ argenti. Academia sub Wencеslao instituta est, anno M CCCXCII. Anno M CCCCXCVII fusa est grandis illa campana Erfurdiensis, quæ in æde B. Mariæ spectatur: ejus ambitus habet XIV cubitos cum sesqui quadrante.

Oppida. Alia hujus Landgraviatus oppida complura sunt, è quibus præcipua memorabimus. *Dornburg* modicum est cum pulchra arce oppidum, infra quod Sala aquas suas devehit, uno mill. Iena, duobus Naumburgo distans, Altenburgicæ Domui accensetur. *Eisfeldt* ad saltum Thuringicum situm oppidum, Werra fluvio in vetus & novum scinditur, quorum hoc edito colli impositum, turribusque & vallo cinctum, illud in planicie absque muris situm est: ante funesta Germaniæ bella elegantia & nitore excellens, postmodum sæpissime direptum & destructum, nihilominùs assidua civium vigilantia & labore reædificatum est. Eminet in hoc oppido ecclesia cathedralis unà cum magnitudinis eximiæ turri ex quadrato lapide exstructa. *Heringa* oppidum amni Helme adjacet, anno 1590 miserabili incendio totum in cineres redactum cum suburbiis, & arce, exceptis duobus molendinis & Xenotrophio. *Neapolis* ad *Orlam*, oppidum antea modicum, sed à Croatis direptum, deinde quoque incendio consumptum est. *Ordorf* ad Or amnem prope saltum Thuringicum jacet; anno 1248 à Walthero Schenkio à Largula in cineres redactum. *Orlamunda* ad confluentem Salæ & Orlæ Fl. sita, antiquissimi olim Comitatus Orlamundani caput fuisse perhibetur; ut & Comitum sedes, qui in arce jam diruta se detinebant. Nunc Altenburgicæ familiæ accensetur. *Sangerhausen* cum arce oppidum Mansfeldiam versus, fertili in solo situm, anno 1431 fortuito igne in cineres redactum, & anno 1641 à Suecis captum, qui tamen statim à Præsidio, quod in arcem se subduxerat, expulsi sunt. *Salfeld* oppidum ad Salam Altenburgicæ familiæ, ante bella Germaniæ, amœnum & cultum: olim tempore Imper. Othonis IV Hermannus Landgravius Hassiæ captum oppidum incendit, & funditus delere conatus fuit. Anno 1646 Dux Suecorum Löwenhaupt huc veniens, oppidum gravis-







HASSIÆ PARS.

BVCHONIÆ PARS.

Occidens

Oriens

SACHSEN.

MEISSEN

Fürstenthumb Anhalt.

Land zu Köten.

LIBONOTHIA TYRINGIA AVSTRALIS.

Osterland.

Voigtland.

Terra Advocatorum.

Erdfurd

Ampt Gotha.

Ampt Eisennach.

Ampt Kamberg.

Ampt Freiburg.

Stifft Naumburg

Weissenfels weiland eine Graffschafft.

Ampt Langen Saltza.

Herschafft Tonna.

Ampt Weissensee.

Ampt Sachsenburg.

Ampt Beringen

Ampt Kelbra.

Mansfeld Comitatus.

Ampt Mansfeld

Die Herschaft Querfurt.

Ampt Eckartsberge.

Ampt Dornburg.

Ampt Iena.

Ampt Burgel.

Ampt Roda.

Kirchberg Burggraffschafft

Eisenberg etwa eine Graffschafft

Herschafft Planckenhain

Weimar

Herschafft Remda

Ampt Ilm

Schwarzburg Comitatus.

Ampt vnd Stifft Salfeld.

Herschafft Arnstet

Gleichen Comit.

Ampt Mülberg

Ampt Reinhardsbrunn

Ampt Tenneberg

Ampt Krajenberg.

Ampt Creutzberg.

Hersch. Trefurt

In der Vogtei

Der Stadt Mülhausen Gebiet

Ampt Tammesbrucken

Ampt Herbsleben

Der Stadt Erfurd Gebiet

Thüringer Wald

Fvrstliche Graffschaft Henneberg.

Sylva Semana

Hohnstein Comitatus.

Herschafft Klettenberg.

Auff dem Eichsfelde.

Ampt Lora

Herschafft Lora.

Ampt Straussberg

Sundershausen Herschafft

Ampt Franckenhausen.

Herschaft Heldrungen

Stifft Merseburg

Hall

Wetin Stifft

Erbstifft Hall

Im Thal

Vockstet Hersch.

graviſſimè afflixit. *Saltza* oppidum Electorale duobus mill. Mulhuſio, quatuor verò mill. Erfurdia diſtans, nomen à Saltza Fl. accipit, anno 1632 à Papenhemii militibus direptum, & à Fridlandicis eodem anno ſuburbiis nudatum eſt. *Sundershauſen*, oppidulum, cui annexa arx, ad Wippram, Comitum Swartzburgenſium: ubi idolum ethnicum aſſervatur magnitudine annorum octo puerum exæquans, ex metallo fuſum & intus concavum, tantæ duritiei, ut vix multo labore fragmentum aliquod malleis ex eo deſcindi queat, quod nullo alio poſtea metallo ei annecti & conglutinari poteſt. *Tennſtad* ad rivum Seltenlein, Electorale oppidum, anno 1632 à Papenhemii militibus direptum eſt, ut & anno 1641, à 400 Cæſarianis Equitibus. *Tonna* duplex eſt in Thuringia, quarum altera *Burgi-Tonna*, altera *Comitiſſæ-Tonna* dicta: illa Commendatariam Ord. Teutonici habet, hæc arcem, quæ cum oppido 1631 à Tilliacis direpta eſt. *Weiſſenſee* oppidum bina templa, & arcem habens Fl. Helbæ adjacet: nomen illi à lacu, qui non longe diſtat, adeo profundo, ut fundus in eo non inveniatur. *Wiehe*, oppidulum arce inſigne, è regione arcis Wendelſtein, olim Heldrungiorum fuit; anno 1609 totum in favillas fortuito incendio redactum eſt.

Continet præter hæc Thuringia plurimos Ducatus, Comitatus, Epiſcopatus, Abbatias, Cœnobia & Caſtella; ex quibus quædam carpemus, quædam minus celebria relinquemus.

WIMARIENSIS DVCATVS.

Offert ſe primùm *Ducatus Wimarienſis*, ſeu *Vinarienſis*, cujus caput *Wimaria*.

Wimaria. *Wimaria*, Prinipum Saxoniæ Landgraviorum Thuringæ domicilium, ad lævam Ilmi ripam, medio fere itinere inter Erffurdiam & Ienam. Nomen habet à vino, cujus copiam Iena huc mercatores advehere ſoliti ſunt. Quamobrem etiam quibuſdam Vinaria dicitur. Ea fuit initio Comitatenſis, poſtea tamen ceſſit Ducibus Saxoniæ, quorum hodie Palatium magnificum ex ſaxo quadrato ad normam cæſo in urbe ſpectatur, interlabente amne diſcretum à pomario & horto elegantiſſimo. Inſigne Comitatus Wimarienſis eſt Leo niger erectus in campo luteo cum corona rubra in capite, & foliis roſæ rubris in clypeo circa leonem diſperſis. Eſt autem operæ pretium ſcire, quomodo Hermannus Wimarienſis Comes ultimus à Friderico Thuringiæ Landgravio victus, boniſque omnibus exutus ſit. Anno 1342 fertur Hermannus Comes epulum Erfurdiæ inſtituiſſe in aula Wimarienſi, quæ tunc illic publico loco erat. Forte autem Fridericum Lantgravium Thuringiæ conſpicatus è feneſtra Hermannus prætereuntem, paucis ſtipatum, ſine ornatu & pompa honoratiore, per ignominiam compellavit, dicens: Quorſum abis *Fritz*? Et poſtea, Abi *Fritz*, quæ quidem voces ad pueros & viliores ſervos adhiberi ſolent. Non tulit contemtum iſtum generoſus Principis animus, qui pro verbis & geſtis repoſiturus vindictam graviorem, juravit, acerbam ſibi vitam fore, niſi Comitem illum eò adduxiſſet, ut ipſum cogeretur ſuperiorem ſuum agnoſcere, atque etiam dominum compellare. Mox ergo Erffurdienſes ſibi junxit ſocios adverſus Hermannum, qui jam Swartzenburgicum Comitem ſibi ſocium adjunxerat. Poſt varios & ancipites caſus hic tandem ejus belli eventus fuit, ut capti Comites Wimarienſis & Swartzenburgicus venirent in Lantgravii poteſtatem: qui cum altero quidem egit benignius, Hermannum vero coëgit deſerto Comitatu Wimarienſi jura omnia reſignare in Lantgravios, cum urbibus, arcibus, & agris. Ex eo Wimaria ſemper fuit in victoris ejuſque poſterorum poteſtate. Anno 1613, die 29 Maij, ingens Thuringiæ incubuit tempeſtas, quæ tantam inter tonitrua & fulgura profudit pluviarum grandinumque copiam, ut ad quindecim milliaria Erffordiam Mulhuſiumque verſus ſegetes omnes in agris perdiderit. Sed imprimis obfuit ea Wimariæ. Hujus enim fluvius in tantum ſubito excrevit, ut exundatione facta vicina omnia abripuerit, nitrati pulveris molam, pontem ſaxeum, viridarium Principis, balneum ſtanni cupro coopertum, carnarium, telonium, aliaque ædificia publica, tum ornithotrophia, quibus gallinæ Indicæ ad Principis menſam ſaginabantur, cum mola gemmaria, in qua jaſpis ad tumulum & Epitaphium defuncti Principis Iohannis poliebatur, & propugnaculum arcis, aliaque ædificia disjecerit ac diſturbarit. Perierunt eo tempore hauſti undis Wimariæ equi Principis 25, nec non alia plura animalia. In urbe homines 65. In vicinis quoque pagis permulti. Eriſdorffii disjectæ domus 10, merſi homines quindecim. Difurti domus 9, cum totidem hominibus. Crumſdorffium totum diſſipatum, cum hominibus & pecore omni, ſola excepta domo parochi, & ædificio nobilium. Sultzæ ædificia 25, homines viginti. Roſſæ ovile publicum cum ovibus mille. Wartſtetti domus 10, homines 25. Oberſettæ domus 44, homines 23. Probernæ, Stottelſtettæ, Matſtettæ, Brumbachii, aliiſque locis ſimiliter. Atque hæc omnia inter horam veſpertinam ſeptimam & tertiam noctis.

Iena. Poſſident quoque Wimarienſes Duces *Ienam*, oppidum celebre, poſtquam à Ioanne Frederico conſtituta illic bonarum artium & Sapientiæ Schola. Nomen unde habeat ignoratur. Sunt qui ex Hebræa voce *Iain*, quæ vinum ſonat, ejus originem petant. Eſt enim ad illam ingens vini proventus: cujus copia, ut ſupra dictum, Wimariam ſingulis ſeptimanis evehi ſolet. Alii à Iano Ienam dici maluerunt. Sed hæc incerta & vana. Vrbs in valle ſita eſt, muris & turribus munita: pons lapideus fluminis ripas jungit. Creviſſe urbem per incrementa, apparet ex murorum ambitu. Monaſterium Prædicatorii ordinis à Dominis de Leuchtenburch fundatum eſt anno Domini 1286, auctum vero & locupletatum liberali donatione potentiorum. Contulit quoque bonam partem Albertus Thuringiæ Lantgravius & Saxoniæ Palatinus. Confirmavit tandem Fridericus Lantgravius Thuringiæ & Marchio Miſniæ atque Oſtlandiæ. Academia Ienenſis ſolemniter introducta eſt anno 1555, die 25. Ianuar. inſigni munificentia Ducum Saxoniæ Ioannis Friderici

rici & Ioannis Guilielmi. In ea aliquando docuit Iustus Lipsius, & funebri oratione Duci Saxoniæ parentavit. Non est quidem nunc eadem ejus Scholæ, quæ olim fuit, celebritas; habet tamen & viros eruditos, & copiam studiosorum satis frequentem.

Gotha. Nec prætereunda *Gotha*, cui nomen à Gothis, qui sexies Italiam, ex penitissimis ad mare Germanicum oris profecti, ingressi sunt, relictis fere quacunque iter faciebant, monumentis suæ profectionis. Ergo ut *Gothingam* habet Saxonia, sic *Gotham*, *Gothleben*, *Altengothen* habet Thuringia. Est autem Gotha ad Linam fluvium, qui olim eam alluit, nunc perlabitur. Oppidi faciem ex pago sumsit circa annum 964, opera potissimum Guilielmi Archiepiscopi Moguntiacensis. Templum B. Augustini fundatum est anno 1216. Alterum B. Margaretæ fundari cœptum anno 1494. Linam amnem in urbem admisit Balthasar Lantgravius, purgandis viis & sordibus eluendis. Arcem *Grimmensteyn* munivit validisque operibus firmavit Guilielmus Saxoniæ Dux. Ex eo destructa aliquoties & restaurata fuit, donec funditus eam evertit Guilielmus Crumbachius, collecta manu proscriptorum Alberti Brandenburgici, anno 1567.

Oppida alia. Sunt & alia in hoc Ducatu oppida: *Blanckenhain*, 4 mill. Erffurdia distans; *Buttelstatt*, sesquimilliari Wimaria divisum; anno 1642 fortuito igne media sui parte in fumos abiit; *Buttstatt* ad Lossan Fl. situm, annuis nundinis pecuariis valde celebre; *Gersslungen*, oppidum, cui addita arx, ad Werram Fl. situm; *Tambach* vicus inter Smalcalden & Gotham jacens; *Tanroda* Ilmæ Fl. cum arce adsitum, non procul arce *Dondorf*, & ejusdem nominis pago; *Saltzunge* Werræ Fl. adjacens in confiniis Hassiæ, nomen à Salifodinis habet, quæ hic frequentes. Celebre quoque in hoc Ducatu Cœnobium est, *Ichtershausen* ad Geram situm, sesquimilliari Erffordia distans.

Genealogia Ducum Wimar. *Ioannes Fridericus* I, Elector, cujus in Electorum Saxoniæ Genealogia mentionem fecimus, uxorem duxerat Sibyllam Ioannis III, Ducis Iuliaci filiam; è qua filios habuit Ioannem Fridericum II, successorem suum; Ioannem Guilielmum, Ioannem Fridericum III, & Ioannem Ernestum, mortuum in infantia. Ex hoc Electore, qui Electoratu à Carolo V demotus fuit, stirps illa Ducum Wimariensium, Isenachicorum, Coburgicorum & Altenburgicorum, proserpsit. Successit Patri, in Ducatu Wimariensi,

Ioannes Fridericus II, natus Torgaviæ, anno 1529, hic post mortem patris pactum iniit cum fratribus, ut unusquisque decem continuos annos ad gubernacula sederet, ipse vero ut natu maximus, primus inciperet. Sed ob receptum seditioso Grumbachio permissum Gotha urbe privatus, arcis Grimmensteinii demoliendæ causa fuit; postea captus anno 1567 Dresdam primum, inde Viennam & Neapolim Austriæ avectus fuit; obiit Steiræ in Austria anno 1595. Filios reliquit Ioannem Fridericum IV, ut & Fridericum II, mortuos in infantia, Ioannem Casimirum Ducem Coburgicum, & Ioannem Ernestum Ducem Isenachicum.

Ioannes Guilielmus, Ioannis Friderici II frater, expirato decennio, post mortem tertii fratris Ioannis Friderici III, cum fratre de novo pepigit, ut ipse Coburgum cum aliis Franconiæ oppidis retineret; econtra Ioannes Fridericus Wimariam possideret: sed post rebellionem ejusdem, ut diximus, omnes illius status in hunc Ioannem Guilielmum, utpote unicum jam Fratrem reciderunt; quorum tamen fratris filios participes fecit. Obiit Wimariæ anno 1573. Filii ejus fuerunt Fridericus Guilielmus, Electoratus sub minorenni Christiano II, administrator, & Ioannes II.

Fredericus Guilielmus I, natus anno 1562, mortuus est anno 1602. Filios sustulit Ioannem Guilielmum II, & Fridericum IV, mortuos adhuc infantes, Ioannem Philippum, natum anno 1597. Fridericum V, natum anno 1599. Ioannem Guilielmum III, natum anno 1600. omnes Torgaviæ, & Fridericum Guilielmum II, natum Wimariæ, anno 1603.

Ioannes II, Ioannis Guilielmi I. filius, & Friderici Guilielmi I, frater, natus Wimariæ, anno 1570, feudum Voigtlandiæ sibi & prædecessori fratri ab Imperatore obtinuit; cujus mortui viduæ & filiis Altenburgicum Ducatum cum annexis dedit. Obiit Wimariæ anno 1605, relictis octo filiis, Ioanne Ernesto III, nato anno 1594; Friderico VI, nato anno 1596; Guilielmo, nato anno 1598. capto anno 1624 in Westphalia, sed ab Imperatore in libertatem restituto; Alberto II, nato anno 1599; Ioanne Friderico VI, nato anno 1600; Ernesto II, nato anno 1601. Friderico Guilielmo III, nato anno 1603, & Bernardo, nato anno 1604; & filia posthuma Ioanna, nata anno 1606.

Isenach, Ducat. *Isenachicus* porro Ducatus nomen ab urbe *Isenach* habet, quæ illius Ducatus præcipua, & pervetusta, ab Attila, Flagellum Dei se nominante, expugnata olim fuit, & quo comitia indixit, inaugurari se ab omnibus Germaniæ Principibus volens. Exinde ad annum C. 807 iterum ab Hunnis capta & diruta est, sed à Ludovico Thuringiæ & Hassiæ Landgravio reædificata, & in alium locum translata est. Adjacet urbi inexpugnabilis Arx *Wartberg*, à Ludovico fundata. Mortuo anno 1638 Ioanne Ernesto, Ioannis Friderici II, filio, sine prole, ut & Fratre Ioanne Casimiro, Ducatus hic ad Weimarienses rediit, & sorte Alberto Duci Saxo-Wimariensi obtigit. Pertinet quoque ad hunc Ducatum oppidum *Creutzberg* ad Werram Fl. qui egregio ex lapide confecto ponte constratus est; diripuere illud Papenheimici anno 1632. Inveniuntur & hic aliqua vineta. Frequentia in hac urbe magna, ob divitem ferri mercaturam. Quamquam autem Dux Isenachicus divitiis longe reliquis Saxoniæ Ducibus inferior sit, Aulæ tamen splendore illos exæquat, si non excellit: habet quoque suum Cancellarium, Marescallum, aliosque officiarios, ut reliqui.

Coburg, Ducat. Tertius in Thuringiæ finibus Ducatus est *Coburgicus*, nomen à *Coburgo* Ducatus primario oppido sortitus, quod ad Crempam Fl. situm centrum totius Germaniæ æstimatur. Ioannes Casimirus adjuvante Fratre egregium in hoc oppido Gymnasium fundavit. Adhærent huic Ducatui oppida *Cronach* & *Kunigsperg*, Patria Illustris Mathema-

thematici Ioannis à Monte Regio; ut & aliqua alia. Oppidani & incolæ plurimum lino colendo & ſerendo animum applicant; quibus eam in rem facultas deeſt, ii colendis vineis in Franconiam abeunt.

Comitatus Gleichenſis.

Comites *Gleichenſes* in media ferè Thuringia Comitatum ſuum habent. Arx *Gleichen* inter Erffordiam & Gotham in edito monte ſita, Comitatui nomen dat, cui porro adjuncta ſunt, oppidum & Arx *Thonow*, ſive *Tonna*, oppidum & Arx *Ardorf*, &c. Comitum horum mentio fit anno C. N. 1285, quorum unus in Palæſtina ſub Friderico II, à Sarrazenis captus, & à virgine Sarrazena liberatus fuit, quam cum venia & aſſenſu Pontificis & prioris uxoris in uxorem duxit, eodem tempore tunc binas habens. Nec male hoc ipſi ceſſit, providente Deo, ne ex hac Sarrazena liberos tolleret: quæ dein prioris conjugis liberos materno affectu proſecuta eſt.

Schwartzenburg Comit.

Comitatus *Schwartzenburg* nominis originem à Caſtello in Sylva Thuringica ad Salam Fl. ſito trahit. Ditio Comitum per totam fere Thuringiam diſperſa eſt, & ad Mansfeldiæ Comitatum ſe porrigit. Carolus Magnus primo Comiti Witichindo Saltum Thuringicum conceſſit, cum adjacentibus, quæ in 20 mill. longit. & 10 mill. latitud. ſe extendebant. Subjecta quoque illis eſt magna *Hoënſtenii* Comitatus pars, cum Dominiis *Lohr*, *Clettenburg*, *Arnſtedt*, & *Sundershus*; ut & oppida *Frankenhus* & *Rudelſtatt*: præterea Dominium *Leutberg* paucis abhinc annis eorum ditionem ampliavit.

Oppida.

Oppida fere hujus Comitatus propria ſunt, *Arnſtatt*, cui adjuncta arx, inter Gotham & Erffordiam ſitum, ſedes Comitum à Schwartzenburg: valde amœnum oppidum eſt, amœnior vero arx, cui annexi pulcherrimi horti, omnibus quæ oculos aut animum paſcunt, refertiſſimi; *Ilma* ad ejuſdem nominis Fl. ſitum oppidum, nitidum habet templum, ut & arcem non ſpernendam; *Konigzee* ad rivum Rinne oppidum, ſatis celebre eſt, unde nomen habeat, cum nullus in vicinia lacus ſit, ignoratur; *Rudelſtatt* ſive *Rudolfſtatt* pulcherrima arce clarum oppidum Salæ Fl. adjacet.

Divitiæ.

Comes hic Swartzenburgicus ex ditiſſimis totius Saxoniæ Comitibus eſt, quippe qui ultra 30 millia thalerorum annua ex reditibus accipiat. Religio illi, ut reliquis, Lutherana.

Stolberg Comitatus.

Stolbergiæ Comites titulum hunc à veteri Caſtello *Stolberg* ſibi vendicant, quod Otho Columna Nobilis Romanus condidit anno 566, in monte *Hartz*, quem veteres *Iuga Hercynia* indigitavere. Oppidum nunc temporis eſt huic Caſtello conjunctum, celebris Iuriſconſulti Ioannis Schneidewini patria; anno 1631 à Suecis expugnatum. Eſt præterea in hoc Comitatu vicus *Vffterungen*, prope quem celeberrimus ille ſpecus *Baumanshöle* invenitur, pluſquam quatuor milliaria in longum protenſus, & mira oſſium ibi inventorum varietate curioſorum oculos meritus. Acquiſivere præterea Stolbergenſes Comites Comitatus, & Dominia *Weringrode*, *Konigſtein*, *Rutſchefurt*, *Wertheim*, *Heringen*, *Kelbren*, &c.

Hohenſtein Comit.

Eſt præterea Comitatus *Hohenſtein* in Thuringiæ finibus ad juga Hercynia, quem olim Comites Imperii poſſedere, quorum ultimus Erneſtus Volckmari Wolfgangi filius, abſque maſcula prole deceſſit. Hinc quædam ad Swartzenburgicos, quædam vero Dominia ad Stolbergenſes Comites defluxere: major tamen pars Brunſvicenſi Duci, utpote Feudi Domino, ceſſit. Anno 1631 oppidum Hohenſtein à Suecis victoribus captum eſt.

Epiſcopatus Merſeburg.

Epiſcopatus in Thuringia duo ſunt, Mersburgenſis & Naumburgenſis. Merſeburgenſis caput eſt urbs *Merſeburg*, ſatis amœna, ad Fl. Salam ſita. Primariam apud Ethnicos in Saxonia urbem fuiſſe, multæ antiquitates, & imprimis alta quædam columna, in qua Mercurii ſimulachrum, ſatis patefaciunt. Originem aliqui ad Merovæum Francorum Regem inferunt. Olim annuis hic nundinis locus frequens fuit, quæ ob ortum ex exploſa bombarda incendium (quo tota urbs cum omnibus mercatorum mercibus conſumpta fuit) alio tranſlatæ ſunt. In urbe maxime ſpectatu digna eſt Eccleſia Cathedralis S. Laurentii, ab Henrico II, Imp. exſtructa. Primus ex Epiſcopo *Boſo* fuit, nobilis Bavarus, mortuus anno 970. Quartus fuit *Theodomarus*, Comes Saxo, qui à temporibus Othonis I. Imp. uſque ad Henricum II, incluſivè rerum geſtarum Chronicum compoſuit. Quadrageſimus quartus fuit *Adolphus* Princeps Anhaltinus, qui Iudæos expulit, illic ab Hieroſolymæ modo deſtructiore habitantes. *Auguſtus* Saxoniæ Dux 45 fuit, anno 1544, ejuſque Coadjutor Georgius Princeps Anhaltinus, quorum tempore Conſiſtorium hic ſtabilitum eſt. 46 Epiſcopus erat *Michaël Heldingus Sidonius* anno 1549, qui ad annum 1561 Epiſcopatum adminiſtravit. Poſt hujus mortem Elector per Vicarium Epiſcopatum rexit, uſque dum Ioannes Georgius Dux Saxoniæ 50 Epiſcopus factus, & poſtea Elector, Vicario Epiſcopatum adminiſtrandum tradidit.

Epiſcopat. Naumburg.

Alteri Epiſcopatui *Naumburgenſi* nomen commodat urbs *Naumburg* ad Salam, olim Imperialis, & Thuringiæ annumerata. Primus urbis conditor Ludovicus Ferreus Thuringiæ Landgravius fuit, qui hoc loco ſpatioſam arcem condidit. Præterquam quod Epiſcopatus titulo hæc urbs ſuperbiat, celebris quoque eſt annuis nundinis ad SS. Petri & Pauli feſta. Ædes ſacræ hic ſunt Templum Epiſcopale, *der Dom*, bina alia templa in urbe, & unum extra urbem S. Mauritii, & inſigne Cœnobium *Porta*, anno 1543 ab Electore Mauritio in Gymnaſium converſum. Anno 1632 Sueci urbem Cæſarianis extorſerunt; ad quam paulo poſt ipſe Adolphus Guſtavus caſtra metatus eſt. Anno 1636 Bannerii milites omnibus ludibriis, & ſceleribus urbem replevere: anno 1642 à Konigsmarchio fruſtra tentata, tandem relicta eſt. Epiſcopatum Saxoniæ Electores per Vicarios nunc adminiſtrant: cui adhærent Dominia *Schonburg*, *Saleck*, *Hainsburg*, *Croſſem* & *Breitingen* cum Capitulo *Oſterfeld*.

Quedlinburg Abbatia.

Præclara quoque eſt Virginum Abbatia *Quedlinburg*, cum ejuſdem nominis oppido, inter Halberſtadium & Ermeſlebiam ſito, quod Henricus I. Imp. muro cinxiſſe, & ibidem cœnobium in honorem S. Servatii fundaſſe dicitur, cui Abbatiſſam præfecit Machtildim, ſororem, vel, ut alii, filiam ſuam. Henrici filius Otho I corpora

Abbatiæ & Cœnobia.

Caſtella.

pora SS. Martyrum Fabiani, Eustachii, Pantaleonis, Hippolyti, & Laurentiæ virginis huc transtulit. Otho quoque Tertius Imp. ad annum 985 hic Imperii Comitia habuit, & pauperum filiis scholam erexit in objecto monte *Zion* dicto. Erat hæc urbs olim potens & in fœdere Hanseatico, sed ob rebellionem contra Abbatissam Ernesti Saxoniæ Ducis sororem, ab illo expugnata, direpta & Rulandi columna (quæ libertatis olim signum erat) privata est, & in ultimam servitutem redacta, unde Duci Saxoniæ ut defensori paret, qui omnem regionem sibi subjecit; Abbatissæ tamen, quæ nunc Lutheranæ religioni addicta, jus hæreditarium competit, in comitiis Imperii membrum repræsentanti. Idcirco Abbatissa illa cum Priore ex Ducum, vel ad minimum ex Comitum genere sit necesse est: anno 1641 Cæsarianorum Dux Laba multam hinc prædam avexit; sicut & insequenti anno Sueci Konigsmarchii fecerunt. Præter hanc est & alia Abbatia Cœnobium *Walchenried*, in jugis Hercyniis, cujus olim patroni erant Comites Hohensteinii; quibus deficientibus, Lunenburgici Duces jus illud ad se, utpote Dominos feudi traxere; Comites contra Swartzenburgici illis se opposuerunt, sed à Cæsare Luneburgicis adjudicatum est: *Volkeroda* præcipuum ordinis Cistercienfis Cœnobium non longe Mulhusia urbe situm est; *Oldersleben*, non incelebre prope Sachsenburgum Cœnobium; *Reinhardsbrunn*, Cœnobium Ord. Benedictinorum ad Saltum Thuringicum, anno 1085 à Ludovico Comite Thuringiæ fundatum, qui eo se recepit, ut pœnitentiam ageret, quod Fridericum Palatinum Saxoniæ interfecisset, sicut & uxor ejus Adelheida, illius homicidii causa, jam dictum Cœnobium Oldersleben cum eâdem intentione erexit. Adjacet huic Cœnobio aliud *Georgenthall* dictum à Comitibus à Kefernburg exstructum.

Abbatiæ & Cœnobia.

Castella.

Castella & arces, quæ maxime nomen merentur, sunt, *Beichlingen*, *Lora*, *Nebra*, *Arnshaug*, *Wassenburg*, *Sachsenburg*, *Scharfenberg*, *Wendelstein*, *Tennenberg*, *Heldrungen*, *Wertern*, &c.

Civitates liberæ sunt Mulhusia & Northusia. *Mulhusia*, Germanis *Mulhaussen*, Civitas Imperialis libera, fertili in solo sita, Hanseatico fœderi inserta est. Celebris huc anno 1620 Conventus indictus fuit, quem constituere Electores Moguntinensis, Trevirensis, Coloniensis, Saxoniæ, Maximilianus Dux Bavariæ, & Ludovicus, Landgravius Hassiæ ut in rem publicam intenti de tumultibus Bohemiæ consilium caperent: anno 1632 Comes Pappenheim 80 millia thalerorum urbi solvenda imposuit; nec minora incommoda insequentibus temporibus perpessa est.

Mulhaussen.

Northusia, sive *Northausen*, altera in Thuringia libera Imperii civitas ad juga Hercynia, quæ Thuringiam à Saxonia dispescunt, sita, protectioni Electoris Saxoniæ (sicut & Mulhusia) se commisit. Gaudet hæc urbs multis privilegiis: Senatus quoque absolutam in cives potestatem habet, & omnes actus meri & mixti Imperii, & simplicis jurisdictionis: Anno 1612, urbs noctu fere tota incendio periit. Vltimis Germaniæ bellis, anno nempe 1642 à Konigsmarchio vi expugnata est, captis Cæsarianis omnibus fere ducibus.


Northaussen.

Non inconveniens erit huc addere Dominium *Querfurdt* in finibus Thuringiæ Hallensem Episcopatum versus situm, cujus caput *Querfurdt*, urbs cum castello annexo, Electorem Saxoniæ agnoscit, ad quem hoc dominium Pragensi fœdere devenit. Olim suos habuit Dominos, qui illustri erant prosapia orti: ex his fuit Lotharius II, Imp. sicut & hodierni Comites à Mansfeldt illos inter proavos suos numerant. Anno 1630 Marchio Brandenburgicus per Legatum suum Bock Querfurtum & Mansfeldiam in suam potestatem redegit, ejectis Cæsarianis; at insequenti anno Cæsariani ea loca receperunt: anno 1640 à Suecis Querfurtum cum castello oppugnatum in flammas abiit, & post aliquam defensionem à præsidiariis deditum est: anno 1641 & 42 iterum hinc & inde expugnatum est.

Querfurt.

MANS-

MANSFELDIA COMITATVS.



Omitatus Mansfeldiæ Superiori Saxoniæ innexus est, inter Salam & Wipperam fluvios. Veteris itaque Saxoniæ portio nomen habere putatur à Manno, secundo Germanorum Rege, cum Mansfelt nihil aliud sonet, quam *Manni campus*. Eam etymologiam stabilire videtur Ascania, locus huic proximus, quem Ascenez Germanorum patris nomen referre nonnullis persuasum est. Est hic prope etiam Aschersleben, quasi dicas, Aschenez domum, & lacus ejusdem nominis. Ab Oriente Salam fluvium habet, territorium Magdeburgensis Archiepiscopi, & diœcesin Merseburgensem. Thuringia à Meridie est, ab Occidente Comitatus Swartzeburgensis, Stolbergensis, necnon Principatus Sangerhusius, Anhaltinus, & Asseburgius. His itaque Comitibus Principibusque cingitur, Archiepiscopo Magdeburgensi, Episcopo Marseburgensi, Electore Saxoniæ, Lantgravio Thuringiæ, Duce Saxoniæ, Episcopo Halberstadiensi, Principe Anhaltino, Domino Bernburgensi, Comite Swartzeburgensi, & Stolbergensi, Domino à Werther, & Domino ab Asseburg. Quando hæc regio, aut à quibus, titulo Comitatus insignita sit, incertum. Antiquitas tamen ejus ex eo evincitur, quod ejus Comes Hegerus nomine, illius celeberrimi Arturii Britannorum Regis coætaneus fuerit, atque unà cum ceteris hujus Regis Heroïbus, mensam, quam vocant rotundam celebraverit. Vixit hic Arturius circa annum Christi 545. Quod si cui hæc de Tabula rotunda historia nimis fabulosa videatur, exstat nihilominus, in Angliæ Regni meditullio fere, oppidum Mansvelt dictum, situm inter fluvium Trentam & Rotheram, non procul ab urbe Notinga.

Ratio nominis. *Termini.* *Antiquitas.*

Continet hic Comitatus in se quatuor alios Comitatus, *Arnstein, Wipra, Wethin*, & *Quernfurt*. Hi olim proprios habuere Comites, nunc uni Mansfeldiæ Comiti obnoxii. Est quoque hic Palatinatus Saxonicus, aliique Principatus. Vrbes habet primarias *Mansfelt*, *Eysleben*, *Wipram* & *Leimbach*. Mansfelt à Comitatu ipso nomen habet, cui proxime adjacet Leimbach; Wipra sesquimilliare abest, à fluvio Wipera nomen habens, Eislebia unico. Omnium maxima Eislebia, quæ à metallis, quorum illic ingens proventus, nobilitata est. Eruitur enim prope eam lapis niger fossilis, lithanthracum facie, qui excoctus igni, æs fundit, magno civium & aliorum incolarum lucro, quod acervi scoriarum & incrementorum ingentes demonstrant. Lapis ille fissus in scindulas, varias repræsentat formas, anguillarum, carpionum, ranarum, gallorum quoque & salamandrarum, dædalæo naturæ opificio. Arx urbis satis firma est, ager vicinus fertilis, ac porro imprimis abundans. Mercatus duos solemnes habet civitas, unum Dominica post *Viti*, alterum Dominica post *Galli*, qui in eos dies rejecti sunt, propter Lipsienses nundinas, opera Hojeri Comitis Mansfeldici, Consiliarii Cæsarei. In hanc urbem convenere anno 1082 Principes Germaniæ, & Hermannum Ducem Lotharingium Comitem Sarrapontanum Romanorum Regem designarunt, fixa etiam illic sede regia. Eum adversarii per contemptum vocabant Regem porraceum. Sequente vero anno Bremensis Archiepiscopus cum Præsule Hildeshemio, qui Henricum Cæsarem sequebantur, contractis copiis Islebiam obsederunt, & totam, excepta arce, expugnarunt, diripuerunt, incenderunt, ac vastaverunt. Sed repulsi sunt ab Hermanno Rege. Ferunt ingentem tunc Frisiorum numerum, qui sub Henrico militabant, ab Hermanno cæsum esse, ope Ernesti Comitis Mansfeldici, in vico qui inde Frisonum appellatur, *die Frezstrasse*. Anno 1362 obsessa est iterum à Friderico Lantgravio Thuringiæ & Marchione Misniæ, fratreque ejus Ludovico Episcopo Halberstadiensi: arx etiam tunc valide oppugnata. Sed quum expugnare fratres arcem non possent, ira & indignatione concepta exussere runt pagos circumjacentes, & ingens damnum agris intulerunt, templis & cœnobiis ex mandato Episcopi relictis integris. In bello autem Germanico, anno 1542 Albertus Comes Mansfeldicus, qui ob religionem innovatam proscriptus fuit à Carolo Cæsare, ipso die S. Ioannis Euangelistæ urbem invasit, arcem occupavit, cives evocatos ad sacramentum sibi præstandum adegit, pecuniam & supellectilem pretiosam ex arce ablatam Mansfeldiam misit. Idem tamen anno 1550 receptus est à Cæsare in gratiam, & in integrum restitutus. Anno etiam 1510 tributus est à Maximiliano I Imperatore Comiti Mansfeldiæ Hojero, atque adeo omnibus hujus ditionis Comitibus, titulus Generosorum; concessumque ipsis, ut pro viridi, rubra cera uti ipsis liceret. Hæc urbs Martinum Lutherum orbi dedit XI Novembr. 1483, parentibus Ioanne Luthero, & Margareta.

Vrbes. *Eislebia.*

Præcipui in hoc Comitatu saltus sunt *Tregensteig, Altzbein, Proschoff, Hohenbrant, Syffterholtz, Newe, Hayn, Steinberg, Rabe, Bornberg, Alkenberg, Seuge*, & *Linthal*; ex fluviis hi maxime numerandi, *Sala*, *Vnstrutt*, & *Wippra*.

Sylvæ. *Fluvii.*

Regio valde fertilis, sed montosa, venis metalli-

Qualitas.


MANSFELDIA
COMITATVS
Auctore Tilemanno Stella Sig.
Apud Guiljelm. Blaeu
Milliaria Germanica communia.
SACHSEN.
MANSFELT
THVRINGEN.
QVEDELNBVRGH Stift.
REINSTEIN Graffschaft.
HALBERSTAT Stift.
ASCANIEN Graffschaft.
BALLENSTEDE Graffschaft.
GERNRODE Stift.
RAMBERG.
ANHALT Furstenthumb.
GERNSCHWENDE
MELIBOCI montis pars.
CHERVSCI
VRBERG
STOLBERG Graffschaft.
WIPPRA Graffschaft.
ARNNSTEIN Graffschaft.
MANSFELT Graffschaft.
MORVNGEN Herrschaft.
BORNSTET Herschaft.
FRIDBERG Freiherschaft.
BERNBVRG Hersch o ast.
Lancobardi.
ANHALT Furstenthumb
KOTENER LANDT.
WETIN Graffschaft.
HALL ERCZSTIFT.
SAXEN Hermunduri.
Die Suse See.
Der Gsalssen See.
SCHRAPELAW Freiherschaft.
QVERNFVRT Graffschaft.
DIE WVSTE.
VOCKSTET Herschaft.
DIE PFALTS ZV SACHSEN.
Im Riet.
GVLDEN-
AWE.
HALETTA.
SVNDERSHAVSEN Herschaft.
Teuriochæmæ vel Thuringi.
BICHLINGEN Grafsc.
DIE FINNE.
IM TALE.
MERSBVRG Stift.
FREIBVRG Ampt.
Occidens
Oriens

tallicis abundantissima, cupri præsertim, ut & argenti apud Mansfeldiam. Ferarum magna copia nobilibus occasionem tempus terendi præbet, sic ut & lanigerarum ovium & mansuetorum animalium abundantia incolis sustentamentum vitæ, & præter hoc non exiguas pacis tempore divitias ministrat.

Divitiæ.

Ex minarum seu metallicarum venarum proventu non exiguas opes Mansfeldiæ Comes adipiscitur, ita ut ejus reditus 40 mill. thalerorum excedere existimentur. Ex hac familia multi præclari viri originem traxere, inter quos primus quidem referendus Albertus, qui anno 1560 obiit post octoginta annorum vitam: hic acerrime Carolo V se opposuerat. Petrus Ernestus, qui res Philippi in Belgica virtute sua valde promovit; Carolus ejus filius, qui bellis Belgicis initiatus, inde in Hungariam contra Turcas militatum abiit, quos vicit & fudit sæpius; & nostris temporibus Ernestus, cujus fama totam Europam occupavit.



PRIN-

PRINCIPATVS ANHALTINVS.

Termini.



Ncluditur Principatus Anhaltinus ad Septentrionem Archiepiscopatu Magdeburgensi, ad Orientem Ducatu Saxoniæ, ad Meridiem Mansfeldiæ Comitatu, & ad Occidentem Episcopatu Halberstadiensi. Nomen illi à veteri castello Anhalt, ad juga Hercyniæ Silvæ sito, quod Archiepiscopus Magdeburgensis & Marchio Misnensis anno 1140 diruerunt.

Nomen.

Dessau.

Caput totius Principatus est urbs *Dessavia*, quæ nunc sedes est Principis Iohannis Georgii, Marchionatus Brandenburgici Gubernatoris, ad Multam fluvium non longe inde in Albim se effundentem, sita, nuperis bellis ob vicinum Albi injectum pontem, & opere militari munitum, ut & clade Mansfeldii, satis celebris & nota. Anno 1631 munimentum ponti servando exstructum à Cæsarianis relictum, & metu Suecorum, una cum ponte, incensum & combustum est. Multis exinde belli cladibus urbs hæc affecta, nunc pace Germanis post longa bella concessa, iterum revirescit. Arcem habet pulcherrimam & satis magnificam, Italorum more exstructam. Secunda huic, imo potius æqualis vel major, est urbs *Servesta*, *Zerbst*, nobili cerevisia celebris, quæ in Franconiam, imo ipsum Belgium, & alias regiones devehitur; vino contra cara est. Distat Magdeburgo 5, Witteberga 3 milliaribus. Arcem habet urbs pulchram, & Principis aulæ opportunam. Imprimis celebre hic Gymnasium est à Ioachimo Ernesto, Principe Anhaltino, apertum, cujus Rectores, & Professores fuerunt G. Bersmannus, ac Christianus Becmannus, uterque ex Criticis non minimi nominis. Reliqua oppida sunt: *Bernburg*, cum arce, in qua Christianus, Princeps Anhaltinus, sedem fixit. Situm est oppidum ad fluvium Salam, in solo omnis generis fructuum feracissimo. Anno 1115 à Vandalis dirutum, & incensum est; Anno 1139 ab Henrico Superbo, Bavariæ, & Saxoniæ Duce obsessum, & incendio fœdatum, exinde à Magdeburgensibus & Hallensibus, sed irrito conatu tentatum est. Anno 1636 à Saxonibus quinto assultu vi captum, & magna cum Suecorum & civium clade, fere direptum est. Insequentibus annis à Suecis, & Cæsarianis hinc inde obsessum, & expugnatum multa damna pertulit. *Cothonia* celebris olim & potens urbs, hodie è ruinis æstimatur; quippe à Vandalis diruta, postea alio non longe dissito loco forma fere triangulari reædificata est. Anno 1547 Cothonia cum adjacentibus terris à Carolo V, Comiti Sigismundo Ladronio concessa est, quod Anhaltinus Protestantium partes secutus esset; sed intercedentibus postea aliis Principibus, Principi reddita est, qui econtra non exiguam argenti summam expendere cogebatur. Eodem anno magna urbis pars cum turri arcis incendio exhausta, materiem sequentibus Principibus præbuit arcem novam ex fundamentis erigendi; quod ipsum, consensu cæterorum Principum Anhaltinorum, nempe Iohannis Georgii, Dessaviam, Christiani, Bernburgum, Augusti, Plotzkam, Rudolphi Ludovici, Servestam tunc incolentium, circa annum 1598, ad effectum perduxit Ludovicus, Wolfgangi Anhaltinorum Principis successor minime degener. Adjunctos huic arci hortos omnibus florum, herbarum, arborumque generibus refertos, fama Alcinoi hortis æquavit. Nec minus celebre est illud Arcis Atrium, in quo omnium fere, qui Fructiferæ Societati adscripti sunt, nomina, & insignia muris affixa sunt: quorum anno 1646, 450 erant, inter quos 2 Electores, 32 Duces, 2 Palatini Comites, 4 Landgravii, 4 Marchiones, 17 Principes & 32 Comites numerabantur, præter plurimos nobiles & equites, quorum nimis longus ordo. Horum omnium caput fuit modo dictus Ludovicus, Princeps Anhaltinus doctissimus, qui hic Matriculam, sive librum, cui unusquisque ex Societate nomen inscripsit, asservari curavit. Mortuus est hic Ludovicus anno 1650, cujus in locum suffectus est, ut Societatis Senior, Dux Saxo-Wimariensis, Guilielmus. Sed filius ejus unicus, Guilielmus Ludovicus, optimo Patri successit in hæreditatem, & Cothoniam cum Principatu & adjacenti districtu solus possidet. Cothoniam sequitur *Hertzigeroda*, urbs haud ignobilis, ac Hercyniæ Silvæ vicina. Hæc cum adjacenti terra peculiarem suum agnoscit Principem, ex Anhaltinis oriundum, quem arce satis culta excipere videtur. Principatus enim Anhaltinus, quod obiter hîc notandum, mortuo Georgio, totius Anhaltinatus Principe, ac omnium ditionum rectore ac possessore, in plurimas pedetentim partes scissus ac divisus est. Ac primum quidem anno 1546 in quatuor Principatus peculiares; quorum primus attributus est Georgio, Præposito Magdæburgensi, & Misnensi, Principi in Anhalt & Warmsdorf, plurimis scriptis Theologicis claro. Secundus adjudicatus est Iohanni & Bernhardo, Cerveciorum Principi ac Domino. Tertius Ioachimo Ernesto, nempe Dessaviensis, Arcis Dessanæ, ac pontis per Albim conditori, qui tandem solus superstes rursus possessor totius Principatus est factus. Quartus, nempe Cothoniensis, Wolfgango, Woldemari Principis filio. Hodiernis vero temporibus, præter dictos quatuor

Servesta. *Bernburgum.* *Cothonia.* *Hertzigeroda.* *Principatus divisio.*



PRINCIPATVS ANHALTINVS
Septentrio.
Meredies.
Occidens.
Oriens.
Milliaria Germanica communia.
1
2
3
EPISCOPATVS
MAGDEBVRGENSIS.
STIFFT
HALBERSTADT.
FVRSTENTHVMB
ANHALT
SAXONIA
MANSFELDT
COM. PARS.
STOLBERG COM.
Magdeburg
Halberstatt
Barby
Wittenberg
Mansfeldt
Grabow
HARTZ WALT.

tuor Principatus, nempe *Dessaviensem, Zervestanum, Bernburgicum*, & *Cothonianum*, se quoque offerunt adhuc duæ partes, *Herzigerodana*, & *Worlitzensis*. *Plotzkam* pagum emit Princeps Augustus, atque inibi aulam suam celebrare solitus est.

Oppida alia.

Oppida hujus Principatus reliqua sunt *Worlitium*, cum arce, *Raguna*, & *Iesnitium*, quæ ad Principem Dessaviensem proprie spectant; item *Cosvicum*, ad Albim fluvium sub Principatu Zervestano situm; ut & *Ermsleben*, *Munchenneuburg*, & alia minora. Non longe ab oppido Ermsleben situm est Cœnobium Virginum *Gerenroda*.

Mores.

Incolæ hujus regionis proceri plerumque, & crassi sunt, ut & mulieres, plusquam aliæ Germaniæ gentes: civiliores, & politiores quoque sunt cæteris Saxonibus versus occasum, & septentrionem degentibus.

Divitiæ.

Reditus Principis Anhaltinatus supremi non adeo magni, qui illi tam ex dominii sui proventibus, quam ex impositis tributis, & oneribus, ut & teloniis in omnia aliunde evecta mercimonia constitutis proveniunt. Ius cudendi monetam cum reliquis Germaniæ Principibus idem habet. Aulam non magnificam aut sumptuosam, sed suis reditibus parem exhibens. Statum suum per paucos administrat, qui Senatus, seu Consilii locum Dessaviæ repræsentant. Ipse Princeps Calvini opinionibus, cum cæteris suis cognatis, addictus est, excepto Iohanne, Rudolphi filio, qui Principatui Zervestano præest, ac Augustanam Confessionem confitentibus se rursus adjunxit.

Genealogia.

Primus hujus Familiæ progenitor, erat *Henricus*, Ducis Bernardi, Electoris Saxoniæ filius, & Alberti Vrsi Nepos, qui Marchio Brandenburgicus fuit. Tædiosum nimis foret omnes ex illo ortos numerare: incipiemus itaque à *Georgio* Principe Anhaltino, Comite Ascaniæ, & Domino Bernburgi, qui anno 1474 decessit, relictis Woldemaro IV, patre Wolfgangi, qui cælebs vixit, Lutheranam religionem amplexus, & obiit 1566; ut & Ernesto, & Ioachimo Ernesto.

Ernestus, Georgii filius, genuit Georgium, qui anno 1552 Dessaviæ mortuus est; Ioachimum qui in divisione Dessaviam accepit, & ibidem fatis concessit anno 1561; & Ioannem, qui Princeps Anhaltinus & Zervestensis remansit; obiit anno 1551. Lutheranam in suo Principatu religionem valde promovens, & relinquens Carolum, qui sine mascula prole decessit.

Ioachimus Ernestus natus anno 1536, mortuus est Dessaviæ anno 1586. Ejus filius fuit

Ioannes Georgius, natus 1567, pater Ioachimi Ernesti, nati an. 1592; Christiani Iunioris, nati an. 1593; Ioannis Casimiri nati anno 1596, ac denati anno 1660; Friderici Mauritii, nati anno 1600, & postea mortui; Eleonoræ Dorotheæ, natæ anno 1602, & Sibyllæ Iustinæ anno 1603 natæ.


Christianus Ioachimi Ernesti alter filius, & Ioannis Georgii frater, natus anno 1568, pater Christiani, nati anno 1599, & Ernesti nati anno 1608.

Reliqui Ioachimi Ernesti filii fuerunt, Bernardus, natus anno 1571; Augustus natus anno 1575; Rudolphus natus anno 1576; Ioannes Ernestus, natus anno 1578; & Ludovicus natus anno 1579.

Ioannes Casimirus unicum solummodo filium genuit, Ioannem Georgium, qui Patri in Principatu Dessaviæ successit, cujus Soror unica superstes Loysa, nupsit Christiano, Duci Brigensium, & Lignicensium.

SAXONIA DVCATVS.

Termini.



Clauditur Saxonia ab Oriente Lusatia Inferiore, à Meridie Misnia, Hallensi Episcopatu & Anhaltino Principatu ab Occidente, & ad Septentrionem Brandeburgensi Marchionatu.

Qualitas. Aër hujus regionis frigidus & asper, sed non infectus, & saluberrimus est, exceptis locis quibusdam uliginosis, in quibus vapores aërem paululum inficiunt. Frumenti terra feracissima, sed vini inops; quem defectum eximia ex frumento decocta cerevisia compensat: Armentorum greges innumeri, & piscium abundantissimi fluvii, præterea feraces fructuum, olerum horti, omnis generis incolas deliciis explent.

Mores veteres. Veterum Saxonum historias inspicienti, inveniuntur fuisse viri proceræ staturæ, robusti, facie in horrorem composita, oculis cæsiis & minacibus. Nec absimilis erat eorum vita, ad feram barbariem accedens: si quid obvenisset, quod eorum iram excitaret, rationis apud eos nullus usus, & gladio decidenda lis erat; iterum, ubi illa deferbuisset, in amicitiam mutatis odiis convivia agitabant, & aliorum arbitrio rem permittebant. Fides in iis summa; nec ullum majus convitii dedecus, quam fractæ fidei. Piraticam summo studio exercentes, unusquisque imperator, miles, & nauclerus erat: omnes pariter in belli furta maxime intenti: quæque alios terrent naufragia, ipsis animos addebant, ita ut terribiliores hostes nulli inveniri possent; inopinato se in aliorum terras effundere, & prædis actis, ut se detectos sentiebant, domum reverti ipsis familiare: quod si hoc absque certamine fieri non posset, viros se ostendere fugiendo, quo se tuto subtraherent, despicere. Monumenta nisi summæ virtutis hominibus erigebant; totusque ille honor in eo consistebat, si sepulchrum lapide obrutum, aut cæteris magis excelsum esset.

Regiminis antiqui forma. Regiminis apud eos forma fere Aristocratica erat. Duodecim ex suo corpore cæteris sapientia, fortitudine & prudentia præstantes eligebant, quibus omne regiminis jus summa cum authoritate commissum. Et sic quidem tempore pacis: bellis vero hinc inde perstrepentibus, ex illis duodecim Ducem seu Imperatorem regio cum titulo adsciscebant, cui totius exercitus salus tuenda deferebatur. Furta morte punita ab illis; Iuramenta per armorum suorum dignitatem præstabant; & si quis perjurium commisisset, cæteris assidere, vivere aut edere cum tali tempore belli capitale; tempore vero pacis exilio mulctabatur. Religio illis cum vicinis eadem, nisi quod quæque regio suos quosdam tutelares deos haberet.

Mores moderni. Moderni Saxones sunt homines robusti, fortes, proceri; ingenui, optimæque conversationis, affabiles & humani magis quam ulla Superioris Germaniæ natio. Ingenii vivacioris sunt, & subtilioris quam ex corporis proceritate conjicere liceret; sed sunt rudiores in quibusdam, quod tamen cum gratia aliqua mixtum ipsis non dedecori est. Honoris acquirendi & retinendi avidissimi, patientes laboris, maxime militaris: Lucri quoque valde appetentes sunt. Fidem datam servant, in amicitiis tuendis constantes, in consiliis lenti, sed non stupidi; latæ semel sententiæ tenacissimi; nihil nisi rarissime in moribus mutant, inveterata optima existimantes: in victu porro, nempe cibo & potu immodici. Quoad vestium modos attinet, Nobiles, ut solet, sed hujus regionis præcipue, reliquis (nempe minoris qualitatis hominibus) splendidiores sunt, thoraces oblongos induti, in quorum manicis plurimum sacculos habent, in quibus strophiola, & sæpissime argentum recondunt. Capitibus pileos imponunt ex serico velluto, quos *Brunswicher hutt* nominant. Capillos habent longos ad modum Gallicum, nisi quod majores natu, illos decurtent. Æquari sibi in vestibus mercatores, opifices & ignobiles cives, impatientissime ferunt; ut & connubia nectere cum illorum liberis utriusque sexus, summum dedecus existimant; quos in opprobrium *Pfeffersack*, id est, piperinos saccos appellitant, quamquam inter mercatores aliqui sint, qui filiabus suis 30 millia thal. in dotem conferant.

Lingua. Lingua non omnibus eadem: sed ad Albis ripas plurimi pagi sunt, quorum incolæ Windorum linguam loquuntur: Italica, Gallicaque longe minus illis cognitæ, ac Austriacis, Palatinisve.

Religio. Lutherana & Calvini doctrina hic maxime viget; magis tamen Lutherana, cui multi Archiepiscopi, Episcopi, Prælati, ut & Abbatissa de Quedlinburg addicti sunt. Ipse Elector Saxoniæ, cum reliquis ejusdem Familiæ Ducibus, eandem fovet & amplectitur.

Vrbs. Witeberga. Primaria Saxoniæ Superioris urbs est *Witeberga*, cui nomen non ab albis montibus, sita est enim in planitie, sed à Witikindo datum, Saxonicæ Domus capite. Planitiem habet undique apertam, adeo ut eminus adventantes prospectari è vallo possint. Fossa urbem ambit ampla admodum & profunda, cum vallo lato pedes sexaginta. Ad ejus pedem murus est alter demissior, in usum tormentorum adversus conscensionem dispositorum. Ambiunt urbem munimenta quinque, præter arcem, quæ in extre-

SAXONIA SVPERIOR, & HALL EPISCOPATVS.

Milliaria Germanica communia.

Sereniſsimo ac Celſiſsimo Principi,
IOANNI GEORGIO,
D. G. SAXONIÆ DVCI,
S.R.I. Electori Enſifero,
et Archimareſcallo,
MARCHIONI MISNIÆ, THVRINGIÆ LANDGRAVIO, etc.
Tab. hanc D.D. J. Blaeu.

Amstelædami J. Blaeu excudebat

Septentrio
Meridies
Occidens
Oriens

MEYDBVRG ARCHI EPISCOPATVS PARS.
BRANDEBVRGENSIS PARS.
BARBY COMIT.
FVRSTEN
ANHALT
THVMB.
SAXONIA SVPERIOR.
HALL EPISCOPATVS
MANSFELDIÆ PARS.
THVRINGIÆ PARS.
MISNIÆ PARS.
LVSATIÆ INFERIORIS PARS.
Auff den Flemming

ma urbis parte loco eminentiore sita, urbem, muros, suburbia despicit. Septentrionem versus munitur aditus palude, Orientem versus Albi. Arcem veterem instituit Bernardus II, Alberti Vrsi filius, ex nobili familia Principum Anhaltinorum & Ascaniorum, cui Conradus II, Imperator, ditionem Witebergicam confirmavit, eamdemque contulit Electori Saxoniæ. Accessit postea ejus collationis confirmatio per Fredericum I I, Imperatorem. Ita factum est, ut diu admodum civitas ista Electoralis sedes habita fuerit. Sepulti in ea sunt Duces, & Ducum conjuges plurimæ. Porro templum, in quo tot Principum cadavera recondita sunt, mutatum nonnihil est à Ioanne Frederico Electore, translatis defunctorum ossibus in templum arcis. Hujus etiam se industria potissimum efferre cœpit civitas, modica hactenus, & non pro tantorum Principum gloria. Hic pontem in Albi exstruxit: arcem de integro ædificavit: summum templum, quod est Vrsulæ & undecies mille virginum, fundavit. Condidit quoque cœnobium Eremitarum Augustinianorum, quod postea Academiæ cessit, & habitationi Lutheri. Academia instituta fuit anno 1502. Sigillum Academiæ datum hujusmodi: Effigies Frederici Electoris & fundatoris trabeata, cum ense & cum inscriptione, ME AVSPICE COEPIT WITEBERGA DOCERE.

Anno 1547 mense Majo urbs ab Imperatore Carolo V obsessa, & tandem sub ejusdem mensis finem expugnata est. Vltimis vero bellis Germaniæ, non quidem justa unquam obsidione cincta, plurimis tamen & quidem gravibus cladibus affecta est. Anno 1637 ob incursantium Suecorum metum incensa sunt à præsidiariis militibus suburbia, ut & Academiæ Hospitale, cui erigendo fere tota Germania contulerat. Præcipue tamen anno 1640 maximo incendio urbs fœdata, absumptis multis ædibus; quæ necdum reædificatæ, cum destructarum ruinis mixtæ, magnam urbis partem desertam efficiunt, præsertim versus Elsteranam portam.

Torgauw. Multi quoque in Saxonia secundam à Witteberga urbem Torgaviam constituunt, quæ ad Albim fluvium in planitie sita, (ita tamen ut à quolibet latere urbem ingredientibns equidem aliquantum ascendendum sit) egregiis exornata ædificiis, & mercaturæ percommoda est. Multi huc Principes conventus seu Comitia indixere; multi quoque hic nuptias celebrarunt, amœnitate loci, ubertate agrorum & omnium rerum abundantia allecti. Inclaruit quoque hæc urbs eximia, quæ hic coquitur, cerevisia, quam in vicinas regiones avehentes incolæ, non exiguum urbi emolumentum adferunt. Inter structuras profanas prima se spectantium oculis ingerit Ducalis arx, quæ à Iohanne Friderico Electore anno 1535 exstructa, & anno 1544 procera turri aucta & ornata est. Insequentibus post seculum fere bellis, anno 1636 à Suecis obsessa & expugnata, & iterum insequenti anno relicta; postea anno 1639 ab iisdem 12 millibus talerorum taxata, tandem à Torstensonio, anno 1642 & 1644 à Konigsmarkio obsessa & capta, quas clades, quos belli casus pertulerit, unusquisque satis conjicere poterit.

Oppida. Cætera hujus Ducatus oppida hæc sunt: *Beltzig*, quatuor milliaribus Witteberga distans oppidum, cum arce in finibus Marchionatus Brandenburgici; bello Sueco-Germanico exustum est. *Brettin*, ad Albim, quo non longe distat arx *Liechtenberg*, sedes nuper viduæ Christiani I I, Electoris Saxoniæ, è Regia Danorum stirpe oriundæ. *Dama*, Magdeburgici olim juris, anno 1635 cum quibusdam aliis, juxta fœderis Pragensis pacta, hæreditariè Saxoniæ annexum est. *Düben* sive *Dieben*, oppidum ad Muldam fluvium medium inter Lipsiam & Wittebergam, hinc inde quatuor milliaribus distans, arcem habet, in qua olim anno 1188 Albertus Marchio Misniensis patrem Othonem detinuit, quod minorem natu in successione majori præponere voluisset. Celebris quoque hic locus conjunctione copiarum Saxonicarum & Suecicarum, quibus ipse Rex & Elector præerant, cum in Comitem Tilli, eas ducerent. Anno 1637 à Suecis oppidum hoc direptum & incensum est. *Guterbock*, oppidum cum arce olim Magdeburgensi Archiepiscopatui subjacens, optimo totius Germaniæ ante bella nupera hospitio famosum, quippe ubi in conventu ob turbas Iuliacenses indicto, 24 Electores Principesque simul cœnavere. Anno 1644, 23 Novembris prælium non longe hinc commissum inter Suecos & Cæsarianos, quo hi in fugam conjecti, & eorum Duces plurimi & inter eos Enchefordius capti sunt. *Hertzberga* ad Elsteram situm oppidum, ex iis unum, quæ nupero bello suburbia amisit: anno 1631 acriter à Suecis impugnatum, sed ab accurrente Arnhemio periculo exemptum est. *Liebenwerda* Elsteræ adjacens modicum oppidum, arcem & egregiam venationem habet, anno 1641 à Suecis incendio deletum. *Schmideberga*, prope oppidum *Düben*, egregia, quæ ibi coquitur, cerevisia clarum, anno 1637 à Suecis direptum & incensum est. *Schweinitium* oppidulum Elsteræ adjacet, quo uno milliari distat arx *Lochau*, quæ ab Anna Augusti Electoris priore conjuge reædificata Annæburgi nomen accepit, olim clade 2 filiorum Electoris Rudolphi, 6 Nobilium epheborum cum præceptore suo, à collabente turri obrutorum famosum. *Gommern* Saxonici nunc juris oppidum, antea ad Magdeburgensem Marchionatum pertinebat; Suecicis bellis incensum est: sunt & oppidula alia quæ nominasse sufficiet: *Dommitsch*, *Iessan*, *Kemberg*, *Niemeck*, *Pretsch*, *Schlieben*, *Schilda*, *Seida*, *Vbigaw*, *Warenbruk*, & *Zanaw*, è quibus plurima incendio deleta sunt tempore belli Germanici.

Fluvii. Fluvii Saxoniam irrigantes sunt, *Albis*, qui è Misnia in hunc Ducatum se effundens, Torgavia & Witteberga visitatis, per Anhaltinum Ducatum in Magdeburgensem Archiepiscopatum dilabitur, & non longe Hamburgo in Oceanum se exonerat: *Mulda* è Voitlandiæ montibus ortum trahens, exinde per Saxoniam in Anhaltinum Ducatum excurrit, ibidem Albi confluens. *Elstera* paulo supra Caminum in Lusatia ebulliens, eidem Albi non longe Witteberga sociatur.

Montes & Sylvæ. Montes in Saxonia multi, sed continui, uno

Flem-

Flemmingi nomine comprehenduntur: extendunt ſe ab Anhaltino Ducatu uſque ad intima Inferioris Luſatiæ. Sylvæ quoque non exiguæ prope Dübenam, die Diebeshayde vulgo vocatæ, intutæ ſæpius viatoribus, Miſniam verſus non longe Hertzberga jacent.

Dominia Domus Saxonicæ. Parentia Domui Saxonicæ Dominia ſunt, Saxonia Superior, ut diximus; Miſnia, Thuringia, Luſatia, Voigtlandiæ, ſeu Terræ Advocatorum pars, & Comitatus Henneberg in Franconia. Dividitur hodie in quinque Familias, Saxonicam nempe Electoralem, Wimarienſem, Altenburgenſem, Coburgenſem & Iſenachienſem. *Vires Electoris.* Viribus & potentia inter has excellit Electoralis Saxonica; quippe cum Elector ex reditibus annuos habeat 1000000 thaleros, Argenti fodinas plurimas, & Nobilium innumeram cohortem, qua reliquos omnes Germaniæ Principes ſuperat, ita ut octo millia equitum & plusquam 20 millia peditum hoſti objicere poſſit, & intra tertium diem ultra mille nobiles conjungere, divite armorum apparatu inſtructos. Nec parum Elector nupero bello Germanico Cæſareis partibus profuit. Quod militarium rerum, armorum, tormentorumque copiam attinet, refertiſſima eorum armamentaria Wittebergæ, & præcipue Dreſdæ habet, quorum numerus infinitus. Multis quoque & inexpugnabilibus quaſi munimentis regio tuta hoſtium inſultus acerrime ſemper ulta eſt.

Regimen. Aulam ſuam Elector Saxoniæ fere ſemper Dreſdæ habet, ubi & Nomophylacium cum Conſilio, à quo omnis regio jura accipit. Exercet hic Princeps non ſolum Ius Civile, ſed & Eccleſiaſticum, omniaque Eccleſiaſtica edicta ſuo nomine promulgat, conſtituens Superintendentes, qui Epiſcoporum veterum locum obtinent, & verbi Divini Miniſtros. Plurimos habet Gubernatores ſeu Præpoſitos, quibus pagi aliqui & oppida ſubjecta ſunt, ut & minores magiſtratus, *Wit* dictos, qui reditus Principis colligunt, & Scabinos, illis *Schöffen*. Vrbium unaquæque ſuos habet Conſules & Senatum, ſed qui ab Electore & Præfecto dependent. Pagi & oppida habent quoque ſuos Iudices, quos *Schultheiß* vocant, alibi *Richter*, & nonnunquam *Kruger*, qui ruſticorum lites decidunt. Iure illic utuntur ſcripto, quod Saxonicum appellant, multis in rebus ab Imperiali differens, quod Saxonici Iurisconſulti in Pandectarum quaſi formam compoſuerunt. Crimina acriter puniuntur; nec differentia ulla inter Nobilem aut ignobilem obſervatur.

Genealogia Electorum Saxoniæ. Electores Saxoniæ ortum trahunt è Miſniæ & Thuringiæ Marchionibus & Landgraviis, è progenie Witechindi, magni Saxonum Ducis, tempore Caroli Magni. Primus ex hac familia Electoratum adeptus eſt Fridericus Bellicoſus, filius Friderici Severi, poſt obitum Alberti III, Electoris Saxoniæ, qui ſine maſcula prole deceſſit; à Sigiſmundo Imperatore anno Chriſti 1426, Budæ in Hungaria ad id faſtigium evectus, quod rebellantes in Cæſarem Bohemos domuiſſet. Obiit anno 1428, ſepultus Altenburgi.

Succeſſit Patri *Fridericus Pacificus* ſeu *Bonus*, natus anno 1411. Ex Margareta Auſtriaca, ſorore Imp. Friderici III, genuit Erneſtum I, & Albertum; obiit anno 1464.

Erneſtus I, natus anno 1441, patrem in Electoratu ſecutus, uxorem duxit Elizabetham Alberti Bavariæ Ducis filiam, è qua ſuſcepit Fridericum III, Sapientem, Ioannem Conſtantem, Erneſtum Archiepiſcopum Magdeburgenſem, & Albertum Archiepiſcopum Moguntinenſem; obiit anno 1486.

Fridericus III, dictus Sapiens, natus Torgaviæ anno 1463, in Romanorum regem electus, dignitatem illam aſpernatus eſt. Obiit cælebs anno 1525.

Ioannes, Friderici frater, natus anno 1469, ex priore Conjuge Sophia, filia Magni Megapolitani Ducis, Ioannem Fridericum I, ex altera Ioannem in infantia mortuum, & Ioannem Erneſtum I, ſuſcepit. Exceſſit anno 1532.

Ioannes Fridericus I, natus Torgaviæ anno 1503, Religionem Lutheri magno animo defendit, quare ab Imp. Carolo V captus, & Electoratu privatus eſt, quem in cognatum ejus Mauritium contulit. Obiit anno 1554.

Interea temporis Albertus Electoris Friderici II, Pacifici, filius, natus anno 1443 Grimæ ad Multam, urbem Annebergam ædificat, ducta in uxorem Zedena Georgii Bohemiæ Regis filia, è qua nati Georgius, & Henricus I, natus anno 1473, qui uxorem duxit Catharinam filiam Magni Megapolitani, è qua genuit Severinum mortuum adhuc minorennem, Mauritium & Auguſtum poſtea Electores. Obiit Georgius anno 1539, & Henricus I, anno 1541.

Mauritius, natus Friburgi anno 1521, partes ſecutus Cæſarianas contra Confœderatos Principes Smalcaldicos, Electoratum à Carolo V adeptus eſt, cum plurimis Ioannis Friderici terris: deceſſit ex ictu bombardæ in Marchionatu Brandenb. anno 1553, absque maſcula prole.

Auguſtus, natus Friburgi anno 1526, fratri ſuccedit; liberos plurimos ſuſtulit, ſed in infantia mortuos, excepto minimo natu & ſucceſſore *Chriſtiano* I, nato Dreſdæ anno 1560, qui ex uxore Sophia, Ioannis Georgii Marchionis & Electoris Brandeburgici filia, filios habuit Chriſtianum II, natum Dreſdæ anno 1583; Ioannem Georgium, Auguſtum III, Adminiſtratorem Epiſcopatus Naumburgenſis, & tres filias.

Chriſtianus II, poſt patris obitum anno 1592, ſub tutela Friderici Guilielmi Ducis Saxo-Wimarienſis ad ætatis ſuæ annum 18, exinde ſuo marte Electoratum adminiſtravit: obiit absque maſcula prole anno 1611.

Ioannes Georgius fratri ſucceſſit, natus Dreſdæ anno 1585. Bello Sueco-Germanico primùm Sueci, dein Cæſaris partes fovit: obiit anno 1656, cui ſucceſſit ejus primogenitus,

Ioannes Georgius II, Sacri Romani Imperii Princeps, Elector, Archimareſchallus, &c. etiamnum hodiè ſuperſtes, natus anno 1613, 31 Maji; Conjux illi Sibylla Chriſtiana, Marchionis Chriſtiani Brandenb. filia, è qua ſuſtulit Ioannem Georgium, natum anno 1647, 20 Iunii, Ermutham Sophiam, & Sibyllam Mariam.

Reliquorum aliarum Famil. Ducum Genealogiam ſui cujusque Ducatus deſcript. inſeruimus.

HALL EPISCOPATVS.

Termini.



Allensis Episcopatus modicus Archiepiscopo Magdeburgensi subjectus est. Vicina illi ad Orientem Saxonia Superior, ad Meridiem Misnia, ad Occidentem Mansfeldiæ Comitatus, & Anhaltinus Principatus ad Septentrionem.

Incolæ veteres.

Veteres olim Hermunduri inventum hic salis fontem ex volutante & incrustato in eo porco, statim diligentius coluere, ita ut prosperi successus fama in vicinas continuo terras erumperet; quæ Cattos, nunc Hessos, excitavit, & animos dedit, ut armis illum fontem Hermunduris eriperent. Sed hæc eorum aviditas optato caruit eventu: Victi namque & cæsi ab incepto desistere coacti sunt. Ita enim de iis Tacitus: *Eadem æstate inter Hermunduros Cattosque certatum magno prælio, dum flumen gignendo sale fœcundum & conterminum vi trahunt: religione insita, indulgentia numinum illo in amne, illisque silvis salem provenire, non ut alias apud gentes eluvie maris arescente unda, sed super ardentem arborum struem fusa, & contrariis elementis, igne atque aquis concreta.* Sed erravit in eo Tacitus, quod salem putavit ex flumine confici. Et habet quidem fluvius à sale nomen, vocatur enim Hala, Græcisque ἅλς salem significat, unde Hala urbs. Non tamen ex undis fluminis, sed ex fontibus amni vicinis sal & olim confectus est, & nunc adhuc conficitur. Fontes illi sunt numero quatuor, eminentes, ad S. Mauritium versus Septentrionem, quorum tamen primarius est, qui *Teutonicus* appellatur, qui in circuitu 107 casas habet. Quarum unaquæque labrum continet, in quo noctu dieque 10 salis frusta coquuntur, ejus magnitudinis, ut uni ex illis ferendo vix homo sufficiat. Ex eo tam copiosa aqua erumpit, ut nisi exhauriatur, intra dies XXII exundet, seque in profluentem exoneret. Hi fontes flumini nomen, & occasionem communi opinioni dederunt, quasi ex flumine sal gigneretur. Iidem caussa primum fuere vici aut pagi, dicti initio *Dobresola*, vel *Dobrebora* à Sclavis vel Vandalis, qui huc venerant; qui postea sub Othone II Imperatore in urbem conversus sit anno 981.


Hall Civitas.

Vrbs itaque ad Salam fluvium in fertilissimo solo sita, insequentium temporum tractu in immensum aucta, pulcherrimis plateis distincta, à quibusdam Hanseaticis urbibus annumeratur. Longa 1617 passus à Meridie versus Septentrionem, lata 1078 ab Ortu ad Occidentem, in murorum circuitu 5796 passus extenditur. Inter structuras sacras sunt Ecclesia major Cathedralis, cui quatuor turres impositæ sunt; Templa S. Vlrici, S. Mauritii, & Episcopale novum, à Cardinale Alberto Archiepiscopo Mogunt. & Magdeburgensi fundatum, & templum ac Cœnobium Franciscanorum, quod Archiepiscopus Sigismundus anno 1565 Gymnasio concessit; cujus Administrator Marchio Ioachimus Fridericus 24 jugera agri superaddidit, & decem Doctores instituit, qui juventutem instruerent. Extra urbem sunt templa S. Laurentii & S. Georgii cum pluribus sacellis hic illic sparsis. E profanis ædificiis eminet maxime Mauritiiburgum, fortuito incendio anno 1640 plurimùm consumptum; Cancellaria, ut vocant; Domus Publica; Bibliotheca; Cella vinaria publica; Armamentarium; Scabinorum Domus; Fons artificiosus; & sola in foro rubra turris ex quadrato lapide constructa, 140 ulnas alta, cum campanis, horologiis &c. Varii quidem in hac urbe Iudiciarii consessus sunt: supremum tamen judicium apud Senatum est, qui 26 Senatoribus constat, è quibus duo Præsides, duo præterea *Worthalter*, tres Camerarii, & unus Secretarius, aliique officiarii unoquoque anno vicatim eliguntur; ex his quoque Senatoribus ordinantur, qui injuriarum & debitorum delationes cognoscunt, & quæ alia hanc rem spectant: sunt quoque *Iudicialia* Principis *Officia*; *Prætor*, & in valle ad fontes **der Oberbornmeister** cum adjunctis, qui à Senatu eliguntur, ab Archiepiscopo vero confirmantur. Est quoque *Scabinorum sedes*, in qua 8 Iurisperiti jus dicunt cum Prætore; nec tantum in urbe, aut Archiepiscopatu, sed in vicinis quoque regionibus, per literas rogati, sententiam suam pronunciant. Anno 1264 Rupertus Magdeburgensis Archiepiscopus, adjutus à Comite Mansfeldico, Halenses multis incommodis affecit, & grandi pecunia mulctavit, quod autores fuissent Iudæis illic agentibus, ne Archiepiscopo censum solverent. Anno Christi 1433 conspirarunt Halenses cum Magdeburgensibus adversus suos Præsules, à quibus se premi iniquis exactionibus conquerebantur. At hi illos vibrato excommunicationis fulmine sperabant ad officium posse cogi. Quam spem quum irritam viderent, Electorem quoque Saxoniæ Fridericum promissa ingenti pecuniæ vi in suos cives concitarunt. Is ergo adjutus à fratre Guilielmo Lantgravio Thuringiæ, itemque à Lantgravio Hassiæ, & Comitibus Swartzenburgicis, Mansfeldicis, Stolbergicis, & Honsteiniis Halam obsedit, ac tormentorum globis petiit. Halenses vero adjuti à Brunsvigiis sociisque fortiter se defenderunt. Tandem vero ita transactum est, ut Halenses & Magdeburgii capitulo omnia redderent quæ bello occuparant, cætera oblivione perpetua involverentur. Anno 1478 dissensio inter Senatum & salinarum dominos nata est, in qua per tumultum occisus est Schiltbachius honestus civis. Ob hanc dissensionem accersiti Halberstadienses in consilium adhibiti sunt. Tandem ita conventum, ut Halenses propter seditionem motam Archiepiscopo solverent quartam partem salinarum suarum, quintam vero partem reliquorum bonorum suorum omnium, ac præterea 500 amplius florenos conferrent ad statuendum monumentum perpetuum Schiltbachio, ei de quo jam diximus. Anno 1630 stratagemate ab Archiepiscopo intercepta urbs est; arx tamen conservata, cui Cæsariani succurrentes adeo inexspectati se adversæ parti ostenderunt, ut omni præda relicta aufugerint. Exinde sæpissime hinc inde, non sine magno suo detrimento, capta & amissa est.

L V-

L V S A T I A.

Populi veteres.



Vsatiam, regionem inter Albim, Viadrum sive Oderam, & Bohemiæ montes interjacentem, olim habitatam fuisse ab *Elisiis* vel *Ligiis*, uti à similitudine vocis colligitur, ita etiam à Ioachimo Cureo affirmatur. *Termini.* Terminatur à Meridie regno Bohemiæ; ab Occidente Misnia & Saxonia; ad Septentrionem Marchiam Brandenburgensem habet; versus Orientem claudit latus ejus Silesia Inferior. Fuit aliquando Misniæ conjuncta. Tandem Bohæmi ad se pertraxerunt. *Incolarum indoles.* Incolarum ingenia, mores, & lingua parum à Silesiis differunt, sed unica fere appellatio, & distincta præfectura discrimen facit. *Divisio.* Lusatia duplex est, Superior & Inferior. Sunt autem in hac Superiore, de qua nunc agimus, *Vrbes.* urbes sex; *Gorlitium, Budißina, Zittavia, Lauwena, Camensium & Lieba*, quas simul Hexapolim vocant; quarum quæque suo jure & privilegiis utitur, & nulli nisi immediate Bohemiæ Regi subest, qui singulis Præfectum præficere solet jura administrantem: qua de causa etiam sex Regiæ civitates vocari meruerunt, suntque adeo firmo fœdere inter se junctæ, ut minime divelli queant. *Gorlitium.* *Gorlitium*, vulgo *Gorlitz*, nobilissima ac primaria Superioris Lusatiæ urbs, nomen habet à combustione, Slavorum lingua; quo fit ut eam Germani *Brandstat* vocent. Nam quum condita esset, à Sobieslao Bohemiæ Duce, anno 1301, ducentis post annis tota igni absumpta est, adeo ut ne domus quidem una superfuerit. Sed protinus civium industria restituta est majore etiam quam ante elegantia. Sita est ad ripam dexteram Nissæ fluvii, ex quo molitores, cerevisiarii, tinctores, insignes commoditates percipiunt. Ejus ripa utraque ponte ligneo & quidem cooperto nectitur. Vrbs ipsa ædificiorum nitore & frequentia claret, muris fossisque, ubi flumen deest, munita. Primarium templum B. Petro sacrum est. Curiam venustat turris. Etsi autem Lusatia Superior, mortuo Marchione Waldemaro sine hærede masculo, in potestatem venerit Ioannis Lucelburgici Bohæmiæ Regis, ac veluti feudum Bohæmiæ regno attributa sit à Ludovico Bavaro Imperatore, mansit tamen Gorlitium in potestate Ducum Silesiæ, usque ad annum Christi 1330, quo Zittavia Henrico adsignata est, Gorlitium vero ad Bohæmiæ Reges rediit, ea lege, ut in posterum numquam ab eo alienaretur. Nihilominus tamen anno 1352 Carolus IV Imperator Gorlitium Ioanni natu minori jure feudi cum titulo Ducis possidendum dedit, voluitque ut in ejus verba cives jurarent. Sed Ioannem illum cives Gorlicenses ob effrenatam libidinem & insolentiam exclusere, qui idcirco in Inferiore Lusatia quod reliquum fuit vitæ inglorius consumpsit. Eo defuncto Iudocus Moraviæ & Brandeburgi Marchio, Wenceslai & Sigismundi Regum patruelis, Ducatum Gorlicensem sibi vendicavit, connivente, imo & adnuente Wenceslao Bohemiæ Rege. At Gorlicenses missa legatione ad Sigismundum Hungariæ Regem, impetrarunt, ut penes Bohæmum ditio maneret, neque à regno urbs socia & fida avelleretur, caussati aspera Ioannis imperia, & vinculum antiquæ conjunctionis. Ab eo igitur tempore mansit perpetuo Gorlitium junctum regno, neque inde divulsum est. Cœnobium quod in eo est, anno 1234 conditum perhibetur. Schola hic est illustris, quæ aperta est anno Christi 1565, primo ejus Rectore Petro Vincentio Vratislaviensi, ex Academia Witebergensi in illam urbem accito. Hujus egregiâ operâ ad mitiorem cultum juventus formata est, instillatis sapientiæ & veræ pietatis præceptis.

Budißina. *Budißina* ad fluvium Spream sita, civitas fuit admodum amœna ædificiisque nitens, sed novissimis Bohæmiæ bellis magnas calamitates perpessa, sæpius occupata & superata est: quum enim Fredericus V, Comes Palatinus & Elector, Bohæmiæ regnum affectaret, obsedit eam Elector Saxoniæ, tunc temporis à partibus Cæsaris Ferdinandi stans, & invasit anno 1619. Adveniente vero in Germaniam Sueciæ Rege, cui se Saxo jungebat, Dux Wallensteinensis eam recuperavit, & Saxo eam rursum armis petiit & subegit: deinceps iterum Cæsareani. Per quas continuas obsidiones, non illa solum in extremam ruinam est redacta & solo æquata, verum etiam circumjacens tractus & tota regio vastata est.

Zittavia. *Zittavia* initium suum à pago quodam, ad quem Bohæmi frumenta sua magna copia advehere, ibique divendere solebant, est auspicata. Exstruxit eam, uti perhibent, Wenceslaus, anno Christi 1255, quo muris etiam cincta in fastigium civitatis ascendit: atque deinde in Regum potestate huc usque mansit. Wenceslaus II, Bohemiæ Rex, anno 1273 regnum auspicatus, natus est in hac civitate, atque eam ut patriam summopere dilexit, ornavit, & domicilium ibi sæpius fixit. Tandem vero ad Dominos de Leipe pervenit, atque à Ioanne Lutzelburgico, anno 1319 Regno denuo adjuncta. Post illa rursum tempora obtinuit eam, sive per hæreditatem, sive per mutuationem, Henricus Dux de *Iant* in Silesia. Anno autem 1356 pristinam resumpsit libertatem, reliquisque se sex civitatibus associavit sub Carolo IV; siquidem tum temporis tota regio, una cum prædictis civitatibus, incorporata fuit, cum antea non nisi Budissina, Gorlitium, Laubanum & Lieba coronæ Bohæmiæ subessent.

Laubanum. *Laubanum* civitas ad confluentes *Altlauben* & *Queis*



LVSATIA SVPERIOR.

Authore
Barthol. Sculteto Gorlitio.

Septentrio

LVSATIÆ INFERIORIS PARS.

Herrschafft Hewerswerda

Herrschafft Mosqua

Herrschafft Konigsbrucken

DVCATVS SILESIÆ SAGANENSIS.

SILESIÆ INFERIORIS PARS.

MARCHIONATVS MISNIÆ PARS.

BOHEMIÆ PARS.

Vrbs
Oppidum munitum
Oppidum
Arx
Monasterium
Pagus cum Templo
Pagus
Mons notabilis
Officina ferri

Occidens

Oriens

Meridies



Queis sita, ad Silesiam quondam pertinebat, postea vero à Marchionibus Brandeburgensibus in possessionem accepta, multis privilegiis ab Ottone anno Christi 1294 donata fuit. Waldemarus eam anno 1318 muris fossisque circumcinxit. Ioannes Bohæmiæ Rex Gorlicensi adjudicavit jurisdictioni, qui simul etiam Gorlicenses & Bauzinenses fines instituit, ad quos ad hæc usque tempora perseveravit.

Lieba. *Lieba*, reliquarum omnium antiquissima, nomen accepit ab aquis Liebecensibus ad quas posita est; eo fruitur privilegio, ut civitates, si conventum inter se aliquem proclament, huc plerumque conveniant. Maximum damnum tulit Hussitarum bello, nec minus novissimis hisce dissidiis Bohæmicis sustinuit.

Camentz. *Camensium*, civitas in petris & rupibus sita conspicitur, unde & nomen sortita est, Slavis enim *Camenz* lapis dicitur. Anno Christi 1155, cum misere pene tota incendio periisset, restaurata fuit. Creditur Comitum olim fuisse sedes.

Regionis qualitas. Regio fere tota frumenti rerumque è terra nascentium feracissima est. Sylvas habet complures; præcipuæ sunt, *Penzigerheide*, *Laubenerwaldt*, & *Koningswaldt*. *Dominia.* Inter Dominia, maxima & excellentia sunt, *Herschaft Mosqua*, & *Hewerswerda*, cum oppidis ejusdem nominis. *Fluvii.* Fluviorum, qui Lusatiam irrigant, princeps *Nissa*, qui in Bohæmiæ montibus ortus, & Zittaviam, Gorlitium, & Prybum, aliasque civitates præterlapsus, in Oderam sese exonerat. Oritur in eisdem etiam montibus fluvius *Queis*, quem, postquam Lusatiam hac parte ab Inferiori Silesia separavit, Hebrus sive Bober absorbet. Conspicitur hic etiam fons *Sprehæ* fluvii, non longe à pago ejusdem nominis. Lacus habet innumeros, præcipue supra Gorlitium, inter fluvios *Neisse* & *Queis*, ex quibus scaturientes fluvioli, incredibile est, quot quantasque agant ferri officinas.

LVSATIA INFERIOR.

Termini.  LVsatia Inferior ad Septentrionem Francofurtum ad Oderam usque se extendens, inde Orientem versus juxta Nyssum fluvium Silesiam attingit, & conjuncta Superiori Lusatiæ à Meridie, Saxoniam Superiorem ad Occidentem habet.

Qualitas. Aër Regionis prosper; fertilitas vero soli non adeo extollenda est; quippe quod ubique fere arenosum, vix incolas suo frumento tueatur. Saltuum tamen & sylvarum, ut & fluviorum frequentia feris piscibusque refertissimorum illum defectum supplet, & ut vili cibaria pretio *Mores.* prostent, efficit. Ingenia incolis non absurda, imo acria, & omnium artium capacia natura concessit, quæ non recta educatione, & maxime nimis maturis conjugiis corrumpuntur. Sunt alias parci, & in multis diffidentes, Vandalorum in morem, quorum & linguam quibusdam in locis retinent.

Vrbes. Vrbes in ea Saxoniæ Duci parentes sunt quatuor: Lubbena, Calovia, Gubena & Lucca. *Lubbena* ad Spream fluvium; qui inter urbem & Spreensem sylvam fluit, sita, in consessu urbium Inferioris Lusatiæ primum locum tenet. Anno 1631 post conflictum Lipsiensem à Cæsarianis incensa est; insequenti anno mense Iunio per decem dierum intervallum ter obsidione cincta & expugnata est. Exinde sævientibus porro bellic s tumultibus sæpius hinc inde partes commutavit, non sine acerbis suis damnis. *Lucca* non longe Calovia sita, anno 1642 à Suecis obsessa, in eorum potestatem tandem venit, honestas conditiones sibi & urbi pacto Gubernatore. Tanta equidem illi mulcta imposita, ut plures ex ea centuriæ colligi potuerint. Anno 1644 post iteratos conatus ab Enchefordio recepta est. *Gubena* ad Nissam fluvium quinque milliaribus Crossna dissita, olim Bohemiæ annexa fuit, nunc vero Saxoniæ Electorem ut dominum, agnoscit, qui illam cum quibusdam aliis Georgio Bohæmiæ Regi eripuit, & suæ ditioni adjunxit. Anno 1434 miserabili clade à rebellibus Bohæmis tota incendio devastata, & suorum civium sepulchrum effecta fuit. Anno quoque 1631 à Cæsarianis direpta, & anno 1642 Stalhansio Suecorum Generali post acrem defensionem dedita est. *Calovia* quarta ex Saxoni subjectis Lusatiæ Inferioris urbibus, Dobræ fluvio adjacet, quam anno 1642 Sueci subjecto igne incendio absumere voluerunt, Torstensonius autem conservavit, sceleratis illis partim in ignem conjectis, partim in furcam actis.

Oppida. Reliqua oppida sunt: *Finsterwald*, prope Sonnewaldam, anno 1642 à Suecis incendio deletum; *Forst* ad Nissam situm, Croatarum ibidem exercita crudelitate nomen in Annalibus meritum; magis tamen famosum fuit miraculo, cum anno 1638 Eques, qui lanioni 100 thaleros in vicina sylva abstulerat, & coram Commendante, ut vocant, se animam concedere velle diabolo, si id fecisset, perjuraverat, continuo ex omnium conspectu à diabolo ablatus est maximo cum adstantium terrore: *Kirchain* oppidulum in confiniis Misniæ, ultimis bellis incendio exhaustum est; *Luberas*, ad Spreënsem sylvam, situm oppidum; *Moska* in confiniis Superioris & Inferioris Lusatiæ; *Senftenberg* inter ea oppida numeratum, quæ bello Germanico sacras, publicas, & privatas ædes amiserunt, cui arx adjuncta, quæ contra Suecos à Cæsarianis anno 1643 defensa est; *Sonnewalde* ad Dobram fluvium situm, oppidum Comitum à Solms, anno 1642 à Suecis interceptum est, qui arcem præsidio firmarunt, unde postea oppidum incensum est, eodem tamen anno ad Electoris partes rediens; *Sora*, oppidum cum arce, inter Pribusium & Mus-


Muskam ad Nissam fluvium situm, anno 1641 à Suecis, inde 1642 à Cæsarianis, deinde iterum à Suecis, & ultimo iterum 1643 à Cæsarianis captum fuit. *Spremberg*, quasi Spreënberg, ad Spream fluvium situm est.

Fluvii.

Fluvii Lusatiam hanc irrigant, Nissa, Odera, Sprea, Dobra, & Gosta. Nissa, è Bohemiæ montibus emanans, qui inde per Lusatiam Superiorem, in hanc se effundit & Oderæ conjungitur, non longe Crosna Silesiæ urbe; *Odera* quoque illi latus claudit; *Sprea*, apud Schluchenam in Misnia ortus & Lusatiam omnem pervagatus, in Oderam se exonerat: *Dobra* porro & *Goila* Spreæ se miscent.

Sylvæ & montes.

Sylvæ in ea aliquot, & ex his primaria sylva *Spreënsis* dicta, à fluvio Sprea nomen habens: mons *Flemmingius* ex Saxonia Superiori in Lusatiam se extendit, magnam in ea partem occupans.



MARCHIONATVS BRANDENBVRGICVS.

Nomen.



Ocabulum *Marc*, ut antiquis æque, ac hodiernis temporibus, in Germanica lingua, *Signum*, seu notam quandam, imo ipsos fines, & limites regionum significavit, ita postmodum pro tota regione limitanea, imo tandem pro ipso Brandenburgici, aliorumque Territoriorum nomine proprio, usurpatum est. Antiquus autem Romanorum Marchionatus, seu Marchionatus Soltquellensis in hisce tractibus primus fuit, quem Claudius Drusus Nero, Tiberii Frater, circa undecimum annum ante, vel, ut aliis placet, post Christi nativitatem, ut coloniam Romanorum limitaneam, instituit; cum hic Principem Romanorum Clodium, fundatorem illum Clodiani, seu Castelli Clodii, hodie Gladigau dicti, primum Principem & conservatorem limitaneum Imperii Romani, seu primum Marchionem, hoc est, Iudicem, & Tutorem finium Romanorum contra finitimos Vandalos, aliosque populos inimicos crearet. Dehinc, exemplo Drusi, Ritmarus, & Hermanfridus, quorum ille Francorum, hic Thuringorum rex fuit, cum conjunctis viribus primo Romanos, postmodum Sorbos, & Vandalos, ex hisce regionibus rursum deturbassent, duas colonias limitaneas, vel Marchionatus instituere, iisque octodecim militum millia, quos Marcomannos appellarunt, imposuere. Et primus quidem Marchionatus Landsbergi juxta Salam, contra Sorbos, & alter contra Polonos, Landsbergi juxta Oderam, instituebatur. Hujus insignia erant gallus niger cum aureis pedibus, & rostro, in campo rubro; illius autem duæ lineæ ceruleæ retrorsum ductæ, in campo aureo. Atque ita Ritmari Regis filius, Sunno, primus Marchio Brandenburgensis factus est, quam civitatem jam dictus Ritmarus, anno 90, vel, ut alii produnt, 145 post Christi Salvatoris nativitatem, expugnavit, ubi Vitislaus Secundus, Regis Alarici Vandali Pater, occubuit. Tandem cum Henricus Primus, cognomento Bonus, vel Auceps, anno 920, è Saxonum familia primus Romanorum Imperator creatus esset, ac in hisce regionibus plurima fortia perpetrasset facta, Sigfridum Ringelshemiæ Comitem, primæ conjugis Mechtildis fratrem, anno 927, Marchionem Brandeburgicum, tanquam Sacri Romani Imperii in hisce tractibus Gubernatorem, & Principem limitaneum contra Vandalos, & alios hostiles populos, versus orientem, instituit, ac illi nova insignia tribuit, nempe aquilam rubicundam sanguineam, cum rostro, unguibus, & alis aureis in campo albo, ad denotandam sanguinolentam ejus futuram contra Vandalos pugnam, quos tamen fortes alæ aureæ, rostrum, & ungues depellere, & dilacerare deberent; imo quod Gryphes aquilam hanc non dilaniare possent, ut præcedentem nigrum Francorum Gallum. Primi autem, & veteres Marchiones ad eum finem instituti sunt, ut Gubernatores solummodo, imo Iudices, & tutores limitum essent, omnibus & singulis jus dicerent, bonos tuerentur, malos vero pœnis afficerent, imo incursus hostium averterent, & fines Imperii propugnarent. Tandem hoc fidei eorum ad tempus commissum officium pedetentim hæreditarium factum; ita ut hic Marchionatus postea in unam semper familiam sit collatus, & continuatus, præsertim tunc temporis, cum Imperator Otto Tertius eundem in Electoratum evexerat, & Marchionibus hisce potestatem tribuerat eligendi, cum aliis Imperii Electoribus, Romanum Imperatorem.

Origo & Institutio.

Insignia.

Marchionatus Brandenburgicus autem se cum suis regionibus, quas hodie in circuitu suo comprehendit, ad sexaginta milliaria in longitudinem protendit; aspicitque versus Occidentem Saxoniam, Misniam, & partim Megaloburgum; versus Septentrionem Stetinum, Pomeraniam, Cassubiam, Daniam, & Sueciam; versus Orientem Poloniam, & Silesiam; versus Meridiem Bohæmiam, Anhaltinatum, Lusatiam, Moraviam, & Austriam. Dividitur porro in Veterem, Novam, Mediam, & Vckeranam Marchiam: ac in circumferentia sua continet ditionem Cotbusiam in Lusatia Inferiori, ut & Peitzam, Bescoviam, & Storcoviam, tanquam pignus, Ducatumque Silesiæ Crossiam, cum Comitatibus Ruppina, Stolpa, Vierraden; & regiunculam Prignitz, cum tribus potentissimis Episcopatibus Brandenburgensi, Havelbergensi, & Lubusensi, in Marchia media sitis, ut & trans Oderam Satrapiam Sternberg, in finibus Silesiæ, & Poloniæ, ubi Magister S. Iohannis Ordinis Rhodiensis per Saxoniam, Pomeraniam, Marchiam, & Lusatiam sedem suam tenere consuevit. Ducatum Electoralem Borussiam, cujus Metropolis Regius Mons, à Polonis *Krolewiec* appellatus, hodie quoque, ut feudum Regni Poloniæ, possidet Elector Brandenburgicus; ut & magnam partem Ducatus Cliviæ, cum Comitatu Marchæ, & Ravensbergi.

Extensio.

Limites.

Divisio.

Ditiones comprehensæ.

Alias Marchiones Brandenburgici pro tempore divisi sunt in quatuor Domus principales, quarum prima est Electoralis Brandenburgica, altera Marchionum Anspachensium prope Noribergam, in finibus Franconiæ, & Bavariæ, tertia

Domus Brandenburgicæ divisio.

tia Culmbachensium, inter Vogtlandiam, & Franconiam, quarta Iagerendorfiana in Silesia, prope Moraviam.

Omnes hæ regiones, quanquam in plurimis locis arenosæ, tamen valde fructiferæ sunt, & variis ad navigationem pariter, ac piscatum commodis fluviis, ac amnibus instructæ; ut sunt Albis, die Elbe/ ab undecim fontibus, ex quibus in montibus Bohemicis, prope vallem Teuffelsgrund/ originem ducit, apud Germanos sic dicta; Odera, quæ ex Moravia, prope pagum Oderberg, haud procul ab urbe Olmitz, erumpit; Havela, quæ cis pagum Megalopolitanum Tornau, ex locis paludosis scaturiginem ducit; *Sprea*, alias à Suevis Senonicis, Mediam inhabitantibus aliquando Marchiam, Suevus dicta, quæ in Lusatia Superiore, duobus milliaribus ab oppido Bautzea, vel Budissina, juxta pagum Spreuberg exoritur; ac denique Varta, Boberus, Rhenus juxta oppidum Bellinam, Vquera, unde Vqueranæ Marchiæ nomen, aliique quam plures, de quibus in descriptione uniuscujusque partis Marchiæ principalis fusius agemus.

Fluvii.

Abundant quoque hi tractus nitidissimis, ac valde ingentibus urbibus, oppidis, monasteriis, pagis, arcibus, castellis, villis, aliisque ejusmodi ædificiis. In veteri Marchia solummodo 465 pagi numerantur; & hujus Metropolis est Stendalium, Mediæ vero Brandenburgum, Vandalis olim *Schorelitz* dictum, Novæ Custrinum, & Vqueranæ, *Brentzlo.* Ex his Brandenburgum cæterorum omnium caput existit, licet aulam suam Electores Brandenburgici jam plerumque Berlini, vel potius Coloniæ ad Spream celebrent. Vniversus quippe Marchionatus non solum denominationem suam ab hac urbe ducit, sed etiam inibi jus suum in causis criminalibus quærere, ac obtinere solet; cum à diversis Imperatoribus, Regibus, ac Principibus, multis immunitatibus ad eam rem prædita sit: quod utique Rolandus stricto gladio in nova urbe indicat. Et hoc jus Brandenburgo oppido, ob ejus vetustatem, maxime competit; nam oppidum vetus anno 416 ante Christi Salvatoris nativitatem à Brennone, Senonum, Celtorumve Principe, qui postmodum Romam expugnavit, ac vastavit; & Novum, anno 230, vel ut alii computant, 270, post Christi nativitatem, exstructum ac conditum est.

Vrbes, oppida, pagi.

Ceterum vinetis fere abundant, præsertim circa Brandenburgum, Berlinum, Coloniam juxta Spream, Francofurtum ad Oderam, Drossam, Bescoviam, & in Ducatu Crossen: ut & plurimis amœnis pratis, pascuis, sylvis, ac ericetis, ubi multæ feræ, præsertim cervi, apri, ursi, lupi, lepores, & vulpes passim inveniuntur. Tandem quoque hic in conspectum veniunt plurimi montes, & valles, variis herbis, floribus, radicibus, & aliis fossilibus præditi. Inter alia se offert nobilis herba *Scordium*, juxta Francofurtum ad Oderam, & Bescoviam, in pratis, & pascuis crescens; item radix illa aromatica *Galanga*, quam alii *Acorum*, sed contra Matthiolum, dixere, juxta Oderbergam, ad ventriculi, aliosque morbos valde conducens.

Soli indoles.

Germania.

Veteres harum regionum incolæ fuerunt modo Vandali, Slavones, Heneti, & Obetriti, modo Teutones, Gothi, Longobardi, & Suevi Senonici, modo Cimbri, Angeri, vel Angrivarii, Anarpii, & Burgundi, modo Romani sub dicto Druso, Imperatoris Augusti privigno, modo Sorbi, & Sarmati, quos Polonos jam dixeris, modo Sudeti, modo Cassubii, & Heruli, jam Mekelenburgici dicti, modo Francones, qui, circa annum à nato Christo 140, Vandalos ex illis depulere, modo Harlungi, jam Brisgavii dicti, quos circa annum Christi 789 Carolus Magnus Imperator in hasce terras eduxit, modo Saxones, sub Henrico Primo Imperatore, qui Vandalos in Marchia delevit, ac alii populi plures. Hi varios colebant deos ethnicos, de quibus in singulis partibus hujus Marchionatus separatim dicturi sumus. Hos inter erant præcipui *Zerneboch*, vel *Zornebok*, hoc est, *deus niger*; & *Suandewitz*, vel *Swantewit*: Hic erat supremus Deorum bonorum, à quo omne bonum fluere credebant; ille autem malorum, à quo omne malum, & omne infortunium procedere autumabant, & quia certissimum præ omnibus aliis responsum reddere solebat, Christianum hominem in ejus honorem immolabant, atque sic sanguine Christiano placari credebant.

Veteres incolæ.

Religio.

Hodierni incolæ, qui maximam partem à veteribus Saxonibus orti, adhuc hodie utuntur idiomate fere Saxonico, quin & veterum Saxonum mores ut plurimum observant. Quippe vitam fere degunt juxta veterem simplicitatem, & in ædibus suis paucis utuntur ornamentis; quamquam hodie magis, quam antea, liberalibus, aliisque artibus sint dediti, ita ut in hisce terris ubique multi docti inveniantur.

Incolæ moderni.

Nobiles, qui ex variis Germaniæ nationibus in hæc loca confluxere, eaque ubique ubertim incolunt, bella Principum externorum, siquando iis in patria sua destituuntur, maximo ardore frequentare solent, ita ut hodiernis temporibus multi inter eos fortes ac maxime celebres bellatores & exercituum ductores inveniantur. Cæterum rebus venatoriis valde dediti, atque venatum exercent non solum in suis propriis territoriis, sed etiam ipsum Electorem in venationem abeuntem magno numero sequuntur, ubi eundem quoque concomitantur multæ nobiles fœminæ, quæ ejusmodi exercitiis valde delectari solent.

Nobiles.

Familiæ hujus Marchionatus Nobiles præcipuæ sunt, *Bluhmentalia, Arnimia, Slaberdorfia, Burgsdorfia, Holtdorfia, Lochovia, Trescovia, Gadovia, Pinnovia, Dipovia, Gutenovia, Stechovia, Grabovia, Randovia, Holwegia, Platina, Wernstedia, Helbenia, Halberstedia, Molkenia, Plocheria, Capellia, Hohendorfia, Kohenbergia, Kehrbergia, Retsdorfia, Mollendorfia, Arnsbergia, Brodelenia, Slagetumia, Witstenkenia, Klodenia, Immecatena, Tribergia, Melbergia, Brunnena, Negedorfia, Schonermarkia, Karstedia, Einwinkelia, Einbekkia, Winterfeldia, Gartzia, Vittenia, Wagleinia, Klitzingia, Brusekkia, Hakia, Quastia, Wenksternia, Dusterena, Flausina, Wedelia, Sparena, Barfussia, Selia, Krusekkia, Kattenia, Krommesia, Bruncovia, Dolchovia, Kalbia, Greiffenbergia, Kalenbergia, Prodelena, Redekeinia,* Beie-

Familiæ illustres.



Marchionatus
BRANDENBVRGICVS.
Auth. Olao Iohannis Gotho, Gustaui Mag. R. S. Cosm.
Serenissimo ac Celsissimo Principi
FREDERICO GVILIELMO
D. G. MARCHIONI BRANDEBVRGICO,
S. R. I. ELECTORI et ARCHICAMERARIO,
Borussiæ, Iuliæ, Cliviæ, Montium, Stetini, Pomeraniæ, Cassubiorum, Vandalorum, et in Silesia Crossiæ, Carnoviæ ac Iagerndorfii Duci, Burggravio Norici, Rugiæ Principi, Marchiæ et Ravensbergii Comiti, Ravensteinii Toparchæ, etc.
Tabulam hanc D.D. I. Blaeu.
MARE BALTHICUM
RUGIA INS.
MEKELENBURG
POMERANIA
MARCK
NEW MARCK
MITTEL MARCK
ALT MARCK
STERNBERG
CROSSEN DUC.
SAXONIÆ PARS
LUSATIÆ PARS
SILESIÆ PARS
POLONIÆ PARS
DUCAT. BRUNSVIC PARS
LUNEBURG DUCATUS PARS
COMIT. DANNEBERG
Milliaria Germanica communia
Milliar. Brandenburgica communia
Stralsund
Gripswalde
Wolgast
Anclam
Wismar
Rostock
Gustrow
Malchin
Parchim
Colberg
Stargard
Wollin
Cammin
Brandenburg
Magdeburg
Wolmerstet
Barleben
Anhalt
Barby
Wittenberg
Drisen
Grunenberg
Rugenwalde

Beieria, *Barlebia*, *Fordernia*, *Schulenburgia*, *Iagovia*, *Bismarkia*, *Alvenslebia*, *Luderitia*, *Borstalia*, *Lindstedia*, *Ballenstedia*, *Eikstedia*, *Grobbelena*, *Hopkorbia*, *Bellinia*, *Benernestia*, *Hunikia*, *Konigsmarkia*, *Pfalia*, *Sliebia*, *Meiendorfia*, *Wolfena*, *Krachtena*, *Reindorfia*, *Barbeia*, *Pentzia*, *Grevenitzia*, *Krennia*, *Rudgena*, *Rochovia*, *Krocherena*, *Woldia*, *Kercovia*, *Robbelena*, *Doblinia*, *Wagelena*, & aliæ quam plures.

Marchionatus Brandenburgensis Domini.

Septem autem Illustres Familiæ Marchionatum hunc Brandenburgicum ab ipsis initiis usque ad hæc tempora possederunt, ac rexerunt. Prima, nempe Ringelhemia, ortum suum traxit ex regio stemmate Wittekindi, ultimi Regis, ac primi Ducis Saxonum : altera ex Marchionico Stadensi, & Hertzfeldensium Comitum : tertia ex Comitum Plotinorum, & Marchionum Landsbergensium : quarta ex Comitum Ascaniæ, & Principum Anhaltinorum : quinta ex Palatinorum Rheni, & Ducum Bavariæ ; sexta ex regio Bohemico, & Marchionico Moraviæ : septima & adhuc florens ex Comitum Zolleranorum, & Burggraviorum Norenbergensium.

Comitum Zolleranorum prosapia.

Hujus Comitum Zolleranorum familiæ auctor & conditor est Petrus Columna, Italus, ex antiquo Bavarico, & Saxonico Guelforum stemmate, Engeræ, & Ringelshemiæ, per Comites Schirenses, ortum suum trahens; cujus familiæ nomen ab Italica arce Columna, vel, ut aliis placet, à columna illa, cui Salvator noster affixus loro cæsus est, Historici deducere solent. Orto enim inter Imperat. Henricos Quartum, Quintumve, & Pontifices Romanos Hildenbrandinæ factionis, vehementissimo bello, hic Petrus Columna, cum ea occasione Pontifici Pascali sese opponeret, ex Italia iterum ejectus, & in Germaniam profugus, ab Imperat. Henrico Quinto oppidis quibusdam in Suevia donatus est. Atque hinc accidit, ut ea occasione, & ab his Columnensibus duæ illæ potentes Domus, Habsburgia, Archiducum Austriæ, & Zollerena, hodiernorum Marchionum, & Electorum Brandenburgensium prosapiam referentes, quarum illa per quatuor fere secula Imperatoriam, hæc autem Electoriam ultra annos ducentos possedit, exortæ sint. Fridericus autem primus, Comes Zollerensis, ab avunculo suo, Imperatore Rudolpho Habsburgico, anno 1273, primus Burggraviatûs Norenbergensis hæres institutus est: & quintus ab hoc ordine ejusdem nominis postmodum ab Imperatore Sigismundo, anno 1415, in Comitiis Constantinensibus, præterea quoque Electoratum, Marchionatumve Brandenburgicum, tanquam donum hæreditarium, accepit, postquam eundem ab anno 1411, solummodo ut Imperatoris Præfectus, seu Gubernator, in hæc usque tempora rexerat. Atque ita ex veterum Catulorum, seu Guelforum ossibus, ac tumbis emerserunt Brandenburgici Electores numero ad præsentem Guilielmum Fridericum undecim, omnes florentissimi, ac potentissimi : imo sic Marchionatus Brandenburgicus rursus ad stemma Ringelshemium pervenit, cui antea, anno 928, ab Imperatore Henrico Aucupe, ut supra diximus, collatus erat.

Marchionum series.

Modo dictus Fridericus, quintus ordine Burggravius Noribergensis, ac primus Marchio, & Elector Brandeburgicus, magnanimus, ac valde bellax Princeps extitit. Fudit enim Hussitas, ac Bohemos, regiones circa Noribergam infestantes ac vastantes, imo ipsum postea Marchionatum bello petentes, & Strausburgum, Landsbergamque igne cremantes. Bella quoque gessit cum Ducibus Pomeraniæ, & Megalopolitanis; ac vendidit, anno 1427, Arcem Noribergensem cum Marchionatu Reipublicæ Noribergensium pro 1800000 florenis; item duas silvas pro 60000. Sedem suam habuit Angermondæ, ac Arneburgo maxime delectatus est. Verum civibus Coloniæ ad Spream, & Berlini tumultuare incipientibus, familiam suam Spandoviam transtulit, & Arcem Coloniensem ædificavit, ubi denique sedem suam fixit. Vxorem habuit Elisabetham Pulchram, Friderici I, Ducis Bavariæ, & Comitis Palatini ad Rhenum, filii Stephani Fibulati, filiam.

Fridericus II, ex voluntate Patris Friderici I, Electoratum adeptus est, quanquam frater ejus Iohannes, cognomento *Alchimista*, major natu extiterit. Hic Fridericus ob bellicas virtutes, resque gestas, Marchio cum ferreis dentibus nuncupatus est. Pomeranis enim cum tredecim Principibus fœderatis bellum intulit, dum jure Stetinensem Ducatum, tanquam sibi debitum, poscebat. Ius hoc nitebatur transactione inter Ludovicum Romanum, Electorem Brandenburgicum ex familia Ducum Bavariæ, & Barnimum III, Pomeraniæ Ducem, anno 1338, in Comitiis Francofurtensibus, inita. Verum hoc horribile bellum tandem, interponente se per Oratores Casimiro, Poloniæ Rege, pace terminavit, ac consensu Imperatoris Friderici III, primus se Ducem Pomeraniæ, Stetini, Cassubiorum, & Vandalorum, imo Principem Rugiæ scripsit, ac titulos hosce, & insignia, & quicquid præterea juris erat, familiæ suæ adjecit, successum posteris relinquens. Tandem filiis ejus morte in pueritia extinctis, sibi in Terram Sanctam proficisci proponebat, atque hinc fratri suo Alberto Electoratum tradidit, mortuus est anno 1469.

Hic *Albertus* est magnus ille suo seculo Bellator, quem ob incredibilem fere in præliis audaciam, cum pari felicitate conjunctam, Æneas Sylvius, postea Pius II, Papa Romanus, Achillem Germanicum indigetavit. Ab ipsa enim pueritia in armis educatus, pluribus ipse interfuit præliis, quam alii sui temporis Duces aut viderunt, aut legerunt : militavit in Polonia, pugnavit in Silesia, castra posuit in Prussia, hostes fudit in Bohemia. Nullus in Germania angulus fuit, quem non calcarit armatus. Duxit exercitus innumerabiles, prostravit ferocissimos hostes, expugnavit munitissimas urbes. Mœnia primus ascendit : monomachiam nunquam detrectavit, in martialibus ludis, quibus hastis concurritur, unus omnium repertus est, qui nunquam equo dejectus sit, nec ullo unquam damno affectus, cum tamen septies & decies solo tectus clypeo, & galea, cætera nudus, provocatores armatos equo semper deturbaverit. Cum

contra

contra Carolum Audacem, Burgundiæ, & Belgarum Ducem, eo seculo toti Europæ formidabilem, Novesium obsidentem, Dux bello quærendus esset, nemo in Germania reperiri potuit Alberto fortior, cujus etiam ductu, atque auspiciis Burgundionum ferocia contusa, & Imperium ab invasione liberatum fuit. Imo non solùm Achillem sagatum, sed etiam una Ulyssem togatum se præbuit. Controversiam enim Pomeranicam eo deduxit, ut Duces Pomeraniæ Stetinensem Ducatum, reliquosque in feudum reciperent à Domo Brandenburgica, & sibi suisque de successione, si masculus Ducum Pomeraniæ hæres deficeret, legitime caveretur, atque sic omisso bello, controversias suas transactione finire, quam persequi summo jure maluit. Imo leges Domus Brandenburgicæ fundamentales conscribi jussit; & auctor fuit pactorum hæreditariorum inter familias tota Germania illustrissimas, Saxonicam, Brandenburgicam, & Hassiacam.

Cum jam hic Marchio Albertus valde numerosam reliquerit prolem, factum est, ut hæc Brandenburgica Domus in duas potissimum partes divisa sit, ac primo quidem in Domum Electoralem Marchionum Brandenburgicorum, & in Domum Anspachensium in Franconia. Electoratum, & Marchionatum Brandenburgicum sibi servabat filius ejus natu maximus, *Iohannes* III, cognomento Magnus, quem, ob summam, qua pollebat, eloquentiam Ciceronem Germanicum dixere. Hic postmodum etiam, anno circiter 1491, ex transactione in possessionem accepit Ducatum Crosnensem in Silesia, cum quibusdam oppidis, à Iohanne, ultimo Sagensium, Glogaviensium, & Crosnensium Duce. Frater ejus Sigismundus sibi sumsit Vogtlandiam; Fridericus vero Marchionatum Anspachensem, seu Anolspachensem, & regionem prope urbem Noribergam. Hujus Friderici decimus filius, Albertus, ultimus ille Ordinis Teutonici Magister, primam Prussiæ Ducatus possessionem, consensu Regum, & Regni Poloniæ, nomine Ducis, ad se, & posteros suos transtulit. Ita ut hic Ducatus denique, cum Friderici mascula progenies, morte Alberti Friderici, defecisset, ad Iohannem Sigismundum Electorem, per nuptias cum Anna, primogenita Alberti Friderici filia, in solidum pervenerit.

Electorem Ioannem Magnum secutus est filius ejus *Ioachimus Primus*, & hunc *Ioachimus Secundus*, qui pace regionibus suis restituta, extinctisque vetustis, anno 1527, inter Pomeranos, & Marchicos odiis, contra juratum Christiani nominis hostem Turcam, qui tum gravis Hungariæ, & formidolosus Austriis, cum immenso exercitu incubabat, Solymannum, arma sua, & martios spiritus convertit. Testor patentes illos ad Danubium campos, in quibus virtute hujus Ioachimi Secundi multa Turcarum millia, & ipse Dux Cosanus, occubuerunt, tanta cum delectatione Caroli V Imperatoris, ut equestri cingulo Principem donaret. Imo toti postea expeditioni contra eundem orbis vastatorem, & flagellum Christiani nominis Solymannum, in Comitiis Spirensibus præfectus, furores late grassantis Tyranni compressit, & à Germania avertit. Quin & anno 1539, Religionem Lutheranam in Electoratum suum introduxit, ac postea, anno 1571, animam suam exhalavit.

Electoris Ioachimi Secundi filius, ac successor fuit *Ioannes Georgius*. Hic cum conjuge sua Sophia, Ducis Lignitzensium filia, procreavit *Ioachimum Fridericum*, qui primum Postulatus Brandenburgensium, Havelbergensium, & Lubecensium in Marchia Episcopus, postea anno 1566, post obitum Sigismundi patruelis, Administrator Archiepiscopatus Magdeburgensis, & Primas Germaniæ creatus, ac denique, Patre obeunte, in Electoratu successit. Hunc Ioachimum Fridericum subsecutus est *Ioannes Sigismundus*, qui ducta Anna, Ducis Prussiæ filia, Ducatum Prussiæ amplissimum pariter, ac Cliviæ nactus est. Hæc etenim Anna filia erat unica Alberti, primi Prussiæ Ducis, ex Domo Brandenburgica, qui Mariam Eleonoram, Guilielmi, Cliviæ Ducis, filiam, ea conditione duxerat in uxorem, ut siquando fratres ejus absque liberis morerentur, Ducatus Cliviæ, Iuliaci, & Montium, cum Comitatu Marcha, & Ravensbergo, item ditione Ravenstenia, Domui Brandenburgicæ accederent.

Electoris Ioannis Sigismundi filius, & successor erat *Georgius Guilielmus*, qui primò Ducatus Cliviæ, & Iuliæ, nomine Patris, & Matris, rexit, at postmodum, Patre obeunte, Elector factus est. Hujus filius, & successor est *Fridericus Guilielmus*, præsens Elector, ac Marchio Brandenburgicus, qui anno 1646 Loysam, seu Ludovicam, fortissimi illius Herois, Friderici Henrici Nassavii, Orangiæ Principis, filiam, duxit in uxorem, atque ita Brandenburgicam Majestatem cum Auriaca Celsitudine conjunxit.

Tituli Electorum & Marchionum.


Hi Electores seu Principes jamnunc appellari solent Electores, & Marchiones Brandenburgici, Sacri Romani Imperii Archicamerarii (quo titulo Imperator Fridericus Primus, cognomento Barbarossa, Electorem Albertum Vrsum, ex Anhaltinis Principibus ortum, ante 500 annos, additis novis insignibus Electoralibus, sceptro nempe in campo cæruleo, donavit) Magdeburgi, Borussiæ, Iuliæ, Cliviæ, Montium (quorum tamen portionem quandam Dux Neoburgicus possidet) Stetini, Pomeranorum, Cassubiorum, Vandalorum, nec non in Silesia, Crosnæ, Iagerendorfii, & Carnoviæ Duces (quamquam Iagerendorfium alius quidam ex hac Domo possidet) Burggravii Noribergenses, Principes Mindæ, & Halberstadii, Comites Marchæ, & Ravensbergi, Domini Ravensteni. Hoc titulo quoque alii Principes, ex hac Domo orti, utuntur, ita tamen, ut singulis regionum, quas reipsa possident, nomenclaturis additis, ab Electoris, ac Archicamerarii titulo abstineant.

In omnibus hujus Electoratus oppidis certi constituti sunt Iudices, à quorum judicio, ac sententia appellari potest ad Aulam, seu Auditorium Electoratus supremum, Berlini ut plurimum

mum celebrari solitum, ac ultimam pronuncians sententiam, ita ut ulterior provocatio ad Cameram Imperialem Spirensem minime concedatur, æque ac in Electoratu Saxonico fieri consuevit. Concessum tamen est, ut tam ipse Elector, quam subditi ejus, in causis prophanationem pacis publicæ concernentibus, coram dicta Camera Imperiali accusari possit.

Electoris Consiliarii, aliique ejusmodi summæ notæ officiis obstricti, gladio accincti ut plurimum incedere solent, ut & omnes fere Iurisconsulti, more per totam fere Germaniam communi. Quod civitatem Francofurtensem ad Oderam concernit, ea, quamquam Electorem, tanquam supremum suum magistratum, suspiciat, tamen in criminalibus causis jus dicere obtinuit; & incolæ ejus ab omnibus teloniis, quæ alias mercium nomine per totum Electoratum solvi solent, immunes sunt.

Cæterum hic Elector, ut Vasallus, ob Electoratum Imperatori Romano, & ob Borussiam, Regi Poloniæ subest.



MAR-

MARCHIÆ VETERIS DESCRIPTIO.

Fines.



Archia Vetus exordium ducit à Saltu Lunæburgico, & pertingit usque ad Albim flumen; finesque ulterius extendit ad Archiepiscopatus Magdæburgensem, & Halberstadensem, item Brandeburgum, & Mechlenburgum usque; ita ut eam, ab Oriente usque ad Septentrionem, Albis fluvius, quà à regione Hiericho, & Episcopatu Havelbergensi divellitur; versus Meridiem vero fluvius Ora, & Archiepiscopatus Magdeburgensis; & versus Occidentem, Septentrionemque Ducatus Brunsvicensis, & Lunæburgensis, circumcingant. In latitudinem, longitudinemque ad septem, vel octo circiter milliaria se extendit; & septem oppida comprehendit, nempe *Stendaliam*, *Soltquellam*, *Gardelegiam*, *Sebusium*, *Angermondam*, *Osterburgum*, & *Varianum*.

Extensio.

Oppida.

Stendalia est Marchiæ veteris metropolis, juxta Vchtam flumen, in Orientali regione, Balsamer-land vulgò dicunt, sita; quam Henricus Auceps, anno 920, aliis 1151, condidit. Quatuor templis parochialibus, multisque turribus ornata conspicitur. Templum cathedrale, S. Nicolai appellatum, fundavit, anno 1187, Marchio, & Elector Henricus secundus, Osterburgi Comes, idemque postea confirmavit Papa Celestinus Tertius. Hic dictus Henricus Marchio ipse Canonicum egit, ac in hoc templo, anno 1332, sepultus est. Episcopatum quoque in hac Veteri Marchia instituere annitebatur, verum à fratribus suis, Ottone secundo Electore, & Alberto secundo impeditus, à proposito destitit. Cæterum hoc oppidum olim tantum pagus arce, ac foro præditus fuit, ab Angrivariis primum conditus.

Soltquella, Germanice Saltwedel/ item Saltzwedel dicta, à Longobardis, veris Marchiæ Veteris Suevis, qui Solem pro deo suo æstimarunt, ac venerati sunt, tanquam Fanum Solis, ubi Solis statuam seu imaginem coluerunt, anno 318 ante Christi nativitatem, juxta Iezam flumen, primitus exædificata fuit. Post ea tempora Claudius Drusus Nero, oppugnato, & expugnato veteri oppido Soltquellensi, novum condidit Fanum Solis, quod hodie vetus oppidum appellatur, addita arce, seu turre. Imperator autem Henricus, Auceps dictus, idipsum spaciosius ac magnificentius reddidit, novumque, ut hodie dicitur, oppidum superaddidit; ita ut Soltquella adhuc hodie duas civitates, novam & veterem, comprehendat.

Gardelegia, vulgo Garleben dicta, nomen suum accepit à *Garda*, hoc est, *Custodia legionum* Romanarum. Nam cum modo dictus Drusus castra sua in hisce regionibus posuisset, inibi parvum exstruxit oppidulum, quod Romani *Gardalegionam Claudii* vocarunt, ex quo postmodum successu temporis urbs hæc exorta. Quin & idem Drusus ibidem, juxta confluentem seu commissionem amnium, ubi vetus Isidis Fanum, quod Isauburg vocarunt, veteres Teutones ædificaverant, castellum firmissimum erexit, servato antiquo Isenburgi nomine. Rustici vero illud ipsum die Isern/ & Vandali, cum postea hic multum temporis illud obsidendo insumerent, ac minime expugnare valerent, die Ysern Schnippe/ hoc est, *Os ferreum*, vel *fauces ferreas*, vocarunt.

Sebusia, vel proprie *Senhusia*, quasi dicas *Senonum domus*, ab antiquis Senonibus, qui in hisce locis domicilia sua, sedesque habuerunt, circa annum 400 ante Christi nativitatem, juxta Alandum flumen, ædificatum, atque ita dictum fuit. Monasterium hic Prædicatorum Marchio ac Elector Iohannes primus instituit.

Angermonda, seu *Tangermonda*, à fluvio *Angera*, seu *Tangera*, quæ juxta hoc oppidum in Albim se effundit, sic dicitur; vel, ut aliis placet, ab *Angrivariis* Suevis, quos postmodum *Angeros*, vel *Engeros* nuncuparunt, quique hoc oppidum, cum arce Angera, circa 400 ante Christi nativitatem annum, in Terra Angerorum, ædificasse creduntur. Aliqui quoque tradunt, Romanos vetustæ arci Angermondæ, juxta Tangeræ os, vel ejus effluxum in Albim, prima fundamenta posuisse, ac ab *Angera*, dea Romana, id nominis imposuisse. Anno 1373 vendidit hanc urbem, cum tota Marchia, Imperatori Carolo Quarto ejus gener Otto, Comes Palatinus Rheni, ac Dux Bavariæ, Brandenburgique Marchio, pro 20000 florenis Hungaricis. Hic enim Imperator in hac urbe quam libentissime habitavit, atque hinc etiam, anno 1376, arcem hic exstruxit magnificam, ubi postea aulam suam celebravit. Quin etiam tunc temporis Templum illud ædificavit, quod adhuc hodie Caroli Capellam dicunt, ac eodem fere modo, ut divi Wentzelii Capella in Arce Pragensi Herschina, gemmis, margaritis, ac auro exornatum est. Templum autem S. Stephani fundavit Marchio Henricus secundus, anno 1185, qui & urbem majorem, ac ampliorem reddidit, ac munimentis firmavit. Anno 1415 eandem donavit Imperator Sigismundus Friderico Quinto, Noribergæ Burggravio, ob merita, ac fidelitatem suam, quam Imperatori contra Hussitas, ac Bohemos præstiterat, illique anno 1417, in Comitiis Constantinensibus, in feudum dedit. Ab hoc Friderico descendunt hodierni Marchiones Brandenburgici.

Septentrio.

MARCHIONATUS BRANDENBURGICI PARS, quæ MARCHIA VETUS, Vulgo ALTEMARCK, dicitur.

Milliaria Germanica

Meridies

Occidens.

Oriens.

32

Osterburgum, vulgo *Castellum Ostorum*, quod in angulo Regionis Orientalis, seu Balsaminæ, ex opposito Albis, situm est, ubi Vchta, & Bisa, ac infra Alandus, amnes concurrunt, cum Comitatu suo, ab *Osten*, hoc est, ab *Oriente* sic dicitur.

Varianum, seu *Castellum Vari*, à Romanis sic dictum, supra nominatus Drusus, in memoriam Ducis Romanorum, Vari in Senonum terra, primitus ædificavit, ac Imperator Carolus Magnus postea rursus innovavit; Imperator autem Henricus Auceps denique muris cinxit, ac Werben vocavit. Ex hoc enim loco hic Imperator victoriam contra Vandalos se partum iri credidit, quod etiam brevi post ita accidit. In eum quoque finem ingens propugnaculum prope Varianum, inter Havelam, & Albim fluvios, erexit, ac *Sige*, vel *Sigeberg*, hoc est, *Montem Victoriæ* dixit. Atque hoc nomen campo transalbino adhuc hodie reliquum mansit.

Oppidula. Iuxta hæc septem hactenus enumerata, ac descripta oppida, adhuc septem vici, seu oppidula minora, Flecken Germanis appellata, in veteri conspiciuntur Marchia, ut sunt *Arnburgum*, *Bisemarchia*, seu *Bismark*, *Bezendorfia*, *Buchia*, *Golba*, *Apenburgum*, & *Gartovia*.

Arneburgum, alias *Aquilarum Castellum* dictum, Drusus primum fundavit, ut & *Galbam*, proprie *Kalbforda*, seu *Castellum Galbæ*, dictam, ubi Milda amnis in Bisam incidit; item non procul ab eo loco, ubi Ieza flumen exoritur, *Bezeddorfiam*, & *Apenburgum*.

Arces. Porro in eadem Marchia 14 arces, quæ adhuc hodie incoluntur, sese offerunt, nempe *Angermondæ*, *Arneburgi*, *Gardalegiæ*, *Galbæ*, *Soltquellæ*, *Bezendorfiæ*, *Apenburgi*, *Gartoviæ*; ut & *Burgstal*, *Aulosen*, *Kemke*, *Vchtenhagen*, *Klotzen*, & vetusta ac magna arx *Swartzlosen*; item septem aliæ vastatæ, ut *Osterburgum*, *Clodianum*, *Tholona*, *Schulenburgum*, *Goldburgum*, *Falkenburgum*, & *Cripa*, cum veteri *Gartitzke* prope Gartz. *Clodianum*, seu *Castellum Clodii*, Principis limitanei, hodie Wadigau dictum, unde *Silva Clodii*, vernacule der Klei/ non procul Zervesto sita, id nominis accepit, idem Drusus ædificavit. *Tholona*, Germanice die Tolle/ vel Tohle/ in saltu Gardalegiaco sita, ab Angrivariis fundata est.

Monasteria. Monasteria monialium quinque habuit, ut *Disdersiam*, *Dambeckam*, *Crevesejam*, *Neodorfiam*, & *Arentseiam*, quod Marchio & Elector Otto Primus, Princeps Anhaltinus, anno 1194, fundavit; ut & adhuc duo Stendaliæ, Monasterium S. Catharinæ, & S. Annæ, unumque Soltquellæ. His annumerantur & quatuor Monasteria Monachorum mendicantium, Stendaliæ, Soltquellæ, Angermundæ, & Sehusii. *Pagi.* Quod denique pagos concernit, quos Marchia vetus in circuitu suo complectitur, illi ad 465 numerantur.

Divisio. Veteres Marchiam hanc in quatuor partes, seu regiones divisere, primum in Orientalem, nempe terram Balsaminam, vernacule das Balsamerland/ seu Ostland dictam, quæ versus Orientem est sita, ac in circuitu suo comprehendit Stendaliam, Arneburgum, Osterburgum, cum Comitatu ejusdem nominis. Deinde in partem Meridionalem, nempe Terram Angerinam, die Langer/ vel das Angerland dictam; in hoc tractu conspicitur Angermonda. Porro in Septentrionalem, quæ est Terra Senonum, das Senland dicta, quam veteres Senones incoluerunt, & Regio illa, die Wische dicta, ubi ager tam præstans invenitur, ut sæpenumero sedecim equi unicum aratrum trahere cogantur; atque in hoc tractu situm est Varianum, cum pascua Lentziaca, quam vulgo die Leutziste Wische dicunt. Ac tandem in partem Occidentalem, nempe Terram Zermondanam, vulgo das Land zu Zermund/ ab amne Zerna sic dictam, vel Terram & Marchiam Soltquellensem, quæ vera vetus Romanorum Marchia est, unde totius Marchiæ nomen exortum. Has quatuor partes secat ac dividit Terra Bisana, vulgo das Bisentahl/ quam amnis Bisa alluit, & tanquam cingulum circumcingere videtur. Cæterum quod statum ac regimen Ecclesiasticum attinet, tota hæc Marchia ab antiquis rursus in duas partes dispertita fuit. Quippe quod cis Bisam situm fuit, annumerabatur Ecclesiæ Halberstadensi, & quod trans fluvium eundem inventum, Episcopatui Werdano. Hodie vero secundum septem supra enumerata oppida, in septem circulos dividitur.

Fluvii. Amnes, ac fluvii, qui Marchiam veterem tam alluunt, quam pererrant, sunt *Albis*, *Angera*, *Tholona*, *Vchta*, *Balsamus*, *Cripa*, *Milda*, *Bisa*, *Ieza*, *Alandus*, *Rhenus*, *Zera*, *Hammaia*, *Euga*, *Sundera*, vel *Hunta*, *Ora*, aliique quamplures.

Angera, vel *Tangera*, item *Angra*, *Arangis*, & *Anagra*, ab Angrivariis Suevis, hujus fluvii accolis, sic dicta, oritur, ac se colligit ex locis palustribus ac bituminosis Silvæ Angeranæ, juxta pagos Malpful, Schonewalde, exiguum Schwartzlosen; abinde descendit Bellingam, Ebersdorfiam, Buchiam, Polsdorfiam, ubi Tholonam in sinum suum recipere conspicitur. Et hic fluvius *Tholona*, vernacule die Tolle/ seu Tohle/ originem suam ducit ex loco palustri juxta pagum Alten Rökten/ haud procul ab Alba specula, seque colligit ex rivis saltuum, ita ut uterque fluvius versus Episcopatum, *Clausa* dictum, tendat, atque abinde progrediatur versus Arcem & urbem Angermondam, ubi ambo in Albim incidunt. *Vchta*, vel *Huchta* exoritur pone pagum Narstede, in Oriente, non procul à pago Vincelberga, ex palude horribili, vulgo der Mörderpfuhl/ atque exinde versus ortum tendens, irrigat pagum Insel, Doblien, Warberg, & Stendaliam, quam circumfluit, atque una secat; postea se recipit ad saltum Stendaliensem, Tuncam, ubi versus Septentrionem se inclinans, juxta Eichstadium, rivum Balsamum recipit, qui ex agris circa Babiam, & Bertcoviam collectus, inibi nomen suum perdit. Eichstadio autem rursus tendit Lutkesuechtam, ubi Lutzendorfii, Brandenburgicæ Domus Pincernæ hæreditarii, habitare solent; ac fluvius hic cum *Cripa* se conjungit, quæ Peulinga, ex palude descendens, versus saltum, ac arcem nunc pene vastatam, Cripe dictam, progreditur. Hinc Vchta fluvius ulterius profluit versus Walsleben, & Vchtenhagen; atque huad procul à pago Dusdau, in illum exoneratur amnis *Schiltdorf*, qui ex loco palustri Wendeluk,

luk, non procul ab Osterburg, descendit. Tandem se confert versus oppidum Segwische, ad Osterburgios pertinens, ubi in parte oppidi Orientali in Bisam se recipit, ac nomen suum sub ponte Vchtano perdit. *Bisa*, quæ & *Beza*, vel *Basana* dicitur, exoritur non procul à pago Besewege, ex locis palustribus juxta Woldenhagen, Baden, Lindstede, atque inter pagum Neuendorf, & aggerem longum, inferius in Silva, *Mildam* recipit. Hæc originem suam debet loco seu areæ cuidam pagi vastati, **Hohenmilde** dicti, non procul à nova Electorali villa, seu domo venatoria **Nitzlingen** vel **Hirschburg**/ sitæ; atque cum tribus rivis vel fluviolis, nempe *Lausebach*, qui juxta Gardalegiam, & Genenitz, ante Dahnhorn exoritur, & *Reinbach*, à vetustis Suevis, qui, Rheno relicto, in hasce regiones commigrarunt, sic dicto, atque juxta pagum Ises, ex monte quodam, sub stirpe quercina, originem colligente, fluvioque *Weteritz*, qui versus Monasterium **Neuendorff** tendens, usque ad oppidum Gardalegiam progreditur; ubi omnes quatuor, juxta vetustissimam Romanorum arcem Isenburg, sese conjungunt, ita ut posteriores tres nomina ac brachia sua perdant, ac cum primo conjuncti solummodo Milda vocentur, quæ postmodum Bergam, aliosque ad pagos tendit, ac oppidulum & castellum Galbæ ad sinistram pręterfluit. Penes hoc castellum prolabitur Milda in Bisam, quæ dehinc ab Occidente in Orientem tendens, pagos Bisam, Bisentaliam, Spenningam, Erpensdorfiam, Ronbecam, Clodianum, Rossoviam, Schlichsdorfiam, non procul à monasterio Krevesee sitam, ac porro Zedoviam, Krumke, hoc est, castellum Centurionum, & oppidum Osterburg præterfluit, donec tandem prope oppidum Sehausen, per loca palustria, in Alandum se conjiciat. *Alandus* autem ex agris & pascuis se colligens, ab Oriente versus Septentrionem tendit, ac Robbeliam, & Varianum præterfluens, Vendemarchiam intrat, ubi versus Falkenbergam progressa, Bisam, uti dictum, recipit. Dehinc præterfluit Sehusiam, & pagos Vielbaum, Krugen, Holtzhausen, Ganseburg, Saltum, Nattewisch, Scharfenhune, Boltzgussen, & Lütken-wantzer, Stresau, & Snakenburg, ubi in Albim prolabitur. *Zera*, seu *Cæra*, vel *Cera*, à Cerere dea sic dicta, est brachium Bisæ, quod juxta pagum Rossau, in paludes saltuum se recipit. Huic accedit, ac se jungit ex palude quadam, non procul à lecto Heroum lapideo, hoc est, sepulchro Dominorum vel Principum à Zeren, profluens, ac pagos Kleinau, Buch, Kotzebu, & Einwinkel præterfluens fluviolus *Hammaia*, vulgo **die Hammai** dictus, à Iove procul dubio Hammone, vel ab hoc Hammone, & Maja simul. Hunc enim tanquam deum quondam illic venerati sunt; & idipsum testatum reliquit vetus illa Clausula, seu fanum Hammonis, quod ante paucos annos, prope pagum Kotzebu, adhuc videre licuit. Hoc Bisæ brachium, per multas aquas hinc inde confluentes collectum, tendit ad pagum Woldenberge, atque à rusticis hujus loci senioribus itidem *Balsamus* nominatur. Hinc progreditur versus Britzkam, Debitz, Hauwische, & Zeren pagum quendam, ubi nomen supra dictum Zere, vel Zern accipit, atque idipsum quoque terræ Zermondæ, quam alias Marchiam Veterem, vel Romanam, vel Soltquellanam dicere solent, una tribuit. Porro tendit versus Holtzhausen, Iegel, Gartz, Deutsch, Trosede, Bemezin; ubi in lacum quendam incidit, & ex hoc ulterius in alium, **der Raben-see** dictum, juxta **Neuendorff**/ imo ex hoc rursus in alium prope arcem Gartau, atque tandem versus Retzdorf tendit, ubi nomine immutato *Euga* vocatur. Denique se recipit ad pagum Mitznau, Wenksstediorum sedem, ubi in Albim se conjicit. Atque sic hic amnis, sub quatruplici nomine, nempe Balsami, Hammaiæ, Zeræ, & Eugæ, recta versus Septentrionem tendit, separatque Terram Zermundanam, à Terra Senonum. Cæterum nomen *Ceræ* huic fluvio à *Cerere*, vel *Zera*, Longobardorum dea, quam & *Zizam*, hoc est, *Mammosam*, *Altricem* dixere, iidem populi indidere.

Ieza, *Geza*, *Gaza*, vel *Iaëza*, exoritur non procul à pago Stemke, in arenoso quodam prææalto colle, ex veteri quercu, inter pagos Izrilop, & veterem Forsau, prope Reppin; ac tendit versus Dentze, & Damme, aream quandam veteris pagi, & templum desolatum, in quo idolum ligneum, quod *Gazam* deam dixere, quondam conspicere licuit. Vulgus plerumque **Sanct Vielhaar** appellavit, eo quod rustici idipsum pro pecude capillata, siquando ægrotaret, aut sterilesceret, invocarunt. Hinc ulterius pergit per vallem amœnissimam, multis herbis virtuosissimis, ac rivulis limpidissimis ab utraque parte ex montibus descendentibus præditam, versus Immekaten, ubi auratas, variolos, truttas, aliosque ejusmodi pisciculos nutrit; ac porro Bergam, Ristet, Geben, ubi in piscinam quandam, Stolpe dictam, se projicit. Ex hac piscina recta progreditur versus Beizendorf, à **beitzen** hoc est venari, vel Gezendorf, à Gaza dea, sic dictum, atque sic ulterius versus Audorf, ubi *Zunderam*, seu *Huntam* fluvium recipit, qui descendit à domo Klotzen, inibique se colligens ex aquis montium, Apenburgum præterlabitur. Hinc procedit versus Kuhfeld, & vetustissimum Monasterium Dambeke; dehinc Soltquellam perlabitur, ac arcem Wustrau præterfluens, tendit versus Litau, Hitzgohe, vel Hitzakker, ubi in Albim sese exonerat. Atque sic Geza ex Occidente sese incurvat versus Septentrionem, ac Orientem.

Ora, seu *Hora*, vel *Hortella*, oritur juxta pagum Ordorf, in Ducatu Lunæburgico, tenditque versus Bruhme, Stemke, & Silvam trementem, vulgo **den freien Tremling**/ in qua se prorsus in terram abscondit, eamque subtercurrens, prope pagum Miste se rursus videndam offert, atque sic Kalbfordam, Haldenslebiam, & Wolmerstadium pergit, ubi se in Albim projicit. Itaque Ora ab Occidente versus Meridiem, fines veteris Marchiæ, Archiepiscopatus Magdæburgensis, Ducatus Lunæburgensis, & Brunsvicensis pererrans, hasce regiones à Veteri Marchia dividit.

Siquando horum, aliorumque fluviorum vetusta nomina perpendimus, certe videbimus, eos plerumque à vetustis gentium diis ea accepisse,

Dii gentium.

pisse, quos antiqui harum regionum incolæ invocarunt, ut erant; *Lucina*, *Velleda*, *Aurinia*, *Isis*, *Ora*, *Hera*, *Sol*, *Ceres* seu *Zera*, *Zizas*, &c. Atque ab illis adhuc hodie multæ herbæ nomina sua vernacula servant, ut **Isenhaar**/ vel **Iserhaar**/ **Orant**/ **Aurin**/ **Venushaar**/ **die Ammen**/ **oder Hammens-kreuter**/ **die Lamiben**/ **oder Lumikenkreuter**/ **die Zitzenhaar**/ **Zizen**/ **oder Zist-kreuter**/ **Sonnenschös**/ **Sonnenwende**/ aliæque ejusmodi, quæ in medicina maximas obtinent virtutes.

Cæterum hanc Veterem Marchiam, cum regio sit ad sanitatem valde conducens, & frugum, pecudum, herbarum, eduliorumque omnis fere generis maxime fertilis, aliqui Galilæam Germanicam appellare soliti sunt.

Incolarum indoles.

In urbibus, & oppidis multi inveniuntur viri docti, qui sapienti consilio, ac opere indefesso rempublicam valde juvant. Ruri rusticus agros colit, & pecudes educat summo suo commodo: ac nobiles partim prædia sua incolunt, fructibusque quas reddunt, vivere solent, partim bellum sequuntur, ac martialia sua ingenia ita exercent, ut multos invenias, qui ad summum honoris fastigium pervenere. Incolæ olim vere Germani, valde probi, simplices, honestatique maxime dediti fuere, quamquam alias rudes, ac in communi vita moribus inconditis; quippe qui nullam magnificentiam, ac fastum in ædibus suis curarunt, parvis contenti. Atque hinc est, quod Veteris Marchiæ incolas rudes, ac rusticitatis studiosos appellarint. Verum enim vero hodiernis temporibus, rusticitate deposita, aularum munditiem pariter ac mores induunt, ac proximarum gentium civilitatem imitantur.

Nobilium numerus & origo.

Cur autem hæc regio tantum Nobilium nobis exhibeat numerum, inde vel maxime processit, quod non solum Imperator Henricus Auceps, in bello Marchico contra Vandalos suscepto, omnes suos Aulicos, & asseclas, imo milites ipsos nobilitarit, eos sic alloquens; **Adel**/ **Edel**/ **Eidhalt**: sed etiam multos Nobiles è Saxonia, Franconia, Belgio, Gallia, aliisque locis ortos, ac bellum secutos, huic Veteri Marchiæ, tanquam præsidiarios, imposuerit, ita ut ex his quam plurimi postmodum sedes suas penitus hic elegerint, numeroque incolarum accenseri voluerint.

Vrbium insignia.

Quin & idem Imperator eodem tempore suis dilectis Veteris Marchiæ civitatibus Aquilam rubram, tanquam communia insignia, largitus est; cum antea non nisi baculis, ligulis rubris, nodis peculiaribus, ac sanctis, suis Patronis, in sigillo usi sint. Stendaliæ attribuit aquilam rubram duobus viridibus smaragdis insistentem; quod tamen postea in semiaquilam cum quatuor granis hordeaceis mutatum. Soltquellæ dedit semiaquilam cum clave, nempe veteri urbis parti, novæ vero aquilam duas claves unguibus tenentem. Gardelegiæ rursus semiaquilam, cum tribus statuminibus lupulo circumcinctis. Sehusiæ aquilam coronam in capite gerentem. Angermondæ solam aquilam rubram: Osterburgo aquilam rubram arci aut castello insidentem. Denique Variano aquilam Lunæ insistentem, ad indicandum, quod ex urbe Variana pax contra Vandalos sit parta, & Brandenburgum expugnatum.

MAR-

MARCHIA MEDIA.

Situs.



Archia Media, in meditullio Marchionatus Brandenburgici sita, ad viginti octo milliaria, tam in latitudinem, quam longitudinem, se extendit; ac ab altero Albis latere incipiens, usque ad Viadrum excurrit, Havela insimul, Sprea, & aliis fluminibus irrigua. Hæc olim Suevorum sedes fuit; ac hisce temporibus multis haud spernendis oppidis, vicis, foris nundinariis, arcibus, ac monasteriis ornatur. Oppidorum caput, & Metropolis est Brandenburgum, fluento Havelæ in duas partes, nempe in veterem, & novam urbem, separatum, & distinctum. In hoc conspicitur Templum Cathedrale seu Episcopale, cujus locum olim *Arx Brandonis*, Francorum Ducis, ac primi hujus urbis conditoris, occupavit, ac ubi Primislaus, Vandalorum rex, templum, in honorem Divæ Virginis Deiparæ, ante obitum suum, ædificavit, inibique anno 1142 sepultus est. In hoc quoque templo idolum triplici facie erectum, quod Vandali Triclaf dixere, quondam conspiciebatur. Montem proxime adjacentem Carolus Magnus Imperator, anno 789, ubi oppidum hoc expugnaverat, & occupaverat, Harlungis, sive Brisgaviis habitandum tradidit: circa hoc quoque tempus quicquid Vandalorum in Marchia reliquum erat, Religionem Christianam amplectebatur. Post ea autem tempora Brandeburgum adhuc multas obsidiones passum, nempe sub Imperatore Ottone primo, cujus frater Henricus, Bavariæ Dux, illud expugnavit; deinde anno 1020, Mistovæo, Vandalorum rege, qui Marchionem ac Electorem Didericum Secundum ex Marchia expulit; quam tamen haud ita longe post Elector Udo Primus recuperavit. Quinque annis autem elapsis, nempe anno 1105, Electoratum possidente Marchione Udone Secundo, Brandeburgum à Vandalorum rege Primislao Primo rursus obsessum, & occupatum est. Hic urbem per viginti tres annos continuos possedit, quibus elapsis Saxones eum expulere; sed mox recuperatam usque ad vitæ finem servavit: ubi eam Marchio Albertus Ursus hæreditario nomine accepit, ac cum posteris suis possedit. Cæterum multis & exquisitis privilegiis à plurimis Imperatoribus, ac regibus, suisque Principibus munita est, ut in generali totius Marchionatus descriptione satis fuse indicavimus. Non procul ab hac urbe se offert regio quædam, quam Havela fluvio cinctam, Terram Havelæ, **das Havelland**, vulgo nominant; item Monasterium Principale Leninum, Ordinis Cistertiensium, quod Marchio & Elector Brandenburgicus Otto Primus, Alberti Ursi Electoris filius, anno 1180 fundavit; & in ejus usum regiunculam illam, **die Hohe Zauche** dicunt, cum adjacentibus agrorum jugeris, quam à Primislao, Vandalorum Rege, postea in Baptismate Henrici nomine insignito, tanquam à filio suo lustrico, dono susceptionis acceperat, contulit. In hoc Monasterio plurimi Marchiones Brandenburgici, ex Anhaltinorum familia, sepulti jacent.

Brandeburgum Metropolis.

Urbes.

Cæteræ Marchiæ Mediæ urbes & oppida sunt Ratenovia ad Havelam sita, Spandovia munimentum prope Spream, Berlinum, Colonia, utraque itidem ad Spream sita, & ponte conjuncta, Francofurtum ad Oderam, Brietza fidelis, Belitz, Bernovia, Bellina ad Rhenum, Mittenwalda, Monachoberga, Bisentalium, Blumberga sub Episcopatu Brandenburgico sita, Bœtzovia cum arce, Bucovia, Deltovia, Deubitz cum arce, ad Dominos à Schenken pertinente, Falkenhagia, quæ quondam itidem arce conspicua, in qua Domini, ut vocarunt, Templi habitarunt, *Freienwalda*, & *Oderberga*, ubi Marchio & Elector Albertus Secundus, ex Anhaltinorum familia ortus, in meditullio Oderæ arcem ædificavit, quæ hodiernis temporibus est Telonium exigendis vectigalibus inserviens; item *Fridlandia* cum Monasterio virginum Vestalium, *Frisachia* ad Rhenum, in regione ejusdem nominis sub Episcopatu Brandenburgico, *Gereswalda*, *Grimnitia*, *Gruneheida*, *Grunewalda*, & *Koppenicum*, quibus quatuor singulis singulæ Domus venatoriæ, ad Electorem spectantes, cum totidem arcibus, additæ sunt, *Hechelberga*, *Landsberga minor*, cum vetusta arce, quam quondam Marchiones, præ timore à Vandalis illis incuti solito, inhabitarunt, indeque Landsbergici dicti, *Lichena*, *Libenwalda*, cum Domo venatoria, quam Marchio Ioannes Primus, & Otto Bonus, fratres, circa annum 1254, ædificarunt; *Naven*, *Putstam*, cum arce, *Neostadium*, *Eberswalda*, cum Monasterio Ordinis Cistertiensium principali *Corin*, quod itidem anno 1254, Elector ac Marchio Ioannes I fundavit, ac in eo sepultus est; *Mulrosa*, *Saarmonda*, *Schonbeca*, cum Domo venatoria, ab eodem Marchione eodem anno ædificata, & Monasterio à fratre hujus Marchionis Ottone condito, ubi quoque hic Marchio sepultus est; *Trebina*, *Werdera*, *Bernawicha*, *Zossa*, cum arce, *Stendalia*, *Suet*, quod ante vastationem *Landskrona* dicta, postea nomen *Suet* vel *Sweet*, accepit, quia hostes obsidentes obsessi irriserant, quasi nondum sudarent; ac denique *Vierraden*, cum Comitatu, ad Pomeranos olim pertinens, *Writzen*, haud procul ab Odera situm, & *Litza* cum territorio adjacenti haud exiguo.

MARCH. BRANDENBURGICI PARS, quæ MARCHIA MEDIA Vulgo MITTELMARCK audit.

Amstelædami, Excud. Joannes Blaeu.

Milliaria Germanica.

Septentrio.

Meridies.

Occidens.

Oriens.

PRIGNITZ.

RAPPIN COMITATUS.

UKER MARK.

NEW MARCK.

LANDT RINOW.

LANDT FRISACK.

GLIN LANDT.

LANDT ZUCK.

ARCHIEPISCOPATUS MAGDEBURG.

SAXONIÆ PARS.

LUSATIÆ PARS.

STERNBERG.

CROSSEN DUC.

Berlinum.

Berlinum, ubi hisce temporibus Electores Brandenburgici plerumque aulam suam celebrare solent, ab Electore Marchione Alberto Urso, ex Anhaltinorum familia orto, id nominis accepit; quippe qui hoc oppidum, anno 1140, primus condidit, vel, ut quidam scribunt, antehac conditum auxit, & ampliavit. Alii affirmare conantur, quod Berlinum ab ursis, hasce regiones quondam maximo numero incolentibus, nominatum, ac à Ioanne Primo, ex Anhaltinis Principibus orto, amplificatum, & munitum sit.

Colonia ad Spream.

Colonia, quam Sprea fluvius Berlino opposito separat, vulgo à *Carbonibus*, vel *Carbonariis*, in hoc tractu olim magna frequentia habitantibus, sic dictum creditur; aliis autem à Coloniis, hoc est, populis ex aliis in hasce regiones, terræ colendæ gratia, vel Berlino potius deductis, ac collocatis. Arcem hic Marchio ac Elector Fridericus Primus, Noribergæ Burggravius, ad compescendum civium tumultuantium impetum, primum condidit, ac postea Marchio Ioachimus Secundus maximis sumptibus de novo extruxit, ac magnifico apparatu ornavit, licet non perfecerit.

Francofurtum ad Oderam.

Francofurtum ad Oderam, quam Sunno primus, Clodomiri ex Francorum sanguine filius, anno 146, cum Francones acie ingenti confligentes, hic vado Oderam, unde & oppidum hoc nomen suum traxit, transirent, Vandalosque profligarent, una cum oppido *Sund*, primum condidit, limitanea est civitas versus Silesiam, regionem Sternbergam, Lusatiam, Poloniam, Pomeraniam, ac Novam Marchiam vergens. Anno 1253 eandem Gedinus ab Hertzberg, jussu Marchionis Ioannis Primi, & Ottonis Boni, Marchionis Alberti Secundi Anhaltini filiorum, à porta Oderæ vel pontis, usque ad portam Gubicam dilatavit, ac ampliorem reddidit, hancque partem superadditam oppidum superius, veterem autem, nempe illam à porta Oderæ, usque ad Lebusinam, inferius appellavit. Ad hanc autem dilatationem centum & viginti jugera insumpta, cum pratis trans Oderam sitis. Hunc tractum tunc temporis *Zwiselich* vocarunt; & modo dicti Marchiones ac Electores primo in animum insumserant, aliam ac novam urbem trans Oderam condere, quemadmodum idipsum ex literis quibusdam, in Curia Francofurtensi asservatis, videre est. Hoc autem oppidum olim Hanseatica, ac Imperialis civitas fuit, & adhuc hodie Lubecensibus, aliisque civitatibus Hanseaticis nullum vectigal persolvit. Quin & longe ante hæc tempora ibidem stapula celebris erat, multis privilegiis munita, quod nimirum omnes merces hic primum ex navibus exportarentur, ac deponerentur. Atque hæc privilegia modo dicti Marchiones confirmarunt, ut & tres illas nundinas, quarum primæ in Bacchanalia, diem nempe Dominicam, quam Reminiscere vulgo vocant, & alteræ in Dominicam à festo Margaritæ proximam, tertiæ vero in ferias Sancti Martini incidere solent. Anno 1506 eandem, consensu Imperatoris Maximiliani Primi, & Pontificis, Marchio ac Elector Ioachimus Primus, & Albertus, Archiepiscopus Moguntinus, & Magdeburgensis, Fratres, Academiâ ornarunt. Quin & huic civitati Marchio Ludovicus Senior, Comes Palatinus Rheni, & Bavariæ Dux, eximias immunitates attribuit, quo fidelitatem ejus remuneraret, quam illi, anno 1348, præstiterant, cum Principes Saxoniæ, Mechlenburgi, Pomeraniæ, Anhaltinatus, Brunsvici, imo ipse Imperator Carolus IV, & Otto Archiepiscopus Magdæburgensis, Landgraviusque Hassiæ, & Thuringiæ, hunc Marchionem gravissimis peterent bellis, & in hoc oppido Francofurtano obsiderent; ubi omnes fere totius Marchiæ civitates desciscebant, ac Molitorem Iacobum Rebock, tanquam Dominum suum, recipere volebant. Hic enim Molitor Marggravio Woldemaro, quoad corporis staturam, & gestus, valde similis, affirmabat se esse verum illum Woldemarum, qui in Terram Sanctam quondam profectus, atque nunc reversus; cum tamen ille Marchio ante viginti novem abhinc annos, anno nempe 1319, absque mascula prole, mortuus esset. Quin & postmodum multis aliis eximioribus privilegiis à Fratre illius Ludovici Senioris, Ludovico Romano, ac Imperatore Ruperto, Comite Palatino Rheni, Francofurtenses præditi sunt, ita, ut per totum Rheni tractum, terra & aqua, vectigalium immunes commercia exercere valeant. Ante omnia autem notandum, quod hic Francofurti, post Carthusianos, rivulus quidam se offerat, ex vinea promanans, ac omnia injecta lapidescere faciens.

Briza fidelis.

Briza fidelis, vulgo **die Trewe Brietze**/ itidem à fidelitate sua sic appellatum, quam, cum Francofurto ad Oderam, uti jam dictum, Marchionibus Brandenburgicis præstiterat, nempe Marchioni Ludovico Seniori, & Ludovico Romano, fratribus, Imperatorisque Ludovici Bavari, Comitis Palatini ad Rhenum filiis, cum anno 1348, ex Marchia fere expulsi essent.

Bernov[ia].

Bernovia, id nominis à Marchione ac Electore Alberto Urso, qui eam anno 1140 condidit, accepit, atque idem significat, ac **das Behren aue**/ hoc est, *Ursi terra*. In hoc oppido optima totius Marchiæ cerevisia coquitur, quæ in longe dissitas regiones portari solet.

Episcop[atus].

In hoc porro Marchiæ Mediæ tractu se offerunt tres Episcopatus, nempe Brandenburgicus, Havelbergicus, & Lubusensis. Brandenburgicus valde antiquus est Episcopatus, qui ab Imperatore Ottone Primo fundatus, ad Archiepiscopatum pertinet Magdæburgicum. Nonnulli scribunt eum fundatum esse ab Imperatore Henrico Primo, modo dicti Ottonis patre; alii Imperatorem Ottonem Tertium, circa 1100 annum, auctorem agnoscunt. In hoc Episcopatu situm est oppidulum *Zijeser*, ubi olim Episcopi aulam suam celebrarunt; ut & oppidula *Blumberga*, *Frisach*, & *Plaga*. Primus Brandenburgi Episcopus fuit Dulimus, circa annum 960. Hunc secuti sunt, Ioannes, Scotus, anno 1064; Didericus Primus, anno 1068; Didericus Secundus, anno 1070; Tarquardus anno 1072; Wigerus, decimus tertius in ordine, qui erat Abbas Ordinis Fratrum Præmonstratensium, tempore Primislai Vandalorum Regis, nempe circa annum 1142; Wilianus, decimus quartus in ordine, anno

Brande[n]burgicu[s].

anno 1144; Marchio Sigfridus, Electoris Brandenburgici Alberti Ursi filius, anno 1163, qui, postquam quindecim annos Episcopatum rexerat, anno 1178 Bremam vocatus est, ubi Episcopus sexennis mortuus est; Waldramus, anno 1190; Winricius anno 1192; Fridericus à Grafenek, Vngariæ Abbas, anno 1420, qui etiam antea, anno 1411, ab aliquibus Canonicis in Episcopum Augustanum electus, sed rursus ejectus est; Hieronymus anno 1506; & ultimus Ioachimus, Munsterbergæ in Silesia Dux, anno 1546, qui Episcopatu resignato, anno 1563 ex hac vita discessit. Hoc mortuo, Episcopatum accepit Marchio Ioachimus Fridericus, postulatus Brandenburgi Episcopus, ac postea Administrator Magdeburgensis.


Havelbergensis. Episcopatum Havelbergensem inter alios possedit Marchio Hermannus Brandenburgicus, Electoris Ioannis primi filius, ex familia Anhaltinorum. Sub hoc Episcopatu situm est oppidum *Witstok*, ex prælio Suecico hic ante aliquot annos commisso valde notum; ut & *Welsenacum*, olim ad sacrum sanguinem dictum; ac denique *Zechlina*, Arx Electoralis, quam olim Domini, ut vocantur, Templi inhabitarunt.

Lubusensis. Episcopatus Lubusensis unico milliari Francofurto ad Oderam distat, ubi oppidulum cum arce, Lubusia, ab uxore Ducis cujusdam Polonici Lubussa, sic dictum, conspicitur. Hoc à Mitzlao Duce Polonico, sub Imperatore Ottone Primo, anno 965, ubi Christianam religionem primum profiteretur, conditum, quondam ad Regnum Poloniæ pertinuit, & postea Marchionatui Brandenburgico incorporatum est. Episcopatus sub se continet triginta tres pagos, cum oppidis quibusdam, & arcibus, ut sunt *Furstenwalde*, ubi templum cathedrale cum castello conspicitur, item *Selovia*, & *Ioritium*, olim templo cathedrali ornatum, in regione Sternbergensi. Anno 1109 Sbignæus, Dux Polonicus, imperante Henrico Quinto, arcem ac oppidum Lubusiam expugnavit, & Henrico Comiti Aslaviensi, Archiepiscopo Magdæburgensi, dono dedit. Anno 1180 Gaudentius, Lubusensis Episcopus, jussu Casimiri Primi, Poloniæ Regis, Comitiis Polonicis, ut Vasallus, interfuit. Anno 1250, Marchio ac Elector Ioannes Primus, Princeps Anhaltinus, Episcopatum & ditionem Lubusensem à Boleslao Calvo, Henrici Barbati, Lignicensium & Crossensium Ducis filio, in Annalibus Polonicis emisse fertur. Anno 1295, sub Imperatore Adolpho, & Primislao Secundo, Poloniæ Rege, item Marchione Ottone Longo, Electore Brandenburgico, Conradus, Episcopus Lubusensis, Regis Polonici vasallus, & subditus fuit. Et anno 1368, inter Regem Casimirum Secundum, & Petrum, Episcopum Lubusensem, omnibus ditionibus à Rege exutum, tandem ita conventum est, ut Episcopus ditiones, quas ab antiquis temporibus sub regno Poloniæ possederat, servaret, sed Regem Poloniæ, ut Patronum suum, ac Tutorem, agnosceret. Verum anno 1469, Friderico Secundo Electoratum possidente Brandenburgicum, Fridericus Episcopus Lubusensis dicto Electori paruit, qui eundem quoque ad Regem Poloniæ, Casimirum III, ablegavit.

Quidam ex hisce Episcopis Lubusensibus, nempe vigesimus septimus, Didericus à Bulau, primus Academiæ Francofurtensis ad Oderam Cancellarius, & Conservator, Furstenwaldam civitatem, ab arce usque ad portam molariam, muro cinxit, & anno 1523 mortuus est.

Regiones Marchiæ huic accenseri solitæ. Cæterum huic Marchiæ Mediæ quoque annumerantur hi duo Comitatus, Ruppinensis, & Stolpensis; ut & regio Priegnicensis. In Ruppinensi Comitatu se offerunt oppida Ruppinum, cum arce vetusta Ruppinum vetus dicta, & *Granzoja*, cum Monasterio, item *Wusterhusium*. Extinctis autem omnibus ejus Comitibus hæreditariis, inter quos Wichmannus ultimus exstitit, hic Comitatus hæreditario jure ad Marchiones Brandenburgicos devenit. Comitatus *Stolpensis* nomen suum traxit ab oppido & arce Stolpa, circa annum 1254 condito. Huc quoque pertinet oppidum Angermonda Nova, sesquimilliari spacio ab Odera situm, quod vulgus **Ketzer-Angermünde**/ hoc est, *Angermondam hæreticam* appellavit, eo quod ab Hæreticis Bohemiæ Hussitis, anno 1429, sit occupatum. Conditum est anno 1254, à Marchione Ioanne Primo, & fratre ejus Ottone Pio. Olim ad Pomeranos pertinuit; sed Marchio Fridericus Primus Ducibus Pomeranis, Ottoni Secundo, & Casimiro Quinto, armata manu eripuit, ac Marchiæ Brandenburgensi incorporavit. *Priegnitium* vel *Prignissa* est vetus ac celebris regio, in finibus Meklenburgicis, & Saxonicis sita. Vrbes in ea celebriores sunt, *Perleberga*, *Pritzwalda*, *Kiritium*, *Lentzia*, ubi se offert Telonium Electorale ad Albim; & *Havelberga*, unde nomen suum Episcopatus Havelbergensis accepit: oppida vero minora sunt *Wittenbergula* ad Albim, Neostadium, Wilsnacum, Freienstenium, & monasterium Sepulchrum sacrum dictum; oppidulum item *Cremme*, ut & *Lindovia*, cum Monasterio. In hoc tractu olim habitarunt Cimbri, & Wilti, populi illi rapinis victitantes, & omnia circumcirca itinera minus tuta reddentes.

Tandem quoque Marchiæ Mediæ accensetur Monasterium *Lissa*, inter Magdæburgum, & Zervestam urbes situm, cum plurimis pagis subjectis.



MARCHIA NOVA.

Fines.



Archia Nova, à *Media* separatur Odera fluvio, in quem juxta Custrinum se exonerat Warta, ex Polonia Sonneburgum, in regione Sternberg situm, item Zandocum, & Landsbergam versus tendens. Hæc regio olim ad Dominos S. Iohannis Ordinis per Borussiam Teutonicos pertinuit, atque ab his vendita est, anno 1290, Marchioni Brandenburgico Ottoni Longo, qui etiam, ut nonnulli putant, Arcem in Borussia condidit, & Brandenburgum appellavit. Quin & aliquando Polonis, acceptis 10000 marcis Polonicis, pignoris loco eam tradidit Marchio Sigismundus, postea Imperator Romanus, & Rex Bohemiæ, Hungariæque, nempe anno 1403; sed reddita ejus summæ parte dimidia, nempe 500 marcis Polonicis, Marchionibus restituta est.

Extensio. Fines ejus imprimis Pomeraniam, & Poloniam attingunt; ac in circuitu suo viginti quatuor circiter milliaria complectitur. *Fertilitas.* Agris abundat frugiferis, item pascuis, piscatu, saltibus, molisque. Sub Marchionibus Brandenburgicis valde aucta est, præsertim sub Iohanne Ioachimi Primi filio, & Ioachimi Secundi fratre, qui *Oppida.* inibi urbem *Custrinum*, ejus sedem, ac hujus Novæ Marchiæ nunc Metropolin, ingentibus sumtibus innovavit, ac munivit, telonioque instruxit. Reliqua oppida sunt *Landsberga* ad Wartam fluvium, *Regius Mons*, vulgo Königsberg / ab Ottocaro, Rege Bohemiæ, postquam cum Ottone Longo, Marchione Brandenburgico, Borussiam expugnaverat & occupaverat, ad fluentum *Röriche*, anno 1255, vel, ut alii computant, 1266, conditum; item *Bernwalde*, & *Bernstein*, cum arce, *Bernoviola*, & *Berliniolum*, vel *Berlinum novum*, à Marchione Alberto Urso, anno 1140, fundatum, ac sic appellatum; porro oppidum *Arnswalde*, *Thama* municipium, seu vicus, *Soldina* quondam Metropolis, *Furstenfelda*, *Dramburgum*, *Drisena*, in finibus Polonicis, *Falkenberga*, oppidum cum arce, in finibus Pomeraniæ, *Frideberga*, *Himmelstadium*, monasterium Virginum, *Calisium*, *Curtovia*, *Lupena*, oppidula, *Margenwalde* monasterium, *Morina* oppidum, *Neoburgum* municipium, *Nurenbergula*, *Retza*, cum monasterio *Rhodis*, *Schiefselbein* oppidum, *Osemonda*, *Schonflies*, *Woldenberga*, *Schiltberga*, *Zedena*, cum monasterio virginum, *Zandocum* municipium juxta Wartam.

In hoc Novæ Marchiæ tractu inveniuntur parva *corallia rubra*, lapidesque pretiosi varii generis, nempe *æthites*, parturientibus mulieribus valde conducens, & lapis *Xisthus*.

Cæterum ad Novam Marchiam vulgo referre solent Regionem *Sternbergam* trans Oderam sitam, item partem quandam *Lusatiæ*, Dominium *Bescau*, & *Sterkau*, ut & Ducatum *Crossensem*.

Sternbergensis regio. *Sternberga* regio septem milliaribus in longitudinem se extendens, & ab oppido suo ejusdem nominis sic dicta, se extendit usque ad Poloniam, Silesiam, Novam, & Mediam Marchiam, à quibus Odera fluvio dirimitur. Metropolis est *Drossen*. Cætera oppida sunt *Sonnenburg* cum arce, ubi aulam suam celebrare solitus est Magister Ordinis S. Iohannis Hierosolymitani supremus per Saxoniam, Pomeraniam, Lusatiam, & Marchiam: item *Reppen*, *Spiegelberga*, *Zielentzig*, vetusta olim arce præditum, quam condidit Marchio, Otto cum telo, Elector, at postmodum Poloni vastarunt; *Goritium* ad Episcopatum Lubusensem pertinens, *Sandau*, & *Konigswalde*, oppidum & arx, in finibus Poloniæ.

Lusatiæ Pars. Pars *Lusatiæ* ad Marchionatum Brandeburgicum pertinens, quam solam sibi servavit Marchio Brandenburgicus Fridericus Secundus, cum, anno 1462, Regi Bohemiæ Georgio integram Lusatiam inferiorem traderet, est oppidum *Cotbus*, vel *Cotwitz* cum arce, item *Sommerfeld*, & *Peitze*, vel *Beutz*, ubi Iohannes, Marchionis Ioachimi secundi Electoris frater, anno circiter 1570, munimentum erexit.

Ditio Bescau & Storkau. Ditionem *Bescau*, & *Storkau*, vel *Sorkau*, ut pignus, possident Electores Brandenburgici, ab anno 1565; ubi eandem Marchio Iohannes à Dominis Biberstenianis & Soravianis primum accepit, ita ut posteri ejus adhuc hodie, consensu Regum Bohemiæ, quorum regno olim annumerata est, retineant. In hoc tractu se offert fodina aluminis admodum dives, quod inibi purgari, & divendi solet.

Ducatus Crossensis. Ducatus *Crossensis* in Silesia, ad regionem Sternbergicam, & ad Marchiam Mediam Francofurtum usque pertingens, olim ad Poloniæ, deinde ad Bohemiæ Regnum pertinuit, nempe conjunctus fuit cum Ducatibus Glogaviensi, & Breslaviensi, quos omnes tres, anno 1162, Conradus, Vladislai filius, solus possedit. Ad Brandenburgicos autem postea bis, nempe anno 1277, & 1484, tanquam pignus, pervenit, donec tandem, anno 1491, ultimus Crossensis, Glogaviensis, & Sagensis Dux Iohannes eundem, consensu Regis Bohemiæ & Hungariæ Vladislai, Marchioni & Electori Brandenburgico Ioanni Tertio, Electoris Alberti, Achillis Germanici dicti, filio prorsus in hæreditatem tradiderit; id quod, anno 1538, Ferdinandus, Bohemiæ, & Hungariæ, Romanorum item Rex, confirmavit.

Cæterum in hoc Ducatu duo tantum nominis cujusdam sunt oppida, nempe *Crossen*, cum arce ad Oderam, & *Zulictrium*, vulgo *Zulch* etiam arce munitum.



Septentrio.
MARCHIONATUS
BRANDENBURGICI
PARTES DUÆ,
NOVA MARCHIA
et
UCKERANA.
Auctore
Olao Joannis Gotho
Gustavo Magni Cosmographo.
Milliaria Germanica.
DUCATUS
MEKELENBURGI
PARS.
MARCHIA
UKERANA.
DUCATUS
PARS.
POMERANIÆ
NOVA
MARCHIA
POLONIÆ PARS.
COMITAT. RAPPIN PARS.
PARS
MARCHIA MEDIA.
Occidens.
Oriens.
Meridies.
Stargard
Prenslow
Templin
Angermund
Königsberg
Soldin
Landsberg
Custrin
Driesen
Arenswald
Kalis
Piritz
Bernow
Niestadt
Liebenwald
Zedenich
Strasburg
Paswalk

MARCHIA UCKERANA.



Archia Uc*kerana* nomen ſuum traxit ab ingenti lacu, Uc*kera* dicto, & ſeſe extendit à Marchia Media, & Nova, uſque ad Pomeraniam, ad cujus Ducatum olim pertinuit. Verum ad Marchionatum Brandenburgicum, per nuptias Marchionis & Electoris Iohannis Primi, ex Anhaltinorum familia, cum filia Barnimi primi, Ducis Pomeranorum, ac Stetinenſium, circa annum 1260, pervenit.

Metropolis hujus Marchiæ Vckeranæ eſt *Prentzlovia*, quam Vandalorum per Marchiam, ac Meklenburgum Rex, Primiſlaus, poſtea in Baptiſmate Henricus dictus, primus condidit, ac ex nomine ſuo ita nominavit, anno 1138; & poſtmodum anno 1275 ſupradictus Barnimus primus, Pomeraniæ Dux, dilatavit, ac majorem reddidit, inque duo oppida diſtinxit, nempe vetus, & novum. Nonnulli produnt, Marchionem Fridericum ejus nominis primum, Electorem Brandenburgicum, & Burggravium Noribergenſem, hoc oppidum Brenzlo, anno 1424, Ducibus Pomeranis, Ottoni, & Caſimiro, fratribus Germanis, armata manu abſtuliſſe, ac Marchiæ incorporaſſe. Monaſterium, quod inibi conſpicitur, ædificatum ac conditum eſt à Marchione & Electore Brandenburgico, Iohanne Secundo, ex familia Principum Anhaltinorum.

Reliqua oppida, & municipia ſeu vici, ſunt *Strasburgum*, *Templina*, *Angermonda Nova*, ad Welſam fluvium, *Leichen*, *Leuchenitium* cum arce in finibus Pomeraniæ; item *Granzovia*, ſeu *Kranzau*, *Potzovia*, *Petikun*, *Dotzenburg*, & *Wolfhagen*. *Vallis Ioachimi*, vulgo Jochimstahl / eſt Schola illuſtris, ab Electore Brandenburgico, anno 1607, inſtituta.



COMI-

COMITATVS RVPPINENSIS, ET DITIONIS PRIGNITZENSIS DESCRIPTIO.

Comitatus Rupp. finis.



Omitatus Ruppinensis, vel Rappinensis, ab oppido suo *Ruppien*, vel arce ejusdem nominis, dictus, in meditullio fere totius Marchionatus Brandenburgici, nempe inter Marchiam Vqueranam, Mediam, & Veterem, situs est, & parte reliqua Prignicense territorium, Ducatumque Mekelenburgicum aspicit. Regio est frugum omnis generis feracissima, pecorumque dives, ita ut nullius fere rei ad sustentandam hominum vitam egeat, præterquam vino. Ante centum, & quod excurrit, annos, Comitum Ruppinensium stirpe penitus extincta, quorum ultimi fuerunt, Ioachimus, Iacobus, & Wichmannus, qui improlis ex hac vita discessit, ad Marchiones Brandenburgicos jure pervenit, ita ut illi hunc Comitatum ad hæc usque tempora possederint.

Fertilitas.

Domini.

Oppida.

Metropolis ejus est *Ruppina*, vel *Rappina*, quæ alias etiam **Neu-Ruppien** vocatur, nempe ut eo melius distingui possit à veteri ejusdem Comitatus Arce, **Alt-Ruppien** dicta, quæ oppidum hoc ex opposito aspicit, & non nisi interjectu cujusdam fluvioli ab illo secernitur. Cætera oppida, & loca cujusdam nominis sunt, *Wusterhausen*, quod aliquanto magis versus territorium Prignicense, & Episcopatum Havelbergensem, non procul Neostadio, in angulo fere situm est; & *Granzoi*, cum Monasterio haud incelebri; item *Kremme*, prope Glinlandiam, versus Marchiam Mediam, & *Lindau*, haud procul à dicta arce **Alt-Ruppien**/ cum Monasterio quodam.

Ditionis Prignicensis termini.

Territorium *Prignicense* ex opposito Marchiæ Veteris Albim fluvium attingens, & ab hoc usque ad Ducatum Mekelenburgensem exporrectum, parte inferiori aspicit Comitatum Dannebergensem, & superiori modò descriptum Comitatum Ruppinensem. Vetus ac haud incelebris est regio, Comitatum Ruppinensem magnitudine superans, quamquam nullo alio, ac territorii, seu ditionis, titulo gaudeat. Magis in longitudinem, quam latitudinem porrecta cernitur, & ditionis est Brandenburgicæ. Equitum, Nobiliumque non solum splendore fulget, sed etiam optimis ornatur oppidis. Iuxta Havelæ fluvium, ex opposito Archiepiscopalis Magdeburgensis oppidi Sandau, ad Albim siti, se offert oppidum *Havelberga*, cum Templo suo Cathedrali summæ altitudinis, cui Episcopatus Havelbergensis nomenclaturam suam debet. Huic succedit *Witteberga*, vel *Wittenbergula* ad Albim, oppidum quidem exiguum, seu potius vicus, cùm portis & munimentis plane careat, tamen ob vectigal, quod naves Albim frequentantes, Electori hic solvere coguntur, optime notum; deinde *Perleberga*, oppidum Mediterraneum prope tractum illum, **die Deutsche Gotschau** dictum; & *Wilsenacum* non procul à dicto fluvio, inter Wittenbergulam, & Havelbergam situm. Reliqua oppida, & loca alicujus æstimationis sunt, *Freienstenium* in finibus Mekelenburgicis; *Stabenau*, vel *Stawekau*, versus Ducatum Mekelenburgensem, & Comitatum Dannebergensem prospiciens; *Pritzwalde*, vel *Preutzwalk*, in meditullio fere hujus regionis situm; Cœnobiumque **das Heilige Grab** dictum, in proximo aspiciens; *Kiritium*; & *Cumlosen*, pagus inter Wittenbergulam & Lenziam ad Albim situs, telonio celebris; item *Lentzen*, in angulo limitaneo ad Albim, cum telonio Electorali.

Situs.

Oppida.

Incolæ veteres.

In hisce tractibus olim habitarunt, seu potius circumvagati sunt veteres *Cimbri*, & *Wilti*, seu *Wilci*, qui omnia circumcirca loca rapinis, & latrociniis implevere. Et idipsum, juxta quorundam interpretationem, indicare quoque videntur eorum nomina. *Cimber* enim illis est, secundum veterem dialectum, quasi *raptor, homo rapax*; & *Wiltus*, seu *Wilcus*, quasi *Lupus*, **ein Wolf**. Quod tamen ego minime concesserim; cum non solum hi, sed etiam omnes illi antiquissimi populi adhuc sub ethnicismo in hisce regionibus degentes, admodum crudeles, & infrenes, imo plane ferini fuerint, ita ut minime mireris illos rapinis ac latrociniis deditos, alia negotia prorsus fere neglexisse. Verum hisce temporibus omnes hæ regiones in optima pace florentes, itinera satis tuta præstant, incolis tam in agris, quam oppidis, honeste, ac summo nisu victum, amictumque quærentibus.


MARCHIONATVS
BRANDENBURGICI
PARTES DUÆ,
RUPPIN
Comitatus
&
PRIGNITS
Regiuncula.
Auth. Olao Iohannis Gotho, Gustavo Magno Cosm.
Septentrio.
Meridies.
Occidens.
Oriens.
Milliaria Germanica.
DUCATUS - MEKE - LENBUR - GENSIS PARS.
PARS COMITATUS DANNE - BERG.
ALTE MARK.
ARCHIEP. MAGDE - BURG
MITTEL MARK.
LANDT RINOW.
LAND FRI - SACK.
GLIN LANDT.
Parleberg
Wittenberge
Wilsnach
Havelberg
Werben
Ofterburg
Stendel
Sechausen
Meyenburg
Myrow
Nien Rappin
Fehrbellin
Kremmen
Neuestat
Wusterhausen
Lentzen
Stawenow
Gartow
Schnakenburg
Zedenich

Nomen.

Fines.

Sub Impe
rio.

Olim ma
jor;

& regnu

DESCRIPTIO POMERANIÆ DVCATVS,

Auct. EILHARDO LVBINO, in Acad. Rostochiensi nuper Professore.

Nomen.



Omerania sic dicta est ab antiquis Suevis, Suecici maris accolis, quasi dicas *Pomeer*, apud mare; ut alii, à voce Slavonica *Pomercze*, quod idem significat. Pomerania à septentrione mari Baltico & Venedico, quod Orientale, vulgo *de Oostzee*, vocatur, longo 60 milliarium, & amplius tractu, objicitur, instar arcus incurvata, cui ab altera maris parte regna Daniæ & Sueciæ opponuntur. Terrâ verò ab altera parte regno Poloniæ & Electoratu Brandeburgico cingitur ab Occasu Megapolensi, & Ortu Borussiæ Ducatu clauditur. Errarunt hactenus Geographi, tum qui quicquid terrarum inter Borussiam & Holsatiam interjectum est, ad Pomeraniam retulerunt; tum qui illam vel Marchionatui, vel Poloniæ attribuerunt, cum jam à 450 ferme annis immediatus S. Imperii Status sit. Olim multo longior latiorque fuit, ab ortu enim ultra Vistulam se extendebat, & Dantiscum urbem, & Olivam cœnobium à Ducibus Pomeraniæ fundatum complectebatur: à meridie vero Vkermarchiam & Neomarchiam, provincias ultra 34 milliaria sese porrigentes, & ab occasu totum tractum ad Varnum usque, quod Rostochium alluit, à quo populi Warini dicti, possidebat. Hinc Pomerania regni titulo, nullum superiorem agnoscens, etiam post Caroli Magni tempora fuit administrata, unde & Wartislaus I, jam Christianus, à Sax. Grammatico adhuc Rex vocatur. Cujus duo filii licet ab Imp. Frid. Barbarossa Principes Imperii sponte sua facti sint, antecessorum tamen regalia & dictas provincias ultra 100 annos cum posteris suis retinuerunt. Postea Barnimus I, cui unus tantum filius, & hæ tot provinciæ, filiam suam Marchioni uxorem, & totam Vkermarchiam dotem dedit. Neomarchia bellis inter Swantipoleum Achillem Pomeranicum & Polonos, Marchiones & Cruciferos gestis avulsa est: quæ licet postea à Cruciferis Marchioni erepta, inde ad Pomeranos redierit, mox tamen per conjugia & alia pacta iterum Marchionibus cessit, sic tamen, ut si Marchionum stemma deficiat, ea ad Pomeranos revertatur: & versa vice, si Pomerani deficiant, Pomerania cedat Marchionibus. Pomerelliam Mestovinus Primislao Poloniæ Principi ex sorore nepote testamento donavit, & sic filiam à matre avulsit. Megapolenses etiam belli inter Pomeranos & Marchiones tempore, Dargunum, Stavenhagiam, Brodam, Ivenacum à Pomeranis fundatum eripuere: ut sic Gryphus ille Pomeranicus eandem cum Romana Aquila fortunam, plumis à variis varie avulsis, expertus fuerit. Hæc tanta damna aliqua parte compensavit anno 1325, Principatus Rugiæ, & anno 1357, Comitatus Gutzcoviæ, morte suorum Dominorum, accessio. Hodie Pomeraniæ sunt limites qui etiam in tabulis notati. Ab occidente Megapoli, à Meridie Vkermarschiæ, à Notapeliote Neomarchiæ, ab oriente Pomerelliæ, sexto ferme ab urbe Dantisco lapide jungitur. Totum Septentrionale latus illi claudit Orientale mare.

Fines. *Sub Imperio.* *Olim major;* *& regnum.* *Fines hodierni.*

Divisio antiqua. Divisa illa olim in citeriorem, & ulteriorem. Illa Ducatus Stetinensem & Pomeraniam complexa ab occidente ad montem Gollenberg, prope Cuslinum se extendit. Quod inter fluvium Parsantam & Vistulam interjectum est, ad ulteriorem relatum fuit. *hodierna.* Iam illa distribuitur in quatuor Ducatus, unum Principatum, unum Episcopatum, unum Comitatum, & duo Dominia.

Ducatus. Ducatus primus Stetinum, quod à populis, qui ante Christum natum hæc loca inhabitarunt, Sedinum vocatum est, inter Penam & Inam interjectus. Secundus inter Inam & Wipperam, proprie Pomerania dictus. Tertius Cassubia, quæ olim potiorem Pomerelliæ partem complexa, jam circa Lebeburgum & Butavium situs. Quartus Vandalia, circa Rummelsburgum, Rugewaldiam, Slaviam & Stolpam.

Principatus Principatus Rugiæ olim suos Reges habuit, & inter illos Odoacrum, qui Italiam quondam armis belli subjugavit. Ad hunc Stralesundium, Bardum, Tribbeseha, Grimma, Loitzium, aliæque urbes spectarunt, præter illam, quæ Rugia jam proprie dicitur, de qua latius in particulari illius descriptione.

Episcopatus. Episcopatus Camminensis Archiepiscopatui similis, metropolitanum nullum, solos Pomeraniæ Duces dominos & patronos agnoscit. Ad eum spectat Caminum, Coslinum, Colberga, Corlinum, Bublitium, Gulzovium. In Frionwaldi urbe suum etiam jus habet. Vasalli ejus Comites ab Eberstein. Cœnobia in Pomerania fuere 24, & ultra.


MARE BALTICVM.
Oost Zee
SEPTENTRIO
MERIDIES
OCCIDENS
ORIENS
POMERANIÆ
DVCATVS TABVLA.
Auctore
Eilhardo Lubino.
AMSTELODAMI,
Guiljelm. Blaeuw excudit.
Miliaria Germanica communia.
Miliaria Gallica communia.
DAS GROSSE HAFF
Odera Fluvius
S. Rogiers sculpsit

36

Comitatus. In Comitatu Gutzkow oppidum Gutzcow, solum ejus fertile & pingue admodum.

Dominia. Dominia Lebenburgum & Butovium Ericus II, bello cum Magiſtro Teutonico geſto, circa annum 1455, ſibi ſubjecit. Quæ jam Pomeraniæ hæreditario jure ſubjecta ſunt, & recognoſcunt quidem Polonum, quoties novus Rex eligitur: non tamen tanquam feudi dominum, nec ulla ei ſervitia præſtant.

Aëris qualitas. Mediocris in his provinciis aëris temperies, qui ſi quid inſalubre ex paludoſis locis contrahat, vicinitate maris & ventorum agitatione ſic flabellatur, ut morbi epidemii, aut peſtes raro hic graſſentur. Lepra rariſſima & pene inaudita.

Montes. Montes pauci, præter dictum Gollenberge prope Cuſlinum, Revecol mons præaltus & famoſus Smolſino imminens, Oſſa prope Dantiſcum, *Fertilitas.* Podegugii prope Sedinum. Vnde Pomerania ſatis fertilis, copioſo pecorum & frumentorum proventu incolas beat, ut tritico, quod circa Piritium magno terræ tractu & mire pingui, copioſe creſcit, ſiligine, hordeo, avena, piſis, panico, fagopyro, lupinis, lino, canabi, &c. Talium maxima quotannis quantitas aliò deportatur. Equos alit generoſos, & fortes, boves & porcos copioſe. In pleriſque pagis greges & ſtabula ovium, unde quotannis immenſa lanæ præſtantiſſimæ copia mari in Belgium, Galliam, Angliam; terrâ in Miſniam, Sileſiam, Boruſſiam hinc vehatur. Butyro, etiam caſeo, & ſimilibus magnas incolæ ſibi opes parant.

Slavi haſce regiones olim incoluerunt: Slavorum enim nominis veſtigia ſonant adhuc audiunturque in multis ipſorum nominibus propriis, Bugſlavus, Wratiſlavus, Witſlavus; quæ non Germanicæ, ſed Slavonicæ originationis ſunt. Et conſtat, diu admodum Polonis terras iſtas ſubjectas fuiſſe, ac nonniſi à Friderico Barbaroſſa Imperio additas. *Caſſubii.* *Caſſubii* à plicis veſtium nomen habent, ſedemque habent ad Caſilinum, qua Pomerellia ſeſe extendit.

Vrbes. Habet autem Pomerania egregia & crebra *Bardum.* oppida, in quibus *Bardum* haud infimæ famæ eſt. Nomen quidam deducunt à Longobardis: alii à Bardo flumine, quod accolæ *Bartze* vocant: id enim juxta oppidum mari Balthico ſe infundit, miſtum ante aquis Bekenitzæ amnis. Ac fieri poteſt, ut & ipſi Longobardi, quorum circa Bardum flumen ſedes fuere, nomen ab eo flumine traxerint. Vrbis primordia referunt plerique in annum à Chriſto nato 1079, cui etiam ſententiæ archiva urbis adſtipulantur. Tunc enim ferunt Longobardos Rugienſem inſulam occupaturos, urbem in ſuo littore condidiſſe, loco negotiationi peropportuno. Paruit autem diu ea Duci Wolgaſtenſi, fuitque haud incelebre ejus tractus emporium. Poſtea tamen Stetinenſes Pomeraniæ Duces ſitus commoditate illecti, ampliſſimarum urbium privilegiis, Ducali reſidentia, palatio ſumtuoſe admodum ſplendideque exſtructo, adhæc Schola & officina Typographica, denique etiam horto amœniſſimo eam exornarunt, in quo ſepimenta, diverſarumque herbarum, florum, arborum & plantarum, tum vernacularum, tum exoticarum varietas, liberalem adfert civibus delectationem. Forum quoque ſpatioſum inſignem civitati & mercatoribus uſum præſtat: in quo ob agri vicini fertilitatem & maris opportunitatem, res uſui humano neceſſariæ venum exponuntur ingenti copia. Habet civitas ipſa artifices induſtrios, mercatores ſtrenuos. Ager ſuburbanus vicinusque omnium rerum ad vitam neceſſariarum grata ubertate affluit; eſt enim irriguus, abundat ſtagnis, pervius etiam onerariis mercatorum navibus, habet paſcua, pomaria, ſylvas, montes, arva, rivos, ex quibus pecora, poma, ligna, feræ, triticum, piſces ac alites petuntur, ac præterea mel, cera, lana, pelles, coria; ut merito illuſtres Pomeraniæ Duces invitati illectique tot bonis, ſedem ſibi vitæque domicilium in ea delegerint. Diſtat Stralſunda milliaribus tribus, ſeptem Roſtochio, totidemque Gripſwaldo. Commoda eſt ex ea in Rugiam aliasque Daniæ inſulas navigatio. Civitatis opes in re pecuniaria & negotiatione conſiſtunt, quam navibus magno ſuo commodo in vicina Daniæ, Norwegiæ, Sueciæque regna exercent. Audent & remotiores regiones petere: & ex raris mercibus civitatem ſuam ornare. Cereviſiam coquunt ſapidam, cujus beneficium vicinis urbibus indulgent ſuo cum lucro.

Stetinum. At metropolis totius Pomeraniæ eſt STETINVM, ad Oderam poſita, ſitu amœniſſimo. Tanti eſt ſplendoris & nominis, ut ab ea Duces Stetinenſes in Pomerania appellationem ducant. Vandalos autem hæc quondam loca incoluiſſe certum eſt, populum ferocem, cujus reliquiæ adhuc paſſim in pagis cernuntur, præter nomen nihil habentes priſcæ virtutis. Sunt qui Stetini nomen referunt ad Sidenos Germaniæ populos, quorum mentio eſt apud Ptolemæum. Chriſtianam religionem admiſere anno 1115, opera Ottonis, Epiſcopi Bambergenſis, præeunte Wartiſlao primo Duce, cum filiis duobus, à quibus etiam Iulini, quod Wolinum eſt, Epiſcopatus inſtitutus eſt, & templum B. Iacobo conſecratum Stetini. Eſt autem urbs omnium rerum ad vitam neceſſariarum proventu abundans, quum ſegetes agri; ligna ad focos, & ſtructuram navium domorumque ſylvæ ſufficiant; flumina & lacus piſces. Viader non uno loco ponte ſtratus eſt. Vnus illorum in ſuburbium oppoſitum ducit, ubi granaria ingentia ſervandis frumentis diſpoſita ſunt, & officinæ exſtruendis navibus, tum minoribus ad uſum fluminum, tum majoribus, quibus mare etiam tuto tentare poſſis. Pons major Dantiſcum ducit, via in id munita. Adverſo amni Francofurtum navibus tenditur. Vrbs ipſa omni ex parte munita eſt, vallo, foſſa, portis, turribus, forma pene quadrata. Templa præcipua ſunt B. Mariæ, S. Nicolai, S. Iacobi. Fora plura, novum, olitorium, caballinum, piſcarium. Curia templo S. Nicolai vicina eſt, in novo foro, ex quo in omnes urbis partes viæ directæ ſunt. Sed præcipue ornamento eſt urbi palatium Principale, tanta arte & ſumptu exſtructum, ut ne Italicis quidem præſtantiſſimis cedat. Pædagogium illuſtre in eo aperuerunt Philippus & Barnimus Duces Pomeraniæ, collatis in ejus uſum reditibus Eccleſiæ S. Ottonis & B. Mariæ, conſtitutisque inſpectoribus quatuor è Senatu cum tribus Diaconis. Primus Stetinenſium Dux fuit Bugſla-

vus

Duces Stetinenses. vus II, cujus obitus incidit in annum Christi 1222. Hoc Duce domiti sunt Slavi & Winti, linguaque eorum, mores & jura abolita, admissis in eorum locum Saxonibus. Circa annum 1313, recuperavit Wartislaus IV, Pomeraniæ Dux Wolgastensis Stetinum, à Conrado I Electore Brandeburgico occupatum. Quomodo autem controversia de Ducatu Stetinensi, inter Bugslavum Ducem Pomeraniæ, & Albertum Marchionem Brandeburgicum composita sit, quibusque legibus inter se coierint, apud Historicos legere est. Porro Stetinum inter Hanseaticas urbes non postremum locum habet, neque officit ipsius libertati Princeps, etiam in urbe habitans.

Gripswaldum. Etiam celebre est literarum artiumque humaniorum cultu *Gripswaldum*, oppidum in Ducatu Wolgastensi, quem alii Bardensem dixere, exstructum anno Domini 1457.

Stralsunda. Est & *Stralsunda* oppidum insigne in littore maris Balthici, quod olim proprium Ducem habuit, quem Bardensem vocabant, nunc Pomeraniæ Duci paret. Nomen habet à vicina insula Strale, & fauce sive freeg, quod Rugiæ insulas à Germaniæ extrema continente dirimit, & Rugiæ Principatum medium interlabitur, unde Krantzius insinuat authorem ejus fuisse Danum; nam Sund, angustam maris faucem vocant Dani, additque urbem anno 1209 à Waldemaro Daniæ Rege, ministerio Iarimari Rugianorum Principis fundatam, sed à filio illius Wislao, ut inquit Chytræus, fundatore cœnobii Campen absolutam, & jure Lubecensi ac libertate à D. Burdroino collata sylva, agris, pascuis, portu, jure piscandi, & vectigalium immunitate donatam, intra centum annos tantopere incolarum industria, & commerciis aliarum gentium maritimis crevisse, ut duorum Regum, Erici Dani, Byrgeri Sueci, & decem Principum, ac in his Vislai Rugii, copiis eam obsidentibus, omnes illorum molitiones fortiter sustinens, capto etiam Saxoniæ Duce Erico, libertatem suam, magna cum gloria & felicitate, tutata sit. Paucis etiam ab hinc annis gravem longamque obsidionem passa armis Cæsareanis fortiter restitit, & Walsteinium, exercitus Imperatorii Ducem, post irritos illius in illam impetus violentasque impressiones, tandem obsidionem solvere coëgit. Exin munimentis propugnaculisque magis magisque muniri cœpta, hostilium armorum vim secura despicit.

Vrbes. Sunt & aliæ urbes: Neugardia, Lemburga, Stargardia, Bergradum, Camenez, Publina, Grifenburga, & ad littus Colberga, Caminum, Collinum, Sunda, Pucke, Revecol, Lovensburg, & Hechel.

Wollinia. *Wollinia*, sive *Iulina*, quam hodie **das Wollinische Warder** appellant, ab ortu, ponte prælongo supra Divenoum fluvium, quem Viadri in mare properantis alveum esse apparet, continenti Pomeraniæ juncta est: ab occasu Surno seu Suevo fluvio; à meridie lacu recenti, admodum piscoso, ad Boream Balthico mari cingitur. Vndiquaque quatuor fere milliarium spatio patet. *Iulinum.* In hac insula situm est *Iulinum*, emporium olim non solum in hoc littore Balthico, sed totius pene Europæ amplissimum, & à multis externis gentibus, & diversarum nationum, linguarum & religionum populis, Henetis, Danis, Suecis, Slavis, Russis, Iudæis & Ethnicis, sola Christianorum religione excepta, pagatim, ita ut singuli suas distinctas plateas, nominibus gentium insignitas tenerent, inhabitatum fuit. Vrbis ambitum milliare Germanicum excessisse, ex antiquis ruinarum vestigiis, & montibus, seu editioribus urbis locis, quibus castella olim adversus hostiles insultus imposita fuerunt, constat, adhuc exstantibus quos **den Schloszberg/ Moderow/ Katernel/** & **Silberberg** hodie dicunt. Vbi vero nunc templum D. Michaëlis cum cæmiterio extra oppidum cernitur, eum florentis quondam antiqui Iulini umbilicum fuisse perhibent. *Religio.* Incolæ rebus florentibus, cum aliquando subrepentem religionem Christianam crescere viderent, vetuerunt, nequis advenarum novæ religionis mentionem faceret; atque hæc causa est, cur hi novissime ad Christi fidem venerint. Coacti igitur tandem admisere religionem anno 980. sed quum sæpius deficerent, atque anno 1066 occisis Christianis omnibus redirent ad paganismum, tandem ab Ottone Episcopo Bambergensi, flagitatione Boleslai Poloniæ Ducis, & Danorum Regis, iterum Evangelium salutis in Pomerania prædicari cœpit, eo successu, ut Iulini viginti duo millia civium ab illo baptizata esse scribantur; unde & frequentiam populi æstimare licet. Primus Episcopus civitatis Iulinensis fuit Adelbertus. Pristinam vero potentiam, diuturna bella, & victoriæ adversus Suenonem Danorum Regem, tandem ab eis captum, demonstrant. Verum nihil in rebus humanis perpetuum aut firmum esse, ut cæterarum urbium olim florentissimarum, Trojæ, Hierosolymæ, Tyri, Carthaginis, Corinthi deletiones; sic Iulini etiam excidium, varias idolorum & libidinum confusiones, luxum, æmulationes & seditiones secutum demonstrat. Vbi singulæ gentes, sua idola & ritus proprios servarunt: publice autem ex professo, TRICLAFF, deum tricipitem, (cujus adhuc in Brandeburgensi Canonicorum templo ad Havelam effigies cernitur) & minorum velut gentium divos, armorum & mercaturæ præsides, Haruit & Barouit, quasi Martem & Mercurium, præterea Bialbug & Zernebug, album & nigrum deum coluerunt. Idololatriam tetræ libidinum confusiones; opulentiam, luxus, superbia, petulantia & intestinæ dissensiones, ac inter diversarum nationum populos, perniciosæ æmulationes ac distractiones comitatæ sunt: quibus adductæ societates mercatorum inde emigrarunt. Secuta sunt cum Daniæ Rege Waldemaro I bella, qui Rugiis domitis, & Daniæ regno subjectis, Iulinum quoque jam intestinis seditionibus labefactatum, & mole laborans sua, captum solo æquavit, anno Christi 1170. Vt campi jam sint, maxima ex parte, ubi vetus Iulinum fuit, exiguo tamen oppido Wollin, veteris urbis vestigium retinente, adhuc superstite, quod D. Iohannem Bugenhagium, multarum in Germania & Dania οἰκιςὴν, nascentem primum excepit.

Vsedom. In proxima Wollinensi Insula VSEDOM, quam

Suevus & Panis fluvii concludunt, septem à Iulino versus occasum milliaribus, duobus à Wolgasto, sede Principum Pomeraniæ ultra Panim fluvium, ad Dameroam pagum, sita olim fuit *Wineta*, quam vetustæ cantilenæ, & fama per manus posteris tradita, & scripta in monasteriis reperta, ostendunt multis ante Iulinum annis, frequentia commerciorum, magnificentia, opibus, & potentia florentem, inundationibus & tempestatibus marinis submersam esse. Quidam circa annum Christi 830, Haldungum Sueciæ Regem eam evertisse, & portas urbis æneas, & alia munimenta, unà cum emporio in Gothlandiam insulam transtulisse arbitrantur. Ferunt cœlo sereno, & mari placido, adhuc fundamenta quorundam ædificiorum, & stratas ex silicibus plateas, Sundii longitudinem æquantes, conspici posse.

Genealogia Ducum Pomeraniæ.

1 Fertur *Suantiborus* is qui Danos bello vicit, caput esse Ducum Pomeraniæ. Ejus filios Wartislavum & Casimirum ajunt circa annum 1124, ab Ottone Episcopo Bambergensi cum ingenti numero civium Pomeranorum baptizatos. Fuit tamen ante ipsos Barnimus ex Gryphonum gente, cujus insigne fuit gryphus in clypeo. Ab hoc adjutus est Henricus Auceps Imperator in bello contra Hungaros, erat enim Princeps Pomeraniæ, Cassubiorum & Vandalorum. Wartislai uxor prior fuit Hoila, Henrici Nigri Bavariæ Ducis filia, soror Henrici Superbi: posterior Ioanna, filia Canuti IV, Regis Daniæ. Ipse occisus est anno 1136.

2 *Bugslaus* & *Casimirus* Wartislai filii in bello Saxonico à Friderico Barbarossa Duces creati sunt, adsignato ipsis in Imperii consessu loco. Ac tum primum à Polonia sejuncti sunt. Bugslaus fundavit Episcopatum Iulinensem anno 1175 cum templo B. Iacobi quod est Stetini. Obiit anno 1188. Vxor ei Walpurgis filia Valdemari I Regis Daniæ, ac post eam Anastasia, filia Miecislai Ducis Poloniæ. Casimirus in Palæstina mortuus est anno uno ante fratris obitum.

3 *Bugslai* I filii fuere *Bugslaus* II, qui ducta uxore Wislana, filia Iarolphi Ducis Russiæ, obiit anno 1222. Casimirus II, qui Stargardiæ monasterium condidit, anno 1194, obiitque Ierosolymis anno 1217, habuitque uxorem Irmengardem, filiam Iaromiri Principis Rugiæ, ac denique Wartislaus II, qui Greiffenbergam munivit. Hoc tempore Saxones primum sese in Pomeraniam effuderunt; Bugslaus vero etiam ab Ottone I Marchione Brandeburgico captus, posteaque dimissus est, anno 1188.

4 *Barnimus* I hæres omnium ejus familiæ ditionum, Stetini creavit ædem B. Mariæ anno 1261. Atrocia bella gessit cum Ioanne I & Ottone ejus fratre Marchionibus Brandeburgensibus, quæ tandem sopita sunt data Ioanni in uxorem Heduigi filia, cum Preutzlenia & Vckermarchia dotis loco. Vxores ipse habuit, primam, Mariam filiam Alberti I Ducis Saxoniæ; secundam, Margaretam filiam Henrici Senioris Ducis Brunsvicensis; tertiam Mechtildem, filiam Ottonis Marchionis Brandeburgensis: Defunctus est ipse anno 1278; at frater ejus Bugslaus III, anno 1224.

5 *Bugslaus* IV Wolgasti aulam habuit. Cum fratre Ottone ita ditionem partitus est, ut quicquid terrarum est à Deutia usque ad Ancla, cum Iulino, Caminia, Stargardia usque ad Pomerellam sibi haberet, cætera fratri cederent. Stargardiam hic muro cinxit. Situs est Caminiæ. Vxorem habuit Agnem filiam Ioannis I Marchionis Brandeburgici, & Margaretam natam Bislao Principe Rugiæ. Filias habuit Annam, nuptam Swantiboro Principi Rugiæ; Helenam, nuptam Bernardo Principi Anhaltino; Elisabetham, nuptam Erico I Duci Saxoniæ, ac denique * ... nuptam Nicolao Duci Megapolensi. Bugslai frater Otto I Stetinensis Dux ad posteros suos Ducatum transmisit. Ottone autem III sine liberis extincto, grave bellum inter Duces Pomeraniæ Wolgastenses & Marchiones Brandeburgicos ortum est, qui feudum illud à Friderico III Imperatore acceperant. Composita autem est tandem controversia, ita, ut Brandeburgici titulo fruerentur, ac deficientibus maribus Pomeranis, ditio omnis cederet Brandeburgensibus.

6 *Wartislaus* IV Stetinum omnemque ulteriorem Pomeraniam à Conrado Brandeburgico occupatam recuperavit, Rugiæ quoque Principatum adiit, avunculo Witslavo omnique mascula prole extinctis. Vnus igitur iste Dux Pomeraniæ, Stetini, Cassubiorum, Vandalorum, Rugiorum fuit, & Comes in Gatzkan. Syndia quoque urbs se in hujus clientelam dedit, servatis tamen privilegiis suis: Sepultus est Camini. Vxorem habuit Elisabetham, Henrici Ducis Vratislaviensis filiam, ex qua nati, Bugslaus, Barnimus, & Wartislaus V.

7 *Barnimus* V & Bugslavus V partiti sunt inter se Pomeraniam, concessa fratri tertio annua pensione. Bugslavus tenuit Orientalem Pomeraniam, Barnimus IV Wolgastanam, qui etiam Comitatum Gutzko possedit: mortuus est anno 1365. Vxor ei fut Sophia, filia Nicolai Henetorum Principis. Bugslavus vero V filium habuit Casimirum IV, ex Elisabetha, Casimiri II, regis Poloniæ filia; qui educatus in aula avi materni, feuda habuit in Polonia, & à Ludovico rege Hungariæ & Poloniæ missus ad obsidendam arcem Schotter, dum inconsultius murum subit, lapide ictus interiit, anno 1377. Ipse vero Bugslavus Ludovicum Romanum Electorem Brandeburgicum acie superavit. Torgoloniam bello acquisivit. Stetinum novum ampliavit: Obiit autem anno 1364, situsque est Balbuci. Filias habuit Elisabetham Carolo IV Imperatori, & Margaretam Ernesto Ferreo Duci Austriæ nuptas. Filius Bugslavi Wartislavus VI mortuus est anno 1392, uxoremque habuit Mariam Henrici Ducis Megapolitani filiam, eaque defuncta, Ingelburgim, editam patre Waldemaro IV Daniæ rege, ex qua natus est Ericus I Rex Sueciæ, Daniæ & Norvegiæ, qui annos amplius quadraginta regnavit, ac postea in patrio Ducatu, deposita persona regia, quietè usque ad annum 1459 vixit. Sorores Erici fuere, Sophia uxor Ioannis Palatini, patris Christophori Daniæ regis, & Agnes, nupta Ottoni Principi Anhaltino. Bugislaus vero VIII Bugislai VII filius ex Sophia Procopii Moravi filia suscepit Bugislaum IX, qui obiit sine mascula prole, anno 1448. Sepultus est Rugenwalde in Carthusia. Ita devoluta est hæreditas Bugislavi V ad liberos Barnimi IV.

8 *War-*

8 *Wartiſlaus* VII, Barnimi filius, Wolgaſtanus, maritus Annæ, Ioannis II Ducis Megapolitani filiæ, obiit anno 1394: Filios ex ea habuit Barnimum VI & Wartiſlaum VIII, filiam Sophiam, nuptam Henrico Duci Brunſvicenſi. Frater ejus Bugſlavus VI obiit anno 1393, & neque ex priore uxore Iuditha filia Erici I Ducis Saxoniæ, neque ex poſteriore Agnete filia Ducis Brunſvicenſis, prolem ſuſcepit.

9 *Wartiſlaus* VIII obiit anno 1416. Vxor ei Agnes filia Ducis Saxoniæ Inferioris Erici III, ex qua nati Suantiborius III, extinctus anno 1446, & Barnimus VIII, denatus anno 1451, qui ex Anna Henrici Comitis Winſdorfenſis filia non habuit niſi filiam unicam, Agnetem, conjugem Friderici Pinguis Marchionis Brandeburgici. Ita decurſa hac ſerie ad Barnimi VI liberos ditiones omnes pervenerunt. Barnimus iſte obiit anno 1405, habuitque uxorem Veronicam filiam Friderici III Burgravii Noribergenſis, ex qua nati Wartiſlaus IX, & Barnimus VII.

10 *Wartiſlaus* IX. magni animi & virtutis Princeps, Scholam Gripſwaldenſem fundavit anno 1457, quo etiam extinctus eſt. Vxor ei fuit Sophia, filia Georgii Ducis Saxoniæ Inferioris, ex qua editi Wartiſlaus X & Ericus II. Frater ejus Barnimus VII extinctus eſt ſine liberis anno 1449.

11 *Wartiſlaus* X uxorem habuit Margaretam filiam Henrici Comitis Stargardiæ, defunctus eſt autem anno Chriſti 1348. Liberi ejus fuere Suantiborius IV, & Hertmannus, cui uxor Vrſula, filia Ioannis primi Electoris Brandeburgici. Ita devoluta eſt hæreditas omnis ad fratrem Ericum ejuſque liberos. Porro Erico conjunx fuit Sophia filia Bugſlavi IX, Ducis Pomeraniæ: Obiit autem ipſe anno 1474, reliquitque liberos Wartiſlaum XI, Caſimirum IX, & Bugſlavum X.

12 *Bugſlavus* X, qui à rebus geſtis Magnus dictus fuit, Pomeraniæ, Stetini, Wolgaſti Dux, Rugiæ, Caſſubiorum & Vandalorum Princeps, natus eſt anno Chriſti 1454. Hic quum ab Imperatore Friderico III feudum ſuum Alberto Marchioni Brandeburgico, qui Achilles Germanicus dictus fuit, conceſſum videret, uſque eo exarſit, ut ſe Imperatori oppoſuerit, & ab adeunda ditione Marchionem depulerit. Compoſita tamen ſic eſt tandem controverſia, interponentibus ſeſe Wolgaſti anno Chriſti 1470 Magno & Balthaſaro Megapolenſibus Ducibus, ut titulus inſigniaque Ducum Pomeraniæ penes Marchiones manerent, ac ſi hæres maſculus ex Pomeraniæ Ducibus aliquando non exſtaret, Ducatus Stetini rediret ad Marchiones. Firmata eſt tranſactio, ut fieri inter Principes ſolet, nuptiis; Margaretam quippe Friderici II Electoris Brandeburgenſis filiam Bugſlavus uxorem duxit. Ea defuncta, Annam Caſimiri Regis Poloniæ filiam: ac denique Agnem filiam Ioannis Alchymiſtæ Marchionis Brandeburgici. Hic ille eſt Bugſlavus, qui venenum ſibi à noverca propinatum fecit ut prior noverca biberet: Obiit anno 1523 paulo minor ſeptuagenario.

13 *Georgius* I & Barnimus IX filii Bugiſlavi X, hæreditatem patris diviſere. Barnimo ceſſit Stetinum cum inferiore Pomeraniâ, cætera Georgio: qui quidem non diu vixit, natus quippe eſt anno 1493: obiit anno Chriſti 1531. Hic Auguſtæ Vindelicorum cum fratre Georgio feudum à Carolo V accepit, & religionem in ſuo Ducatu mutavit. Gedanenſes tumultuantes autoritate & prudentia compoſuit: Vxor ejus prior fuit Æmilia, filia Philippi Comitis Palatini: poſterior, Margareta filia Ioachimi I Electoris Brandeburgici. Liberos reliquit Caſimirum Epiſcopum Caminenſem, & Philippum, qui cum Barnimo patruo placide de paterno jure tranſegit. Natus fuit Barnimus anno Chriſti 1501. Fuit autem Princeps litteris addictus, gravis, prudens, ſerius. Filios ex Anna Henrici Ducis Luneburgenſis filia non habuit: Filias vero treis, Mariam, nuptam Ottoni Holſatiæ Duci; Annam primùm Caroli Anhaltini, tum Henrici Burgravii Miſnenſis, denique Iudoci Comitis Barbienſis conjugem: Et Dorotheam, nuptam Ioanni Comiti Mansfeldenſi.

14 *Philippus* I Georgii filius, natus eſt anno 1515. In diviſione cum patruo Wolgaſtum cum Superiore Pomerania & Rugia accepit: Obiit anno Chriſti 1560. Vxor ei fuit Maria filia Ioannis Electoris Saxoniæ, ex qua nati anno Chriſti 1590 Georgius II. Anno 1592 Ioannes Fridericus Dux Stetinenſis: Biennio poſt Bugſlavus XI Dux Pomeraniæ, Anno vero 1545 Erneſtus Ludovicus. Anno Chriſti 1549 Barnimus. Anno Chriſti 1577 Erneſtus, Epiſcopus Caminenſis.

15 *Bugiſlaus* XIII ex Clara Franciſci Ducis Lunæburgici filia, filios ſuſtulit Philippum II, natum anno 1573; Franciſcum anno 1577; Bugiſlaum, anno 1580; Georgium anno 1582, Ioannem Erneſtum, anno 1586; & Ulricum, anno 1589; filias vero Claram Mariam nat. anno 1574, nuptam Sigiſmundo Auguſto Duci Meckelenburgio, & poſtea Auguſto Brunſvicenſium Duci; Catharinam; Ertmutham Sophiam, Sophiam Hedwigen, & Annam. Fato functus eſt Bugiſlaus anno 1606, cui ſucceſſit

16 *Bugiſlaus* XIV, ultimus illius ſtirpis, qui anno 1637 abſque maſcula prole obiit. Poſt hujus mortem juxta vetera pacta, ut & ultimum Grimnicienſe anno 1529 initum, & à Cæſare confirmatum, Pomerania ad Brandeburgicam Domum devenit. Quare Brandeburgenſis Marchio in Comitiis Imperialibus anno 1641, Ratisbonæ actis, titulo Ducis Pomeraniæ, Stetini & Wolgaſti ſingulos Legatos habuit. In tractatu vero Pacis anno 1648, Monaſterii concluſum eſt, ut Regi Sueciæ tota Anterior Pomerania, cum inſula Rugia, & in Poſteriori Pomerania Stetinum, Garcium, Damna, Golnavia, inſula Wollina, & in ea fluens Viadrus Lacus, vulgato nomine *Friſche Haf* dictus, cum tribus inde orientibus fluviis Pœno, Schwino & Divenavia cederent: è contra Elector Brandenburgicus reliquum Poſterioris Pomeraniæ cum toto Epiſcopatu Caminenſi & urbe Colberga retineret. Liberum quoque Electori relictum eſt, ut Canonicos Caminenſes emori ſinat, & reditus in fiſcum revocet. Vrbs vero Stralſunda antiquis ſuis privilegiis libera frueretur.

RV-

RVGIA INSVLA.

Situs.



Vgia Insula sita est in mari Balthico, & ab Occasu ac Meridie objicitur Pomeraniæ, qua parte Bardum est, Stralesundium, Gryphiswaldum, & Wolgastum. Olim multo major fuit, quam est hodie, utpote quæ littoribus suis proxime attigit insulam Ruden, interjecta solummodo exigua fossa, à qua jam sesquimilliare distat. Tantum enim de littore absorpsit vis tempestatis anno 1309 exortæ, quæ turres, templa, vicos, domos dejecit, ac mari hausit, ita ut jam novus Trajectus vocetur, *Das newe Dief oder Schiffart.* Solebant enim olim naves onerariæ per aliud ostium versus Occasum, quod *Dan Bellen* vocant, mare conscendere. Verum cum hoc ipsum Dani mercatoris saburra navium ejecta pene obstruxissent, usque adeo ut naves onustas grandiores vehere non posset, ipsa natura alias sibi maris fauces aditusque reclusit. Vndique mari circumflua est, & vere νῆσ☉ ἀμφιῤῥύτη, ut Homerico epitheto utar. Septem milliaribus communibus Germanicis undiquaque, tam in longitudine, quam in latitudine propemodum patet. Ambitus si exacte rotundus esset, ex Mathematicorum supputationibus, esset 21 milliarium. Iam vero illa peripheria non solum multis insulis & peninsulis majoribus & minoribus distinguitur, verum etiam tot sinubus & divergiis maris ad medias Insulæ partes penetrantibus, ut si quis omnium insularum, isthmorum, peninsularum, sinuum, diverticulorum & anfractuum littora curiosius legere & notare velit, hujus insulæ circumferentiam non multo minorem fore, quam 70 milliarium sit deprehensurus. In qua & illud notari solet, adeo interruptas esse à mari Insulæ hujus partes, ut nullus ejus sit locus, qui longius à mari abeat, quam dimidium milliare, aut tres saltem milliaris quadrantes. Et quanquam undique eam verberet Neptunus, ita tamen littorum naturali situ tuta est ac defensa, ut parum à maris insultu & appulsu incommodi patiatur. Frugum ac frumenti feracissima est tellus, & velut horreum Stralesundii, uti Romæ Sicilia. Equos, boves, oves, aliaque animalia feliciter nutrit: at anserum magna hic multitudo & magnitudo. Lupos nescit, uti & glires, quamvis in peninsula Wittovia jam pridem apparere cœperint, quos ex navibus ibi stationem habentibus, vel etiam naufragio ad ejus littora allisis, eo penetrasse vehemens suspicio est. Incolæ, *Rugii* olim dicti, pugnacissimi fuere, posterioribus temporibus magnum nomen sortiti sunt. Sidonius, recensens populos Septentrionales, inquit,

Olim major.

Magnitudo.

Incolæ.

Germania.

pugnacem Rugum comitante Gelono
Gepida trux sequitur.

Et rursum carmine quinto,

Pannonius, Neurus, Chunus, Geta, Dacus, Alanus,
Bellonotus, Rugus, Burgundio, Vesus, Alites,
Bisalta, Ostrogothus, Procrustes, Sarmata, Moschus,
Post aquilas venere tuas.

Sub Theodorico Ostrogotho Rugi Ticinum ceperunt. Adeundus imprimis Eunodius in vita S. Epiphanii. Adeo idolomaniæ & ethnicismi fuere tenaces, ut ultimi inter omnes Suevici maris accolas fidem Christianam amplexi fuerint. Non solum extra hanc insulam fortitudinis suæ documenta ediderunt, urbes alibi & regiones occupando, Bardum, Grimmam, Tribbeseam, verum etiam perpetuis bellis Daniæ regem, & vicinos Pomeraniæ Principes fatigarunt. Nec securi ab illorum armis Lubecenses, ac vicini quotquot erant. Lingua olim ipsis fuit Slavonica sive Vandalica, quæ ipsis cum vicinis Pomeranis communis fuit. De eorum conversione ad fidem Christi, ita scribit Helmondus in Chronica Slavorum cap. 6: *Inter omnes autem Borealium nationum populos, sola Slavorum provincia remansit ceteris durior, atque ad credendum tardior.* Tempore Ludovici Pii, qui fuit Caroli Magni filius, circa annum Christi 813, monachi quidam non sine vitæ periculo ad Slavos & Vandalos, ut eos converterent, penetrarunt, & inter alia loca etiam Rugiam Christo lucrifecerunt. At mox iterum à fide deficientes, expulsis Christianis doctoribus, ad pristinum idolorum cultum reversi sunt. Nam S. Vitum Christi servum, relicto Christo, pro Deo coluerunt, quem corrupto nomine Swanto Vitum appellarunt. Huic idolum quadriceps fabricatum in magnifice exstructo templo collocarunt. Ab hoc omnes provinciales & vicini circumcirca oracula velut ex tripode petebant; mercatores, quotquot huc feliciter appulerant, mercium suarum preciosiora ipsi offerebant. Idolum hominis forma, resecta barba & capillis in oblonga talari veste stabat, dextera poculum ex vario metallo fusum, & veluti cornu efformatum, plenum liquore poculento, sinistra vero arcum cum sagitta tenebat. Huic idolo trecenti equi pascebantur, inter quos unus candidus, quem nisi summus sacerdos nemo adscendebat, & illo tanquam vate divino ad prædicendas res futuras utebantur, quem mane pulverulentum, & sudantem in stabulo sæpe ostentabat sacerdos, jactitans Swanto Vitum in pugna contra hostes Rugianorum in illo equitasse. Modus colendi eum hic erat: Idoli sacerdos inspiciebat cornu, quod ante annum liquore impleverat, idque halitu oris sui presso, ne illo idolum attingeret. Inspecto poculo de futuro anni proventu divinabat. Si poculi liquor majore ex parte in vapores abiisset,

Lingua.

Religio.

cari-


RVGIA
INSVLA AC DVCATVS
accuratissimè descripta ab E. Lubino.
Adjecta sunt ad utrumq. latus Baronum et Nobilium antiquissimarum familiarum in Insula Rugia habi: tantium, juxta alphabeti ordinem, Insignia.
Arces nobilium pleræq. hoc signo notantur.
Miliaria Germanica communia.
Amsterdami
Apud Guiljelmum Blaeuw
OOST-ZEE
POME RANIÆ PARS.
RU GIA
Wittow
Iasmunt
Ummantz
Bergen
Stralsund
Gryphiswald

37

caritatem annonæ: si plenum, vilitatem significare credebatur. Post hæc liquorem coram idolo effundebat, & idem rursus novo liquore repletum dexteræ idoli imponebat. Quibus peractis reliquum diei comessando & bibendo transigebant. Erat idolum hoc in urbe Arcona Wittoviæ, cujus maxima tum temporis fuit reverentia. Atque hæc quidem fœda idololatria ante annos 460 penitus in Rugia extincta est. *Arcona* fuit Rugiæ munitissima urbs, sita in promontorio peninsulæ Wittoviæ, natura loci valida, à Septentrione quippe cingebatur mari, ab altera parte, qua Insulam respicit, editissimi montis densissimo vallo circundata fuit, cujus vestigia etiamnum exstant certissima & conspicua. Vallum tantæ altitudinis fuit, ut etiam sagitta à validissimo arcu emissa, ad ejus cacumen minime pertingere potuerit. Fuit & alia urbs valida *Charentina*, in quas se bellis Danorum pressi recipere solebant. Et quamvis bellis valde attritæ essent, nondum tamen prorsus fuerunt dirutæ. Verum illas postmodum vicini Principes Pomeraniæ funditus deleverunt. Hodie oppida quædam frequentiora habet, inter quæ *Berga* præcipuum, ubi tamen vix ultra 400 cives reperias. Reliqua, ut sunt *Sagart*, *Vick*, *Bingst*, & plura alia, minoris sunt momenti. Viris insula ipsa abundat, adeo ut 7000 armatorum ad bellum possit educere. In peninsula *Iasmunda*, qua Orientem spectat, promontorium est stupendæ altitudinis, quod infra excavatum marinis prædonibus ac piratis receptaculum præbuit longe tutissimum ac munitissimum, quod etiamnum vocant *de Stubbenkamer*. Non procul inde conspiciuntur rudera priscæ arcis, cujus eminens vallum hodie vocant *Burchwal*. Huic proxime adjacet Lacus niger, profundus, qui licet piscosissimus sit, suspicio tamen est, aut potius superstitio, quod retia aut scaphas piscatorias non ferat, aut admittat: cui cum animosiores quidam piscatores scapham pridie intulissent, postero die retibus lacum tentaturi, non invenerunt. Ligna incolis suppeditat insula Iasmunda, ubi sylva densissima, quam indigenæ appellant *de Stubbenitza*, quasi dicas truncarum arborum congeriem. Ecclesiasticorum plerorumque lautior hic quam alibi conditio, qui non solum sua arva & agros habent, sed etiam decimas pecorum ac frumentorum. Nobilium hic antiquitatem generis jactantium magnus numerus, nec rusticorum hic sors intolerabilis, qui Magistratui suo annuum censum solvunt, & certa servitia præstant. Principes Rugiæ prisci hi fuere:

Vrbes vetustæ. *Oppida hodierna. Berga.* *Principes Rugiæ.*

Witzlaus I, Princeps Rugiæ tempore Ottonis I, Imper. A. C. 938, ethnicus & idololatra.

Grimus Princeps Rugiæ.

Cruco vel *Crito* Princeps Rugiæ & Regulus Obotritorum, circa A. C. 1100, qui novæ Lubecæ fundamenta jecit; tyrannidem cum exerceret homo gentilis, interfectus est ab Henrico regulo Obotritorum, filio Gotschalci, per ministrum, fraude uxoris, quæ fuit Schlavina, filia Suantibori I, Principis Pomeraniæ.

Raze Princeps Rugiæ, qui Lubecam evertit, mortuus A. C. 1141.

Teslaus Rugiæ Princeps, Ericum VI, & Suenonem III Daniæ reges irritavit, tandem à Waldemaro I victus.

Iarimarus I, Princeps Rugiæ, Teslai frater, primus fidem Christianam & baptismum suscepit, confirmatus à Waldemaro I, rege Daniæ.

Barmita vel Barmites, Iarimari filius, Princeps Rugiæ, mortuus A. C. 1241. uxor Boleslava à Gutzkau, filia Witzlai.

Witzlaus II Barmitæ frater, Princeps Rugiæ, fundator cœnobii Campen. Obiit 1247.

Iarimarus II, Witzlai fil. Princeps Rugiæ & hostis Danorum, quorum jugum excussit A. C. 1259. Obiit A. C. 1282.

Witzlaus III, Iarimari II filius, Princeps Rugiæ, promotor fidei Christianæ in Livonia. Obiit in Norvegia A. C. 1303.

Witzslaus IV, Dux Pomeraniæ, Princeps Rugiæ.

Witzslaus V, Princeps Rugiæ ultimus in hac familia. Vrbem Sundensem contumacem vicinorum regum ac Principum auxilio obsidione cinxit, sed ab oppidanis interfectus fuit.

Atque his defunctis sine prole, Sundenses post diuturna Ducum Pomeraniæ & vicinorum Principum Megapolensium ac Herulorum de continentis Rugiæ ditionibus, Barthensi, Tribulensi, Grimmensi, &c. bella, tandem Pomeraniæ Ducibus se, salvis privilegiis & immunitatibus, adjunxerunt, & Wartislao IV homagium præstiterunt.


Hodie bellis Cæsarum inter & Suecum misere attrita est, primum Cæsari cessit, jam eam cum copiis militaribus tenent Sueci, uti & maritima Pomeraniæ loca.

CIRCVLVS SAXONIÆ INFERIORIS.

IPſum, ut ſuprà diximus, varios in circulos diviſum eſt Germaniæ Imperium; at inferioris Saxoniæ, cum ampla ſit, & inſignis provincia, ſpecialem, & diffuſam, tibi, Lector benevole, tabulam exhibebimus, quò liquidius conſpicias, quo pacto membra iſtius Circuli inter ſe cohæreant; hoc enim Circulo comprehenduntur Archiepiſcopatus Magdeburgenſis & Bremenſis; Epiſcopatus Hildesheimenſis, Halberſtatenſis, Lubecenſis, Ratzeburgenſis, Schwerinenſis, & Sleswicenſis, quin & Rex ipſe Daniæ, propter Holſatiam; Duces Brunsvicenſes, Lunenburgenſes, Lawenburgenſes, Mechelburgenſes, & Holſatiæ; Comites Delmenhorſtenſes; civitates, Lubecenſis, Hamburgenſis, Northuſenſis, Mulhuſenſis in Thuringia, Goslarienſis, & Gottingenſis. Horum quippe tractuum amplitudo ſua præ ſe fert elogia, nec operæ pretium judicavimus, ea verbis commendare, quæ ſeipſis celebratiſſima ſunt; ſufficit maxima nominaſſe, ut ſuâ gloriâ mentem impleant; præterquam quòd propriis cujusque locis ſpeciales illorum tabulas tibi offeremus.




Sereniſsimo, Celſiſsimo Principi ac Domino,
D. CHRISTIANO LUDOVICO,
BRUNSVICENSIUM et LUNÆBURGENSIUM DUCI, &c.
Circuli Inferioris Saxoniæ Capitaneo Generali;
Tabulam hanc D.D.D.
J. Blaeu.
INFERIORIS SAXONIÆ CIRCULUS.
Milliaria Germanica.
Joannes Blaeu Excudebat.
MARE GERMANICUM
MARE BALTICUM
Femeren
Alsen
DUCATUS LUNENBURG
DUCATUS BRAUNSWYCK
DUCATUS SLESWIJK
HOLSATIA
Dithmarsia
MEKLENBURG DUC.
STIFT MAGDEBURG
Stift Halberstatt
Stift Hildesheim
Stift Verden
STIFT BREMEN
Stift Minden
Stift Munster.
COM. OLDENBORG
Diepholt Comitat.
Hoya Comitat.
LEMGOW.
MANSFELD COM.
ANHALT DUCATUS.
MARCHIONATUS BRANDEBURGENSIS.
POMERÆ
Danneberg Com.
Hamburg
Lubeck
Brandeburch



DVCATVS MECKELBVRGENSIS.



Ividitur Saxonia omnis in Superiorem & Inferiorem. Ad hanc pertinent Ducatus *Luneburgensis*, *Brunsvicensis*, *Lauwenburgensis*, ac præterea etiam Ducatus *Meckelenburgicus*, quem cur quidam vocent *Megapolensem*, Græca vocis compositione, equidem ignorare se fatentur doctissimi. Certe Græcæ linguæ idiotismus à tali compositione abhorret. Fuit hic olim pars Dominii Regum Vandaliæ, juxta mare Balthicum extensa, ab Ortu Pomeraniam habet, ab Occidente Albim, à Meridie Marchiam antiquam, à Septentrione Mare Balthicum. Primi hujus regionis indigenæ appellantur Heruli, Obotritæ, & generali vocabulo Vandali. Civitates habet elegantes satis & cultas. Fuit hic quondam Suerinum urbs vetus ad lacum Suerinensem posita, ante Lubecam, Rostochium, Sundium, Wismariam, condita. Vicus Fichela ad eundem lacum jacet, à mari tantum 5000 passus distans: quæ vicinitas in causa fuit, ut de committendo lacu cum mari Balthico per fossam actitatum aliquando sit, sed vano labore, ut in Isthmo Corinthiaco sub Imperatoribus Romanis accidit.

Nomen. *Termini.* *Populi veteres.*

Qualitas. Regio est fertilissima frumento, pomis, leguminibus; abundat armentorum & pecorum gregibus, sylvis, fluviis, lacubus & piscinis. Montes, deserta, rupes in ea nullæ inveniuntur; exceptis quibusdam collibus, qui sensim in fructuosissimos agros declinant: sunt in ea 16 præcipuæ urbes, multa opulenta cœnobia, splendida castella, innumeri pagi vicique. *Divisio.* Dividitur tota in sex partes, nempe in Megapolitanum & Vandalicum, Ducatus, Comitatum Swerinensem, Dominia Rostochiense & Stargardiense, & Episcopatum. In Ducatu Megapolitano censentur urbes & oppida, *Wismaria* cum vicina Insula Pole, *Gripswaldia*, *Tempsinum*, *Gades*, *Rhena*, *Bucovia*. Vandalico Ducatui annumerantur *Gustrovia*, *Sterneberga*, *Malchinum*, *Stavenhaga*, *Ivenacum*, *Neocalvia*, *Warinum*, *Pentzlinum*, *Rebella*, *Wendenhaga*, *Malchavia*, *Tetrovia*, *Goltberga*, *Parchum*, *Plaga*, *Lupsianum*, *Grabovia*, *Domitium*, *Neostadium*, *Eldenavia*, & *Gorlosia*. Swerinensis Comitatus continet *Swerinum*, *Witteburgum*, *Beytzenburgum*, *Cribitium*, & *Hagenaviam*. Dominii Rostochiensis sunt *Rostochium*, *Ribnitium*, *Gnoia*, *Tessinum*, *Laga*, *Schwana*, *Salinas*, & *Marlovia*. Ad Dominium Stargardense referuntur *Brandeburgum*, *Stargardia*, *Furstenberga*, *Strelicium*, *Mirovia*, *Fredlandia*, *Wesembergia*. Episcopatus autem *Buchepaleam*, cum media *Insula Swerinia* complectitur. Nos itaque maxime claras uniuscujusque partis urbes memorabimus, præmittentes tamen urbem Lubecam, quæ quamvis Duci Meckelenburgensi non pareat, nihil tamen vetat, quin ad illam ditionem pertineat.

Lubeca. *Lubeca* urbs amplissima est, situ, & mœnibus, & portu ornatissima, mercatura denique celebris, navigationibus potens, ac tam publicis, quam privatis ædificiis splendens, ut non immeritò omnium, quæ ad sinum Balthicum jacent, urbium præcipua habeatur: Vt de ea recte Lindebergius:

> *Gens humana, situs, commercia, littora, mores,*
> *Mars, toga, divitiæ, curia, relligio,*
> *Arctoas inter claras virtutibus urbes*
> *Efficiunt, tollat tanta* LVBECA *caput,*
> *Et decus Europæ, & lumen sit totius Ansæ,*
> *Et sit Vandalici pulcra corona soli.*

Sonat enim Lubeca laudis angulum, quasi dicas *Lob-eck*. Sita est ad Suardæ & Dravennæ confluentes, hinc amne, inde lacu Wagnissa, qui & Bractusa dicitur, irrigua. Ortum habuisse creditur partim à Cimbris, partim ab oppidulo *Swartow*, mari vicino. Sed crescentem urbem multa infestarunt. Nam & à Vandalis statim spoliata, & cremata est anno 1558. Cumque illi defendendæ impar esset Adolphus Holsatiæ Comes, Henrico Leoni Saxoniæ & Bavariæ Duci potentissimo cessit. Hic enim novæ civitatis incrementis querebatur Bardovicensium mercimonia decrescere, & proventum minui Salinarum Luneburgensium exportatione salis Todesloani. Mutato ergo Domino crevit urbs prudenti jam tum Magistratus consilio, qui Ducis Saxoniæ intercessione, facile à Daniæ rege Woldemaro obtinuit, ut libera essent Lubecensibus per Daniam commercia. Proscripto Leone venit civitas in potestatem Imperii, obsessa & capta à Friderico I. Post cujus obitum reddita est Leoni. Eo defuncto cessit Regi Daniæ, victa à Woldemaro Canuti regis fratre, Duce Slesvicensi. Sed cum durius eam haberent Dani, dederunt se Lubecenses in potestatem Friderici II, & ab illo impetrarunt pristinam illam suam Imperii libertatem. Ita intra annos LX varios casus experta Respubl. ostendit, rebus adversis desperandum non esse ei, qui magnum aliquid moliri studet, sed enitendum prudenter, quamdiu spes aliqua divinitus adfulget. Ex eo tempore mansit semper in ditione Romani Imperii, fida & constans; insignia quoque virtutis suæ præmia à Cæsaribus experta. Anno 1238, ingenti incendio deformata est, quæ res occasionem dedit, cavendi, ne in posterum arundine, aut stramineo aut palustri junco domus illic tegerentur, sed tegulis coctilibus. Anno 1408 motus est in civitate intestinus adversus Senatum tumultus à civibus quibusdam factiosis, quorum opera factum est, ut pulsis Consulibus antiquis novi subrogarentur in ipso-

MEKLENBVRG
DVCATVS.
Auctore Ioanne Laurenbergio.

SEPTENTRIO

MARE BALTICUM.

Oost Zee

POMERANIAE PARS

HOLSATIAE PARS.

OCCIDENS

ORIENS

SAXONIÆ PARS.

Das Land zu Sachsen.

Die Elbe

MARCAE BRANDENBVRGENSIS PARS

Muritz lacus.

Calpin lacus

Flaver See

LVBECK

WISMAR

GVSTROW

Brandenborch

Parchim

AMSTELODAMI,
Guiljelmus Blaeuw
excudit.

S. Rogiers sculp.

Miliaria Germanica comm.

Miliaria Gallica communia.

MERIDIES

39

rum locum : sed non multo post facile sensit Respublica, quantum intersit, navem illam à perito nauclero, non ab ignaro ventorum & fluctuum regi. Restitutus ergo prior Senatus septennio post per Sigismundum Imperatorem, à faventibus civibus ingenti desiderio exceptus est.

Magna vero est in ea urbe Magistratus autoritas, magna amplitudo. Neque enim ad eam dignitatem evocantur, nisi selecti ob singularem atque eminentem prudentiam viri. Consules sunt duodecim : omnes patritii vel equestris dignitatis. Ab his non datur, nisi ad Romanum Imperium, provocatio. Religio in urbe mutata est anno 1530. Situ & opere munitissima est, muri & propugnacula palis ac tignis in aquam depactis fusticato opere firmantur. Binæ sunt civitatis plateæ longis extensæ spatiis, quas reliquæ decussatim intersecant, clivoso descensu illinc in Dravennam, hinc in Vagenislam, illuviem omnem sordesque civitatis emittentes, quo fit, ut grata munditie plateæ omnes niteant. Templa conspicua sunt, Cathedrale B. Iohannis, Collegiata B. Virginis, S. Iacobi, S. Petri, aliaque, quæ celsis ornata turribus laminisque æreis, aut plumbo tectæ apicibus aureis fulgent.

Wismaria. Post Lubecam *Wismaria* locum sibi vendicat. Significat autem *Wismar* Saxonica sive Germanica lingua certum mare. Estque id nomen propterea huic loco inditum, quod maris sinus ibi fidam & tutam navibus stationem concedat. Vt canoras nugas merito sonare dicendi sint, qui contendunt, Wismarum quendam regem Vandalorum huic urbi appellationem de suo nomine dedisse. Initia urbis referuntur ad annum Christi 1240, quo tempore ex ruinis antiquæ urbis Mecklenburch, quæ regni Vandalorum in hac regione caput fuisse perhibetur, condita fuit à Guncelino, qui post Henricum Leonem huic ditioni præfuit. Brevi autem tempore magna incrementa sumsit ex commerciis aliarum gentium, ob eam, quam diximus, portus commoditatem, & importandi, exportandique facilitatem. Cincta est undique minoribus oppidis, ex quibus ingens rerum ad vitam necessariarum copia advehitur. Agrum suburbanum habet fertilissimum, ex quo fere quingentis civibus proprios lares habentibus, sorte aliquot jugera agrorum totum septennium colenda fruendaque conceduntur, recepta jam à multis annis consuetudine. Templa eximia tria habet. Vnum B. Virginis in media urbe, alterum versus Septentrionem B. Nicolao sacrum, tertium Meridiem versus B. Georgio. Est & in ea Curia magnifica, & Palatium Ducis. Distat Suerino milliaribus quatuor, Rostochio septem, Lubeca octo; atque inter has urbes nomen suum & dignitatem egregie tuetur, ob singularem civium humanitatem, Magistratus prudentiam, legum æquitatem, ordinis recte constituti exactam observationem, & mercatorum industriam; quamobrem inter Anseaticas tractus Vandalici nequaquam ultima est. De ea sic refert Krantzius in sua Vandalia : *Guncelinus patri cognominis Suerinensem Comitatum tenet post patrem, quem ille ab Henrico Leone promeruit. Hic ergo filius quum Mecklenburg pro sui magnitudine oppidum cerneret immunitum, quod distensum in longum nullis vallis ac muris potuit firmari, vicino loco ad mare contiguam urbem cœpit moliri, quam Wismariam, incertum unde ducto nomine appellavit.* Postea subjungit : *Si Latini rem gessissent, suspicarer Cismariam vocitatam : nunc cum Saxones fundamenta jecerint, in obscuro manet, unde sit nomen deductum. Wismariam tamen nomen esse Vandalicum ex aliis meminimus. Potuit ergo vir in ea gente nobilis ibi habitans loco relinquere nomen, ut ex Wismaro Wismaria, quomodo ex Romulo Roma diceretur.* At errat Krantzius, veram siquidem nos nominis originationem dedimus.

Rostochium. Sed nec *Rostochium* indictum nobis abire fas est. Est & hæc urbs Vandalica tractus Megapolitani, federis Anseatici. Nomen habet non à rosa aut roseto, neque à fuste rubro, tametsi ad originationes istas videatur alludere Germanica appellatio, sed à terra uliginosa, quæ Sclavis (constat hos olim hæc loca insedisse) dicitur *Rostzock*, quod nomen totidem litteris ajunt sigillo majore urbis exprimi. Confirmat etymologiam historia Polonica. Origo urbis prima refertur ad annum Domini 329. Tunc enim ajunt ad Varnam piscatores opportunitate loci illectos, casas suas & tuguriola illic condidisse. Sed oppidulum fecisse dicitur Godscalcus Obotritarum Dux. Illud constat, eam anno 1160 à Pribislao II, Nicoliti filio, quadragesimo & ultimo Herulorum Rege, ex ruderibus vicinæ atque à Principe suo Henrico Leone vastatæ, disjectæquebis *Kessin*, muro cinctam, fossa munitam, inque urbis formam redactam esse. Non multo minor est Lubeca. Vrbis partes tres sunt, Antiqua, Nova, Media. In antiqua sunt templa tria, unum B. Petri, alterum B. Nicolai, tertium B. Catharinæ cum collegio Iurisconsultorum. Media, quæ brachio Varnæ ab antiqua separatur, habet templa B. Mariæ, Iohannis, & Curiam cum lectissimorum & doctissimorum civium ædificiis. Nova habet Ecclesiam Collegiatam B. Iacobi, cum templo Spiritus Sancti, B. Michaëlis, S. Crucis, & octo collegiis Academiæ. Fora tria sunt, Vetus, in quo rustici ligna, carbones, hordeum divendunt. Medium, in quo tabernæ sunt institorum, & tertium Lupuli, in quo lupulus prostat venalis, quod etiam ab equis equarium, & à collegiis vicinis Latinum vocatur. Plateæ sunt 140, quarum nonnullæ à portis nomen habent, ut Lapidea, Cygnea, Bramoviensis : quædam ab incolis, ut Piscatorum, Fabrorum, Carnificum : quædam à familiis, ut Cosfeldiorum, Lagestratorum, Wockrendiorum, Eselsotorum, Suichmanorum : quædam à situ, ut longa, lata, aspera, angusta, vaccinea, sanguinea, aquatica. Portæ urbis majores in usum curruum olim septem fuere, B. Petri, per quam itur in Pomeraniam : Molitorum, qua in Marchiam : Lapidea, qua Cygneam : Kropelinensis, qua Wismariam & Lubecam : Bramoviensis, qua Varnæmundum. Duæ reliquæ obstructæ sunt. Præter has sunt quatuordecim minores, quæ ex urbe Varnam ducunt. Pontes septem, sed ex his unus vetustate consumptus est. De numero verò septenario rerum hic memorabilium exstat Rythmus :

Seven doren tho S. Marienkarcke,
Seven straten van den grooten marckte,

Seven

Seven dhoren so dar gahn tho lande,
Seven kopmans bruggen by den strande,
Seven torne so up den Radthusz staan,
Seven klocken die daar daalychen slaan,
Seven linden op den Rosengarten,
Dat syn die Rostocker kennewarten.

Habent autem Rostochienses jus cudendæ monetæ aureæ & argenteæ. Magistratus constat 24 selectis viris; ex his sumuntur Consules quatuor, Camerarii, item Præfecti opificum, ac denique Prætores & Iudices. Academia cum privilegio admissa, tantum habet juris, quantum ipsi indultum est à Principe & Republica.

Gustrovia. *Gustrovia* urbs cum arce, quæ sedes Principum, 4. mill. Rostochio distat. Templum in ea S. Cæciliæ sacrum, eximiè pulchrum, ab Henrico Burewino II, Megapolitano, & Rostochiensi Duce, initio sui Principatus fundatum. Religio Christiana tempore Othonis Episcopi Bambergensis, Pomeraniæ Apostoli, hic primum coli cœpta. Anno 1631 urbs hæc cum arce hæreditario suo Domino restituta est, revocatis ambobus ab exilio Ducibus auxilio Gustavi Adolphi Suecorum Regis; incredibili cum gaudio incolarum, qui fidei sacramentum Ducibus suis oppido præstitere: vinorum abundans, in vulgus copia data, ut & projecti nummi, qui una parte effigiem Ducis, altera Pellicanum referebant, rostro sibi pectus scindentem.

Malchinum. *Malchinum* 4 mill. novo Brandeburgo distans, in finibus Pomeraniæ ad Penam fluvium situm est. Hic fluvius ex Malchinio lacu ortus paulo infra urbem in Cummerovicum se effundit, & adeo angustum ad urbem aditum efficit, ut vix currui pateat; unde non parvum urbi munimen est. Vtrimque enim profunda præcipitia sunt; & fossæ limo repletæ redeundi facultatem non permittunt: anno tamen 1631, stratagemate militari in Suecorum potestatem venit.

Schwerinum. *Schwerinum* urbs ad sui nominis lacum sita, anno 1163 ab Henrico Leone Saxoniæ Duce condita & munita fuisse dicitur, qui illam bellicoso Equiti Guntzelio cum Comitis titulo donavit. Vltimus ex ejus familia fuit Comes Otho cognomento Rosa, qui anno 1352 obiit, filiam unicam habebat Richardin, quam Albertus Megapolitanus Dux, conjugio sibi junxit. Ita hic Comitatus Megapoli annexus fuit. Imperator Otho IV, civibus Schweriniis multa privilegia concessit, inter cætera, ut libere unusquisque civis cum duabus majoribus navibus, & tot quot vellet minoribus, in Wismariæ portu mercaturam exerceret, neve ulla telonia per totam Saxoniam persolveret. Hinc est, quod nec hodie ulla Telonia Lubecæ aut Wismariæ persolvant. Bello Germanico Schwerinum Walstenio, Duci Fridlandiæ à Cæsare donatum, sed à Gustavo Adolpho recuperatum, & suo domino restitutum est. anno 1651, urbs cum curia in favillas redacta est, ita ut vix Ducalis Arx cum templo conservata sit.

Stargardia. *Stargardia*, ad differentiam Stargardiæ in Pomerania, Vetus Stargardia dicta, Regia olim sedes, postea tantum Comitatus titulo insigne; ab Obotrito Vandalorum Principe condita, postea à Ioanne I, Marchione Brandenburgico Electore & ejus fratre Othone III, reædificata est. Fuit in Marchionum potestate usque ad annum 1290, quando Albertus IV, Marchio Brand. & Princeps Anhaltinus Beatrici filiæ suæ dotis loco dedit nubenti Henrico Leoni Vandalo in Megapoli. Exinde devoluta est ad Duces Megapolitanos, quorum in potestate etiam nunc est. Et hæc quidem de urbibus: minores enim omnes, & oppida singula longis verborum tractibus describere, ut non necessarium, ita & tædiosum est.

GENEALOGIA

Ducum Megapolitanorum.

DVcum Megapolitanorum origo longa serie ad Reges Henetorum seu Vandalorum refertur: quorum quod historiæ incertæ & multis commixtæ fabulis sint, sufficiet Ducum tantum seriem enarrare, quæ à Pribislao 41, & ultimo rege incepit. Hic in uxorem ducta filia Norvegiæ regis, anno 1170, ab Henrico Leone Duce Saxoniæ in acie victus & captus fuit cum fratre Vratislao sive Vladislao, qui in crucem actus est, quum Christianam religionem aspernaretur. Mortuus est Pribislaus in ludo equestri ex equo decidens.

Henricus, Pribislai alter filius, primus nomini & titulo Regio valedixit, & ab antiquo aliquo castello Ducem se Megapolitanum appellari voluit; & postquam rempublicam, post Nicolai fratris obitum, solus aliquamdiu administraslet, mortuus est anno 1238, & sepultus in Ecclesia Gustroviensi, quam ipse fundaverat; relictis quatuor filiis, quorum natu maximus Ioannes Megapolin cum adjacentibus terris, Nicolaus Herulorum & Vandalorum regionem, Berwinus Rostochium, & Pribislaus Sternbergam cum Parchimo jure hæreditatis acceperunt.

Ioannes, ex uxore Hennebergici Comitis filia genito Henrico, & adactis ad recipiendam Religionem Christianam Lithvanis, moritur anno 1260.

Henricus, cognomine *Hierosolymitanus*, cum S. Ludovico Rege Galliæ, aliisque Germaniæ Principibus Terram Sanctam recuperatum abiit; decessit anno 1302. Filii ejus fuere duo; Ioannes & Henricus Leo.

Henricus Leo uno eodemque tempore cum Rege Daniæ, Archiepiscopo Magdeburgensi, Othone Duce Brunsvicensi, Visilao Principe Rugiensi & Adolpho Saxoniæ Duce bella gessit, receptis à Danorum Rege Wismaria & Rostochio: successorem habuit Albertum I, concesso alteri filio Ioanni Ducatu Stargardiæ; qui cum fratre à Carolo IV Imper. S. R. I. Princeps factus, alterum Ioannem genuit, mortuum sine liberis; ut & Vlricum patrem Henrici, avum Vlrici II, mortui absque prole mascula, anno 1371.

Albertus I, victoriis felix, ex Euphemia Magni Sueciæ & Norvegiæ Regis filia liberos habuit Albertum II, Magnum I, & Henricum; quorum natu maximus Albertus II, in Sueciæ Regem electus, ea fortuna frui non potuit, captus cum filio Henrico à Margaretha Daniæ Regina, & redemptus à nobilibus fœminis Megapolitanis,

nis, quibus ideo concessit, ut cessante mascula prole feuda ad vitæ suæ terminum retineant. Obiit Albertus II, anno 1394, relictis Henrico & Alberto absque prole mortuis. Pater ejus Albertus I, fato functus est anno 1380.

Magnus I. Obiit anno 1384.

Ioannes ejus filius fundavit Academiam Rostochiensem anno 1415; ducta domum Catharina Henrici III, Inferioris Saxoniæ Ducis filia, procreavit Henricum Crassum, Magnum II, & Ioannem; vivere desiit, anno 1423.

Henricus Crassus ex Electoris Friderici Brandenburgici filia, Dorothea filios habuit Albertum, Ioannem, Magnum III, & Balthasarem. Finiit anno 1447.

Magnus III, iter in Palæstinam cùm cognato Vlrico fecit, quo defuncto Stargardiam ditioni suæ junxit, & uxorem duxit Sophiam Henrici II, Pomeraniæ Ducis filiam, è qua sustulit Henricum Pacificum, Ericum & Albertum; Sophiam nuptam Ioanni Electori Saxoniæ, Annam uxorem dein Gulielmi Landgravii Hassiæ, Catharinam Henrico Duci Saxoniæ & Marchioni Misniæ connubio junctam, matrem Electorum Mauritii & Augusti, & Dorotheam Ribnicii Abbatissam. Cessit fato anno 1503.

Henricus Pacificus, Lutheri doctrinæ adhærens, obiit Swerini, anno 1552.

Albertus Pulcher, Henrici frater, stirpem suæ familiæ jam deficientem iterum restauravit, juncta sibi in matrimonium Anna filia Ioachimi I, Electoris Brandenburgici. Abiit ex hac vita anno 1545. Filii ejus fuerunt Ioannes Albertus; Vlricus, Episcopatus Swerinensis Administrator; Georgius; Christophorus, Coadjutor Episcopatus Rigensis, & Ratzeburgensis Administrator, Carolus, & Ludovicus.

Ioannes Albertus, natu maximus Alberti filius, ex Anna Sophia Alberti, Prussiæ Ducis & Brandenburgici Marchionis filia, tres filios suscepit, Albertum, Ioannem, Sigismundum Augustum. Excessit è vivis anno 1576.

Ioannes, natus anno 1558, in uxorem ducta Sophia Adolphi Holsatiæ Ducis filia, mortuus est anno 1592, relictis Adolpho Friderico, nato anno 1589, Ioanne Alberto, nato anno 1591, & duabus filiabus cœcis.

Adolphus Fridericus, Swerini sedem figens, matrimonio sibi junxit Annam Mariam Ennonis II, Ostfrisiæ Comitis filiam, è qua sustulit Christianum natum anno 1623; Sophiam Agnetem natam anno 1625; Carolum natum anno 1626; Annam Mariam, anno 1627; Iohannem Georgium, anno 1629; Hedwigem, anno 1630; Gustavum Adolphum an. 1631; Iulianam an. 1632. Mortua Anna Maria Adolphus Fridericus secundam conjugem duxit Mariam Catharinam Iulii Ernesti, Ducis Brunsvicensis & Lunæbergensis in Dannenberg filiam, quæ illi peperit Iulianam Sibyllam an. 1636; Fridericum anno 1638; Christinam an. 1639; Bernardum Sigismundum an. 1641; Augustum an. 1643; Mariam Elizabetham an. 1646; Annam Sophiam anno 1647; Henricum Gulielmum an. 1651; Philippum Ludovicum an. 1652.

Ioannes Albertus, Adolphi Friderici Frater, Gustroviæ residens, tres uxores habuit, quarum prima Margaretha Elizabetha, Christophori agnati filia, illi dedit Ioannem Christophorum, natum an. 1611; Sophiam Elizabetham nat. an. 1613. nuptam an. 1635 Augusto Brunsvicensium & Lunæbergensium Duci in Wolffenbuttel; Christinam Margaretham nat. an. 1605; junctam Francisco Alberto Lauenburgico anno 1640, Christiano Patrueli an. 1650; & Carolum & Henricum nat. 1616, biennio post mortuum: secunda improlis fuit; Tertia vero Eleonora Maria, Christiani Principis Anhaltini filia, dedit Annam Sophiam n. 1628, nuptam an. 1649 Ludovico Lignicensi & Bregensi Duci; Iohannem Christianum n. 1629, biennio post exstinctum; Eleonoram n. 1630, & sequenti anno fato functam; Gustavum Adolphum nat. 1633, & Louisam n. 1635, mortuam an. 1648.

Gustavus Adolphus, ad thalamos electa Magdalena Sibylla, Friderici Holsatiæ Ducis filia, anno 1654, insequenti anno filium ex ea sustulit Ioannem Albertum n. 12 Dec. 1655.

HOLSATIA, ET SLESVICUM, DUCATUS.

Situs Ducatuum Slesv. & Holsatiæ.



Iti sunt hi duo Ducatus, quemadmodum eos una in mappa conspiciendos damus, inter gradum 53 & medium, & 55 & medium juxta latitudinis dimensionem, à circulo Æquinoctiali in Zona temperata, & inter Clima 21, quod est per ostia fluvii Tanaidos, & 22, quod est per Brigantium Magnæ Britanniæ, juxta Veterum & Ptolemæi opinionem; in medio vero sexti climatis, juxta nostram, cujus in Introductione ad Atlantem amplam mentionem fecimus, unicuique climati decem gradus adscribentes: ita ut media linea parallela 54 gr. 30 min. ab Æquatore distans media horum Ducatuum dissecet, & recta urbem Eckerenfordam pertingat, eique longissimum diem 17 horarum efficiat: à qua latitudine Gottorpium & Slesvicum non multum discedunt; apud Coldingam autem lat. loci & elevatio poli 55 gr. 29 min. longissimo diei 17 horas & quartam partem attribuit. Hamburgi, quæ urbs in Holsatiæ finibus meridiem versus sita est, conficit Elevatio poli 53 gradus 34 minuta unde longissimus dies ad 16 horas & 60 minuta excurrit.

Long. & Lat.

Extenduntur hi Ducatus ab Hamburgo, (quamquam hi fines ad Austrum aliquantulum declinent) usque Coldingam in viginti novem milliaria longitudinis: iterum ab Hamburgo Schotburgicum ad amnem usque idem longitudinis spatium complectuntur, non obstante quod juxta itinerum rationem triginta milliaria numerentur. Iniqua ubique latitudo ab Helgolandia ad Insulam Femeren inclusive triginta milliaribus æstimatur: insulis autem deductis, continens inter utrumque mare longe angustior erit; Holsatia tamen Slesvicensi Ducatu latior & amplior apparebit, de quo infra: conjuncti interim in Regionis Matricula 18000 Iugera & amplius continent; & in iis, 28 urbes, 24 Arces, 39 vicos, 15 Præfecturarum Domos, 436 templa, 173 prædia Nobilium, 2842 pagos, 281 villas, & 276 molas aquarias.

Fines.

Clauduntur hi Ducatus ab Aquilone Regno Daniæ, sive ejus præcipua parte Iutia Septentrionali, intercedentibus duobus fluviis Schotburgico, qui parvum milliare ultra Ripam urbem cursum suum dirigens, inde in mare Cimbricum se exonerat, & Coldingico, cis Coldingam per sinum Coldingicum mari Balthico se commiscente: latus Orientale cingit mare Balthicum, Plinio *Sinus Codanus*, Tacito *Mare Suevicum* dictum, non ita tamen, quin insulæ quædam in eo sitæ Slesvicensi Ducatui annumerentur, quales sunt Alsen, Arroë & Femeren. Ab Euro Trava fluvio ambiuntur, qui Holsatiæ & Megapolitano Ducatui limitaneus; exinde Lubecensi Territorio, Inferioris Saxoniæ Ducatu, (alias quoque Saxo-Lauwemburgico appellato,) Hamburgensi ditione, & fluvio Albi; ac tandem Occidentem versus mari Cimbrico, *die Noordzee* indigenis dicto: in quo multæ etiam insulæ sunt, quæ Holsatiæ & Slesvico attribuuntur. Ita, ut diximus, inter maria Cimbricum & Balthicum siti Ducatus constituunt unà cum Iutia Chersonesum Cimbricam; cujus forma Italiæ non male convenit, quamquam tota hæc Chersonesus ejus dimidiam vix partem æquet.

Situs.

Fertilitas.

Quamquam alicubi hæ regiones steriles sint, ut in Holsatiæ Mediterraneis & in Ducatus Slesvicensis districtu inter ipsam urbem Slesvicum & Rendesburgum; ut & inter Flensburgum & Husumum, attamen ab utriusque maris littore, terræ facies eo pulchrior & amœnior est, ut illius oræ sterilitatem sua fœcunditate plusquam abundanter compenset: cum omnia in ea copiose progerminent, quæcunque ad vitæ sustentamentum faciunt, exceptis vino, oleo, saccaro, aromatibus, sale (utut in præfectura Tunderensi aliquantulum non adeo magnæ æstimationis coquatur) metallis & quibusdam medicantibus herbis: quæ merces & in Germania, exceptis vino, metallis & sale, exoticæ. Quæ porro hic proveniunt, sunt siligo, triticum, avena, ozymum, hordeum, polenta, pisa, fabæ, casei, butyrum, boves, equi, pelles, sebum, vel sevum, lana, &c. Cum vero bonitas Numinis hasce terras felicibus portubus dotaverit, eorum & navigationis beneficio incolæ ex Germania, Borussia, Livonia, Suecia, Dania, Norvegia, Anglia, Belgio, Gallia, Italia, Hispania, aliisque plurimis longe dissitis regionibus desideratas merces, suisque permutatas brevi compendio advehunt, atque ita commercia exercent. Navigabiles portus ad mare Balthicum sunt Flensburgum, Haderslebia, Apenrada, Sonderburgum, Slesvicum, Eckernforda, Christianpries, Chilonium, Heiligenhafen, Neostadium; Lubeca in suo, Travemunda vero alter & major Lubecensium portus in Holsatico solo sita. Ad

Portus.

NOVA & ACCVRATA
DVCATVVM
SLESVICI
ET
HOLSATIÆ
TABVLA.

Serenißimo et Potentißimo Principi
ac Domino,
Dn̄o. FRIDERICO III.
Daniæ, Norwegiæ, Vandalorum, Gothorumq́
Regi: & Duci Sleswici Holsatiæ, Stormariæ
& Dithmarsiæ, Comiti in Oldenborg et Del-
menhorst.
Et
Serenißimo, Celsißimoq́ Principi ac
Domino,
Dn̄o. FRIDERICO IV.
Hære di Norwegiæ, Duci Sleswici Holsatiæ, Storma:
et Dithmarsiæ, Comiti in Oldenborg et Delmēhor:
Dominis suis Clementißimis, Tabulam hanc
Geographicam; Ducatuum Sleßwici & Holsa-
tiæ Conjunctim exhibitorum, subjectißime
Offert author
Iohannes · Mejerus, Husumensis.

Matthias und Nicolaus Pet. Goldtschmide gebr:
Hus: Cimb: sculps.

MARE CIMBRICVM
Vulgo Die West See

MARE BALTHICVM
Vulgo Die Ost See

NORT IUTHLANDIÆ PARS
FIONIÆ PARS
MECKLEN BORG
DVCATVS BREMEN SIS PARS
DVCATVS LVNEBORGENSIS PARS
DIE GRAFSCHAFT OLDENBORG

Milliare Germanicum.

Ripen
Sleswig
Flensborg
Hadersleben
Husum
Tondern
Sonderborg
Apenrade
Eckernförde
Tonning
Hamburg
Kiel
Rendsborg
Itzehoa
Oldesloh
Krempe
Gluckstadt
Ploen

40

mare Cimbricum offerunt ſe Hamburgum, Gluckſtadium, Itzehoa, Tonninga, Fridericopolis, Huſumum, Sluta in Hallingen prope Nordſtrandt, Schmaltief prope Föhram, Rutebull & Hoier prope Tunderam, Liſtertief ad inſulam Röm & Ripenſem portum, &c. inter quos aliqui tam profundi, ut naves centum ſegmatum admittant: in Ducatu Slesvicenſi & alii exſtant præcellentes portus, ſed non adeo frequentati.

Piſces. Fluvii & ſinus piſcium affluentiſſimi ſunt, præſertim ad mare Balthicum. Sunt quoque in Ducatu Holſatiæ maximi & piſcibus divites lacus, & piſcinæ, quarum plurimæ Nobilium ſunt, tam frequentes, ut non tantum hoſpitibus laute excipiendis, ſed & perpetuo penui nec non culinæ proſpiciendæ ſufficiant: Ingens quoque lucrum incolis adferunt, quo exſiccatis deducta aqua grandioribus piſcinis, jam quartum vel quintum annum pro locorum conditione intactis, omnem captivum piſcem in vicinas urbes venalem exportant. Piſcium horum nomina hæc fere ſunt: Salmones, lucii, carpiones, coracini, percæ, tincæ, foxii, apuæ, ſturiones, ſandatæ, murenæ, murenulæ, truttæ, thymalli, haleces, aſſeres, paſſeres, aſelli majores & minores, rajæ, ſammari, oſtreæ, ceti, cancri, aſtaci, acipenſeres, funduli, anguillæ, melanuri, &c. ut communes burſales cancros, alioſque quotidianos piſces prætercam.

Montes. Ambo hi Ducatus plane non montoſi ſunt, ita ut fere nulli excelſiores montes in iis inveniantur, præterquam Segeberg, Helgolandia, una & continua in mari rupes, Hutteri montes prope Sleſvicum, montoſa arbuſta in præfectura Apenrade, & hinc inde aliqui ad mare Balthicum, qui potius colles, quam montes dicendi ſunt: è quibus multi grati & dulcè ſtrepentes amnes torrentesque emanant. Variis enim has terras fluentis Deus irrigavit, præſertim in Wagria, ut & in Ducatu Sleſvicenſi, inter quæ facile princeps eſt Albis, quamvis ipſi potius Holſatiæ conterminus dicendus ſit, cum nuſpiam per eam niſi infra Hamburgum juxta quaſdam inibi jacentes inſulas curſum inſtituat. Alter ab illo fluvius eſt Eidora; poſt hunc Trava, Stora, Schwentina, Billa, Alſtera, Pinnavia, Treena, Soholmavia, Funderavia, Lohbeca, Nipſa, Schotburgicus amnis, & minores alii, quorum ſuo loco ſparſim fiet mentio. Nec deſunt his in oris nemora & ſylvæ, quarum major numerus ad mare Balthicum, ut in præfectura Haderſlebienſi, in præfectura Apenrade, in Ducatu Sonderburgenſi, in Anglia, in Schwantzen, in præfectura Gottorpienſi, in nemore Danico, in Snellemarca, pluribusque aliis in præfecturis, quarum nomina hic adnotare ſuperſedeo.

Fluvii.

Sylvæ.

Status antiquus & modernus horum Ducatuum. Conjuncti licet nunc ſint hi Ducatus, diverſo tamen jure adminiſtrantur. Holſatia enim S. R. I. feudum eſt, Slesvicenſis vero Ducatus à Regno Daniæ, juxta tenorem conventionis an. 1579 Otthoniæ initum, liberè dependuit: uni nihilominus aliquando ante aliquot centenos annos paruerunt; ac primo quidem cum Canutus Daniæ Rex, filius Regis Woldemari I, & Rex Woldemarus II, Comitem Adolphum III, ex Holſatia ejeciſſent, eademque tunc temporis tantum Comitatus titulum habentem Imperio Rom. ſubtraxiſſent; quamquam Imp. Fridericus II, poſtea illam Woldemaro II, conceſſiſſe & confirmaſſe feratur. Nec multo poſt dedit Woldemarus II, Comitatum Holſatiæ Alberto Orlemundano in feudum, qui quoque eundem uſque in annum 1225 retinuit, quo à Comite Adolpho IV, & Henrico Comite in Schwerin iterum expelleretur ſecundò, tempore Regis Chriſtophori II, cum Gerardus Comes Holſatiæ, cognomento Magnus integrum Ducatum Sleſvicenſem, quamvis haud diu, magnamque partem Comitatus poſſideret. Iterum, cum Gerhardus Iunior, memorati Gerardi Comitis Nepos ab Odulpho Daniæ & Norvegiæ Rege Ducatum Sleſvicenſem feudalem acciperet, qui ſuam quoque ex Comitatu Holſatiæ partem una cum fratribus adminiſtravit. Sed ab hujus obitu bellum cruentum exortum eſt inter Reginam Margaretham ejuſque ſucceſſorem Ericum ab una, & filios Comitis Gerhardi, Henricum, Adolphum & Gerardum ab altera parte; quod tandem quorundam Ducum & Imperii Principum, nec non Hanſeaticarum urbium interventu diſſolutum eſt, ita ut Rex Ericus cum Duce Adolpho (Henricus quippe hoc in bello occubuit) in hæc pacis fœdera iverit, ut quilibet ea, quæ jam occupaverat, retineret. Erico Rege è vivis ſublato, Dux Adolphus à Rege Chriſtophoro Palatino Rheni, Duce Bavariæ, ſeu ejus nominis Tertio, totum Ducatum Sleſvicenſem in feudum accepit, eumque una cum toto Comitatu Holſatiæ (excepta Pinnebergenſi parte) quietus ad vitæ finem poſſedit, & feliciter adminiſtravit, denatus anno 1449.

Diviſio Ducatuum inter Regem Ioannem & Ducem Fridericum. Ab ejus obitu, cum non ſolum Ducatus Slesvicenſis, ut feudum Regni Daniæ ad Dominum rediret, ſed & Comites Schauwenburgici Chriſtiano I, ſuas prætenſiones in Holſatiæ Comitatum pro certa pecuniæ ſumma vendidiſſent, diviſio inter Regem Ioannem & Ducem Fridericum ejus fratrem facta eſt, & pars Ducatuum ſuum & proprium dominum accepit. Illo autem tempore ambo Ducatus eo modo diviſi ſunt, ut alterutri ex fratribus Ducatus Slesvicenſis, vel Holſatia tota concederetur, ſed (ſive ut quilibet tam Ducatus Holſatiæ quam Sleſvici portiunculam accipiens, tam Romano Imperio quam Regno Daniæ devinctus eſſet, ſeu evitandi belli & diſcordiarum ergo, quoniam ea ratione diſpertita Regio non adeo facile defenſioni apta eſt, ac illa quæ limitibus ſuis circumſcripta eſt) ut præfecturæ commiſcerentur, atque ita Rex Ioannes quaſdam præfecturas in Slesvicenſi, quaſdam quoque in Holſatiæ Ducatu poſſideret: itidem quoque Duci Friderico in utroque Ducatu diſtinctæ præfecturæ aſſignarentur. Equeſter ordo autem, ut & jura in bona Eccleſiaſtica, urbem Hamburgum, &c. indiviſa manſerunt; ſcitumque fuit, ut regimen eſſet ambulatorium, & per annum alternatim Duces præſiderent. Id temporis, & nominatim anno 1482, aſſignatæ ſunt Regi Ioanni in Ducatu Slesvicenſi præfecturæ Flensburgenſis, Sonderburgenſis, Norburgenſis, Brunlundenſis ſive Apenradana, & Inſula Femeren: in Ducatu vero

Hol-

Holsatiæ Segeberga, tunc temporis Regis in hisce oris arx præcipua, una cum Præfecturis Rendesburgensi, Hanroviensi & Haseldorpiensi. Duci Friderico cessit Gottorpium in sedem capitalem cum Husumo, Strand, Eiderstede & Tielenborg seu Stapelholm. Porro Præfecturæ Tunderensis & Haderslebiensis, quæ tamen tunc non adeo ampla fuit, ac hodie. In Ducatu Holsatiæ adeptus est Præfecturam Chiloniensem cum Diœcesi Novi Monasterii, Trittoviam, Steinburgum, Itzehoam, Plonam, Oldenburgum, Neostadium, &c. Hinc & Cœnobia, venationum & villicorum causa distincta sunt, sic ut Segeberga, Reinfeld, Arensboke, Prosa & Rüh-Closter Regi cum Segebergica parte, è contra Bordesholm, Cismar, Reinbeck, Vtersen, & Löhm-Closter Duci Friderico attributa fuerint.

II. Inter Christianum III, Iohannem & Adolphum.

Paulo post, cum successor Regis Iohannis Rex Christianus II, Regno Daniæ ab Ordinibus Regni & Duce Friderico anno 1522 ejectus esset, dictus Princeps (qui insequenti anno 1523 à Danicis Regni Ordinibus & Consiliariis in Regem electus est) etiam illam partem, quæ Regis fuerat, occupavit, & utrumque Ducatum solus tenuit: quo fatis functo Rex Christianus III, Friderici filius, Ducatus possessor fuit, sub tutoris nomine, usque dum cum fratribus Iohanne & Adolpho novam horum Ducatuum divisionem anno 1544 auspicaretur, in tres nempe æquales partes, quarum optio Adolpho ut Iuniori concessa est. Quarto fratri Friderico minorenni Episcopatus Hildesiensis & Slesvicensis destinati sunt. Quæ divisio, quoniam moderni Regiminis fundamentum est, accuratius explicabitur.

Portio Regis Christiani;

Rex Christianus III adipiscebatur in Ducatu Slesvicensi Præfecturas Sonderburgum & Norburgum; item Ruh-Closter & Sundewith, (quæ postmodum unita Ducatus Sonderburgensis titulum accepere) porro Præfecturam Flensburgensem & pagum Forkebeeck inter Gottorpium & Rendesburgum situm: in Ducatu Holsatiæ Præfecturas Segebergam, Steinburgum cum adhærentibus Wilstriæ & Crempæ paludibus, urbem Itzehoam, Plonam & Heiligenhafen, tandemque tria Monasteria, Segeberg, Reinfeld & Arensbocke, Segebergensi præfecturæ commode adjacentia.

Ducis Iohannis;

Duci Iohanni obveniebant Præfecturæ Haderslebiensis & Dorningensis, Tonderensis & Cœnobium Löhm-Closter, tresq; pagi Præfecturæ Gottorpiensis, Borchstett, Lehmbech & Campen, qui Præfecturæ Rendesburgensi annumerabantur: in Ducatu Holsatiæ Præfectura Rendesburgensis cum dictis pagis & Cœnobium Bordesholmium Præfecturæ Rendesburgensi vicinum.

Ducis Adolphi.

Duci Adolpho adjudicata fuit Arx & Præfectura Gottorpiensis, quibus ea tempestate vicus Husum cum adjacentibus circulis sive Harden accensebatur: item Stapelholmia, terra Eiderstett, Præfecturæ Hutten, Wittensee, Mohrkier, Brunlund sive Apenrade. In Ducatu Holsatiæ Præfectura Chilonium cum Diœcesi Novi Monasterii, Præfecturæ Trittow, Oldenburg cum Neostadio, binaq; Cœnobia Cismar & Reinbeck, illud Præfecturæ Oldenburg, hoc Trittoviæ adsitum.

Cum vero ante multos annos (nempe anno 1559) Dithmarsia à prædictis tribus Dominis subjugata foret, itidem & hæc anno 1568 in tres æquales portiones distincta est, ita ut Regi Friderico II, Christiani III filio, pars Australis, quæ cum Præfectura Steinburg lacui Wilstriæ contermina, attributa sit; Dux Iohannes meditullium ejus, Præfecturæ Rendesburgensi vicinum, retineret, Dux Adolphus autem Aquilonarem oram Gottorpio propinquam, Eidorâ tantum à Stapelholmia & Eiderstadio discretam acciperet. Ita tunc temporis Ducatus hi divisi & à tribus Dominis administrati sunt, ad annum usque 1564, quo aliqua mutatio subiit, cum Rex Fridericus II, fratri Duci Iohanni Iuniori in feudum concessit Insulas Alsen & Arroë, & Præfecturam Plonam in Holsatia cum monasteriis Reinfeld & Aarensbock, ea tamen lege, ut tamquam particularis Princeps summo Ducatuum regimini non se immisceret, imo potius tributa, telonia, aliaque communia aliis cum subditis onera exsolveret. Postquam vero Dux Iohannes Senior mortem obiit, tradidit Rex Fridericus fratri suo Iohanni Iuniori (qui non in æquales cum duobus Regentibus Principibus partes iverat) cœnobium Rüg-Closter in Anglia prope Flensburgum situm, cum adjacente terra Sundewit: quod cœnobium Dux Iohannes proxime sequenti anno 1582 destruxit, ejusque loco arcem erexit *Lucksburg*, sive *Glucksburg* appellatam, quæ nunc Ducis Philippi primaria sedes est.

Divisio Dithmarsiæ.

Mutatio sub Friderico II, & Divisio tertia.

Paulo ante, ut monuimus, memorabilis mutatio facta est, dum Dux Iohannes Senior Haderslebiæ anno 1580 fatis concedit. Insequenti enim anno Rex Fridericus post multas disceptationes de prædicti Ducis Præfecturis, tandem hoc modo cum Duce Adolpho eas divisit, ut ipse Præfecturam Hadersleben una cum Dorning in Slesvicensi Ducatu, in Holsatia autem Præfecturam Rendesburg, australemque partem Dithmarsiæ acceperit: Dux Adolphus è contra in Ducatu Slesvicensi Tonderam, Löhm-Closter, insulas Nordstrand & Femeren; in Ducatu Holsatiæ Cœnobium Bordesholm & Aquilonarem Dithmarsiam ditionibus suis adjunxerit. Ex eo tempore in hunc usque diem geminum tantum, Regium & Ducale Regimen, hi Ducatus habuere.

Regium Regimen in hisce Ducatibus.

Regiæ Majestatis vices Legatus seu Prorex sustinet. Regis Christiani III Legatus fuit Iohannes Ranzovius, Dominus Bredenbergæ & Botkamp, &c. Eques, Regius Campi Marescallus: cui filius natu maximus Henricus Ranzovius Hæreditarius Bredenbergæ, Lindewit, Ranzow, &c. singularis literatorum Mecænas, successit; qui Segebergæ residens huic summo muneri annos 44, summa cum laude præfuit, denatus anno 1599. Eum excepit filius Gerardus Ranzovius, idemque hæreditarius Bredenbergæ, &c. qui Haderslebiæ commoratus est, defunctus anno 1627. Hujus mortem interregnum quasi aliquod insecutum est, nullo illi in administrandum eximium hoc munus subrogato. Regiminis tamen status Haderslebiæ continuatus est. Cum autem superioribus belli Suecici tumultibus arx hæc improviso & fortuito incendio in cineres iret, Rex Fridericus III, tum temporis tantum Archiepiscopus Bremensis, Episcopus Verdensis & Coad-

& Coadjutor Halberstadiensis, &c. Regiminis sedem in Flensburgensem arcem transtulit, ibidemque perfectiorem illi formam indidit, adjuncto sibi Cancellario, Consiliariis seu Assessoribus & Secretario. Cum autem non diu postea Christianus IV ex hac vita abiret, Patri in Regno succedens Fridericus, Christianum Ranzovium Gerardi filium, sibi nec non Romano Imperatori ex intimis consiliis, Legati munere exornavit: qui, quod & Præfecturæ Steinburgensis, Gluckstadii & Australis Dithmarsiæ regendæ curam suscepisset, Regimen Regium Flensburgo Gluckstadium transtulit.

Ita quidem hodie sub duobus Principibus hi Ducatus sunt, alternis vel continuatis vicibus regiminis habenas moderantibus. Et quoniam, ut supra commemoratum est, Prælati, Monasteria & Equestris ordo sub unito regimine permanserunt, institutum est annuum Vniversale Iudicium, cui alter è Principibus pro tempore Regens in persona præsidet, cæteroqui nobilibus & eruditis tam provincialibus quam aulicis Consiliariis satis proviso: moderni Assessores sunt ex parte Regia dictus Comes Ranzovius, & ex parte Ducis Wolfius Blom, Præfectus Tonderensis, in Test & Schedorf; atque ita consequenter alternatim nunc ex parte Regis unus, & iterum alius ex parte Ducis: ut, Cajus ab Alefeld, Eques, Præfectus Haderslebiæ, in Meelbeeck &c. & Nicolaus à Qualen, præfectus Cismariæ & Oldenburgi, in Siggem, &c. Caspar à Buchwald, Eques, Præfectus Segebergæ, in Heimstorf, &c. & Paulus Ranzovius Præfectus Chilonii, in Botkampf, & Kohövet, &c. Henricus Blom, Eques, Præfectus Rendesburgi, in Hagen, &c. & Fridericus ab Alefeld, Præfectus Prittoviæ & Reinbeck, Præpositus Cœnobii Vtersen, in Sestemug, &c. omnes Provinciales Consiliarii; tum & duo Cancellarii, ut ex Regia parte Theodorus Reinking I C. Ducis vero nomine Iohannes Adolphus Kielman, Hereditarius in Satropholm & Obdorff, Templi Cathedralis Hamburgensis Præpositus, Præfectus in Moorkircken, qui per 26 & quod excurrit annos Principi Friderico fuit ab officio, 20 annos Cancellarius; cujus nobilissimi viri merita in istam inclutam Domum Gottorpicam multa & egregia extant merita. Cui cum Vicario D. Friderico ab Alefeld hoc ann. 1662, Princeps ad exteros abituriens Præsidium Regiminis benigne obtulit. Itidem utriusque Principis sacramento adstrictum Consilium & Cancellarius Provincialis, qui in Provincialibus Iudiciis statuta describit & publicat; Henricus von Hatten I C. quem alternatim cæteri Regis & Ducis Consiliarii subsequuntur, ut Reimanus Dorn, I. V. D. Balthasar Gloxin, I. V. D. Franciscus Stapel, I. V. D. Eberhardus Weidenkopf I. V. D. Iohannes Helm. I. V. L. Quicquid autem in hocce Collegio *loco Definitivæ*, præsertim in rebus Slesvicensibus dijudicatur, manet inter partes irrevocabile, contra quod beneficia & remedia juris nulla efficaciter allegari possunt. Ast in Ducatu Holsatiæ concessa est, juxta privilegium Cæsareum, in rebus appellabilibus & alicujus ponderis, provocatio ad aulam vel Cameram Imperialem.

Judicium Vniversale annuum.

Reliquæ Provinciæ, Præfecturæ & Civitates fere quævis suas peculiares instantias habent, tandemque per appellationes definitive ad cujusvis Domini Cameram Iudiciariam aulicam devolvuntur, quemadmodum ex statutis provincialibus horum Ducatuum latius patet. Nec silentio prætereundum, Regentem Ducem ultimis Comitiis Ratisbonæ actis per Exlegatum suum, ac Consiliarium intimum, & Aulæ Cancellarium Iohannem Adolphum Kielman anno 1641, Regem vero anno 1650, novissima feudi acceptatione Viennæ per suum Pro-Regem, introductum à se jus primogenituræ ut solemniter à Cæsarea Majestate confirmaretur, impetrasse: unde autumandum, in hisce Ducatibus alias deinceps subdivisiones haud subsecuturas esse.

Cæterum Iohannes Dux Sonderburgensis divisit ditiones & præfecturas suas in quinque partes, seu inter quinque filios: quorum natu maximus, Christianus, Insulam Arroë, Alexander Arcem Sonderburgensem cum dependentiis, Ioannes Adolphus Arcem & præfecturam Norburgensem; (cui Fridericus postea vi substitutionis successit,) Fridericus Luxburgum in Anglia cum maxima parte terræ Sundewitt, tandemque Ioachimus Ernestus in Holsatia sitas Præfecturas Plonam, Reinfeld & Arensbock sortitus est; de quibus infra largius.

Divisio Sonderburgensis Principatus.

Iacent præterea in hisce Ducatibus, vel in eorum saltem districtu,

1 Territorium Episcopatûs Lubecensis, sicut in Holsatiæ Provinciali Matricula reperitur. Alias Episcopus, ut notum, S. R. I. Princeps, nullo Iudici subest, præterquam Cæsareæ Majestati.

2 Episcopatus Slesvicensis sive Schwabstede, ad Ducatum Slesvicensem pertinens, cujusque jugera in Matricula Ducatus Slesvicensis comprehensa sunt. Quoniam autem non semper Episcopo prospicitur, eodem quo cæteræ Præfecturæ modo administratur.

3 Cætera Episcopalia & Cathedralia Capitula Lubecæ, Slesvici, & Hamburgi, & Collegium sive Calanum Eutinense.

4 Quatuor illa Parthenica Cœnobia, quæ sunt Itzehoæ, (ubi & Abbatissa) Prezæ, Vtersem, & Slesvici.

Econtra duæ in finibus sitæ Præfecturæ (quamvis nunc suæ Celsitudini subditæ sint) Tremmelsbuttel & Steinhorst, ut diversæ, & immediate à Duce dependentes, in matricula Holsatiæ non reperiuntur. Episcopatus Ripensis etiamnunc Coronæ Danicæ annexus, & jam dudum reformatus, Præfecturæ Regiæ Ripensi conjunctus fuit. Tandem quoque Comitatus Pinnenberg & Rantow matriculæ Holsatiæ inserti non sunt, & Regis Ducisque coadunatione immediati declarati sunt.

Harum regionum incolæ commode dividi possent 1 in Prælatos & Ecclesiasticos, 2. in Nobiles seu ordinem Equestrem, 3 in ingenuos (*Freyleute*) 4 in oppidanos; 5 in agrestes, 6 in rusticos.

Incolarum distinctiones.

Ecclesiasticorum nomine designantur antiquorum Collegiorum quæ restant, nunc penitus reformata, sive masculini sive fœminini sexus sint, qualia sunt Canonicorum Hamburgi, Slesvici & Eutinæ, Virginum vero Itzehoæ, (quod quia ab Abba-

Status Ecclesiasticus.

Abbatiſſa regitur, Præpoſito caret, Advocatum tantum Defenſorem eumque nobilem habens) Pretzæ & Vterſemi; quæ Præpoſitos Equeſtris ordinis habent.

Nobilitas.

Nobilitas non adeo frequens,ſed prædives eſt, præſtantiſſima prædia poſſidens, è qua ad Comitum faſtigium Imperatoria Majeſtas Chriſtianum Pentzium & Chriſtianum Rantzovium evexit. Vt ut autem hæ regiones annuente Numinis benignitate diuturnæ pacis commoda ſenſerint,& raris bellis fuerint divexatæ, propenſiores tamen ad arma Nobilium animi videntur, unde plurimi non lucri ergo, ſed animoſa bellandi cupidine, honorumque adipiſcendorum deſiderio inſtincti,caſtra ſequuntur: unde inter illos multos invenias, qui non tantum Ducum,ſed Generalis officio defungantur: inter quos ſilentio obvolvi non debet memoria IoſiæRanzovii,quanquam aliena inter ſigna militantis, qui virtute ſua Mareſcalli Franciæ & Gubernatoris Dunkerkæ munus adeptus eſt. Longe quoque majores ſuæ nobilitatis æſtimatores ſunt, ac reliquarum regionum Nobiles, ita ut inaudita in his regionibus ſint nobilium cum ignobilibus conjugia; hinc & civica in urbibus munia aſpernantur; (quod & in Pomerania familiare;) & cum juxta eorundem privilegia omnes peregrini ab officiis & muneribus regni adminiſtrandis excluſi ſint, ampla ipſis facultas conceditur ordinem ſuum magnifice & ſplendide tuendi.

Nobilium prædia allodialia.

Prædia eorum, fundi & poſſeſſiones, maximam partem, pauciſſimis exceptis, allodialia ſunt, id eſt, non feudalia, ſed propria & priva, quamquam ex iis temporum & Principum neceſſitate id efflagitante, equi feudales indiſcriminatim ali debeant. Quibus & hoc addendum, equeſtria prædia plerumque filiis levi pretio concedi, filias vero data certa dote elocari. Diſcrimen tamen grande eſt inter bona hæreditaria & coëmptitia: in hæreditaria enim filiis tantum, in coëmptitia, etiam filiabus ſucceſſio patet.

Nobiles aliquæ Familiæ.

Nobilium Familiæ, quæ hodie hiſce in oris eminent,hæ ſequentes ſunt: *Von Aleſelde, Blumen, von Boeckwolde* vel *Buchwalde, Breide, Brockdorff, von Bulow, von Damme, Gadendorp, von Hatten, von Heiſten, von Höcken, Kielmann, Magnuſſen, Meinsdorffer, Pentzen, Peterſen, Pleſſen, Pogwiſch, von Qualen, Rantzowen, Rahtlow, Reventlow, Roden, Rumohren, Schacken, Schwaven, See-ſteden, Steding, von Tienen, von Veithoffen, von Vcken, Wenſien, vonder Wiſch, Wittorp, Wohnsfleth, Woyen.*

Et hæ ſunt Slesvico-Holſaticæ Nobilium Familiæ noſtro ævo vigentes. Cæterum ſuperiori ævo & aliæ in hiſce Ducatibus fuerunt, quæ vel in Daniam & alias vicinas regiones commigrarunt, partim etiam inde oriundæ, vel hic extinctæ ſunt: quales ſunt *von Barkentien, Boet, von Hogen, Halle, Holcke, Hoyer, Hummelsbüttel, Iohanſſen, Itzehude, Kaaß, Knop, Krummendicka, Lanche, Lembecke, Leven, Möthen, Munchen, vonder Oſt, von Ritzerow, Ronnow, Roſenkrantz, Schweinen, von Siggen, Spliet, Schinckel, Siverſen, Soep, Stacken, Sturen, vom Walde, Walſtorp, Weſten-ſee.*

Equeſtris modernus Ordo diviſus eſt in duas cohortes ſatis magnas, Slesvicenſem & Holſaticam, quarum illa ab Henrico Brocktorffio, Capitaneo, & Holſatiæ Ducis belli Conſiliario; hæc à Bertramo Ranzovio Equitum Magiſtris ducitur.

Liberi Incolæ, Freyleute.

Liberiorum incolarum ante aliquot annos quædam familiæ fuerunt, quæ partim extinctæ ſunt, partim valde defecere. Inter eas maxime occurrunt Familiæ *Anderſen, Frudſen, Heinſen, Knudſen, Payſen*, &c. omnes Slesvicenſis, vel Friſicæ originis; è quibus ſola *Anderſen* hodie ſupereſt.

Civitates.

Civitates, excepta Hamburgo, (quæ ob eximia privilegia à reliquis diſtinguitur) hoc ordine in nuperrima Regis Friderici III. Confirmatione Flensburgi peracta, proclamatæ ſunt: Slesvicum, Flensburgum, Rendesburgum, Itzehoa, Oldeſchloa, Haderslebia, Tunderen, Crempa, Wilſtera, Eckerenförda, Burgum in Femerania, Segeberga, Hilligenhafen, Apenrada, Neoſtadium, Oldenburgum, Lütkenburgum: octodecim hæ numero ſunt, exceptis Eutina, quæ Lubecenſi Epiſcopatui accenſetur,& Sonderburgo, Plona & Hartzköping in Arroënſi inſula, quæ Sonderburgenſibus Principibus parent. Superſunt adhuc quinque urbes, Huſumum, Tonninga, Gluckſtadium, Fridericopolis & Gardinga, quæ hucusque in Ordinum numerum necdum relatæ ſunt.

Oppidani.

Mercaturæ maxime dediti ſunt oppidani cives minorum urbium ſeu oppidorum, ad quam gnaviter exercendam ipſos opportuni portus alliciunt: cum autem hæ terræ anguſtiores ſint, quam ut adeo grandi mercium affluentia indigeant, portusque multi & commodi ſint: tum quoque cùm Hamburgenſes & Lubecenſes, Imperio Romano viciniores, viris, nummis, ratibusque polleant, conjicere licet, vix has urbes majora incrementa ſumpturas, niſi forte in mechanicis artibus aliqua melioratio introduci poſſet. Alias quoque multi ex civibus agrorum cultura & pecoribus alendis vitam tuentur; quod cum Helvetiis aliiſque Germaniæ populis commune habent.

Agreſtes, ſive Hueſſlüde.

Oppidanos ſequuntur Agreſtes, ſeu vernacule *Hausleute*, & *Hueslüde*, qui reliquis in Germania ruſticis comparari nequeunt; quippe qui, præcipue in Ditmarſia, Eiderſtede & Strand, ab omnibus Aulicis ſervitiis immunes ſunt, nec ſub Præfecturis connumerantur, ſed à Quæſtore, Præpoſito ſeu Legato gubernantur. Sunt & hi præter agriculturam aliquo modo mercaturæ dediti; frumenti, pecorum, butyri, caſei, lanæ, aliarumque mercium copiam in vicinas regiones diſtrahendo. Veſtitus iis idem fere, (imo aliquando ornatior) cum oppidanis; quamvis in agris commorentur, non longe ſeparatas à ſe invicem ædes habentes, ita ut propemodum eximii alicujus & ingentis pagi faciem ipſa regio accipiat: qui incolendi modus Hollandicis provinciis non inuſitatus eſt.

Ruſtici, Bauren.

Vltimum locum occupant Ruſtici, qui itidem gemini, alii enim liberi Ruſtici ſunt, & proprias ſuas villas poſſident: alii vero *Lanſten* dicuntur, quibus pro annua mercede agri colendi conceduntur, ita tamen ut defuncto patri ſi filius ſuccedere velit, certam pecuniæ ſummam expendere cogatur.

Cæterum

Statura corporum. Cæterum ſtatura Gentis pro locorum ratione longe diverſa eſt: illi enim, qui maritima incolunt, proceriores, robuſtiores & obeſiores ſunt; hi contra, qui in aridis & mediterraneis ſe continent, brevioris & ſubtilioris ſtaturæ ſunt, & ad operas bellicas aliasque haud multum virium & roboris requirentes, & multo aptiores. Maritima accolentes autem laborioſi & perſeverantes, in arvis ſulcandis, vallis fodiendis, & muniendis contra turbulentos Neptuni Æolique impetus agris, omnem fere æſtatem tranſigunt: qui quod ſatis fertiles ſint, evenit, ut victu & amictu contenti accolæ, opificiis exercendis dediti non ſint; quod ſatis apparet ex lanarum in alias terras divenditione; quum longe ſatius & utilius foret non tantum illas retinere, quæ regio hæc ſuppeditat, ſed peregrinas etiam coëmere, ut deinde ex iis pannos conficerent, cum ingenti multorum commodo, qui inde vitam tolerarent, & non minori totius regionis emolumento, quæ viris & nummis immenſum quantum accreſceret. *Ingenia incolarum.* Sunt tamen horum Ducatuum incolæ, præſertim Holſati & Slesvicenſes ad Auſtrum vergentes, omnium artium mechanicarum nec non Liberalium ſatis capaces; ſufficiet ſolum Georgium Calixtum memoraſſe, qui præfecturæ Tonderenſi natales ſuos acceptos refert. Quod autem non tot eruditi in his oris inveniantur, Academiarum penuria efficit, quæ hic nullæ; quod grave incolis, qui liberos ſuos, ubi ſtudiis animum applicare deſiderant, in longinquas Academias magnis cum impendiis ablegare coguntur.

Forma Regiminis: In hiſce Ducatibus; Recenſitis incolarum diviſionibus, non abſurdum erit ſubnectere Iudiciorum formam, quæ pro illorum varietate etiam diverſa eſt. Vt igitur ab ima claſſe inchoëmus; Ruſtici ſub præfecturis utriuſque Principis primum ad proprios ſibi conventus Iudiciales citantur, qui in Holſatia **Freyen Holſten gehegetes Ding**/in Slesvicenſi autem Ducatu **Bonden Gerichte** appellantur, ſive circuli (**ein Hardes-dinge**) ſive præpoſituræ (**ein Birck-dinge**) judicium fuerit. Adeſt iis plerumque ipſe Præfectus; & ſi libuerit ruſticis, conceſſa eſt iis appellatio ad illius Præfecturæ judicium, **das Amptgericht** vernaculè vocitatum, in qua prima dica audita & dirempta fuit, id eſt, in qua ipſe reus habitat.

Ruſtici autem, qui ſub Nobilibus ſunt, partim communi cum ſupra memoratis jure fruuntur, partim coram Dominis propriis cauſas ſuas agere tenentur: in quarum deciſione ſi iis non ſatisfactum, appellatio ad provinciale (ipſis ultimum) judicium conceditur, coram quo lites ſuas exponunt decidendas, uſitato tam in Slesvicenſi Ducatu quam in Holſatia more. In maritimis Wilſtriæ & Crempæ regionibus major ventilationis occaſio datur, quippe appellatur primum ad Wilſtriæ & Steinæ Iudicium, dein ad duodecim fideles Arbitros, & ſic porro.

In Civitatibus; Quædam civitates majoribus privilegiis gaudent; his conceſſum eſt ſub certis conditionibus ad Spirenſem Cameram appellare: præterea ſcitu dignum eſt, quatuor Holſatiæ urbes Chilonium, Itzehoam, Rendesburgum & Oldeſchloam commune Iudicium habere, ad quod non tantum unaquæque ex illis ipſis; ſed & hæ Holſaticæ, Crempa, Wilſtria, Segeberga, Heiligenhafen, Neoſtadium, Altenburgum & Lutkenburgum; Slesvicenſes vero Tundera & Burgum in Femeren (quæ omnes Lubecenſi jure utuntur) ut ad forum ſecundæ inſtantiæ appellare poſſunt. Ab illis quatuor ſeu reſpective tribus civitatibus procedit appellatio ad Regimen ſeu Ius Provinciale, hoc cum diſcrimine, quod Slesvicenſes civitates Tundera & Burgum in Femeren ultimam cauſarum deciſionem ibidem acceptent; Holſaticis appellare vero liceat ſub quibuſdam conditionibus ad Cæſaream Cameram Iudicialem, quæ eſt Spiræ, ſive ad Conſilium Imperiale Aulicum. Cæteræ civitates ad ſui Principis Aulicum Iudicium ſeu Forum, nec ulterius appellant.

Prælati & Equeſtris Ordo citantur in prima inſtantia coram Provinciali Iudicio, quod Slesvicenſibus primum & ultimum: Holſatis vero licita eſt, quemadmodum & dictis civitatibus, appellatio ad Cameram, ſi non impediat, vel ſummæ, de qua controvertitur, magnitudo, vel aliæ quædam exceptiones: quippe ſumma, cui determinandæ auctoritas Cameræ Spirenſis intercedit, mille aureos excedere debet; quæ cum deficit, & debitum manifeſtum eſt, (licet altero tanto ſumma major foret) nec non cum delicta graviora & injuriæ criminales ſunt, omnis appellatio reijcitur: quemadmodum Impp. Matthiæ & Ferdinandi II, nuper Regi Daniæ, Ducique Holſatiæ conceſſa privilegia fuſius declarant.

In Principatu Sonderburgenſi, &c. Subditorum Ducatus Sonderburgenſis, Norburgenſis, Lucksburgenſis & Plonæ cauſſæ à proprio magiſtratu deciduntur, negata porro appellatione ad Provinciale ſeu commune judicium. Eodem modo agitur cum Lubecenſis Epiſcopatus ſubditis, quibus ultra proprium Magiſtratum appellatio non competit. *In Slesvicenſi & Lubecenſi Epiſcopatibus.* E contra in Slesvicenſi Epiſcopatu, ubi apud Dominum Capitularem jus dicitur; cum autem alterutra pars ſibi non ſatisfactum arbitratur, pro extrahendis Proceſſibus Cancellariatum pro tempore Regentis Principis adeunt, ut in proxime ſubſequenti Provinciali conventu judiciario cauſæ ſuæ ultimam ventilationem & deciſionem conſequantur. Ripenſis Epiſcopatus jamdudum Præfecturæ Ripenſi conjunctus fuit.

Ius Nationale, Landrecht. Dicitur in Slesvicenſi Ducatu plerumque jus ſecundum codicem Iuticum, **das Lowbuch**/ Waldemarii II, Daniæ Regis; at in Eiderſtede, Nordſtrand, & quibuſdam Holſatiæ civitatibus, juxta Statuta Speculi Saxonici & Conſuetudines, de quibus poſtea.

Iudicium Provinciale, Landgericht. Annuum conventum Iudiciarium celebrari, & qua ratione, ſupra indicavimus; cui adde, ejus eminentiam non adeo parvi momenti eſſe, cum non tantum ſub præſidio Regentis Principis de bonis, vita, & honoribus incolarum judicent, ſed præſertim in Comitiis, cum quæſtiones graves & ponderoſæ, Regionum ſtatum concernentes, ventilandæ ſunt, quarum determinationem reliqui Status ſeu Ordines maxime reſpiciunt.

Præ-

Præſidens autem in judicio provinciali Princeps, etiam in politicis rebus illo anno Regimen adminiſtrat, & Ordines Provinciales ad Comitia evocat, quibus vel ipſe in perſona, vel per Plenipotentiarium præeſt, atque Edicta & Statuta ſub utriusque Regentis nomine & ſigillo promulgat.

Ordines. Ordines, qui in Comitiis ſe ſiſtunt,& poteſtatem dicendæ ſententiæ habent, ſunt 1. ex Prælatis Slesvicenſibus, Cœnobium S. Ioannis, ex Holſatis Cœnobia Itzehoa, Pretze & Vterſen. 2. Totus Equeſtris utriusque Ducatus ordo. 3. Slesvicenſes civitates, Slesvicum, Flensburgum, Haderſlebia, Tundera, Eckerenfordia, Apenrada & Burgum, quæ in inſula Femeren ſita; Holſaticæ, Chilonium, Rendesburgum, Itzehoa, Oldeſchloa, Crempa, Wilſtria, Segeberga, Hilligenhafen, Neoſtadium, Altenburgum & Lutkenburgum. Reliquæ civitates & præfecturæ ad Comitia non evocantur, eorundem decretis tamen ſe ſubmittere tenentur.

Rex Daniæ auſpicatur Regimen ad feſtum S. Michaëlis numero impari, quod in ſequentis anni idem feſtum numero pari continuat. Succedit Dux Holſatiæ in Regiminis adminiſtratione vice verſa.

Conventus Iudiciarius Provincialis annuatim octiduum poſt feſtum Paſchatis celebratur in aliqua alterutrius Principis civitate,ni peculiaria aliqua oborta accidentia impedimentum moveant. Ne vero lites diutius hæreant,ſed, quantum fieri poteſt, in iſto conventu annuo tanquam ſtatis & ordinariis diebus judiciariis definitive dirimantur, inſtitutum eſt annuum circa S.Michaëlis feſtum Iudicium Quartale, quatuor nobilibus, duobus eruditis Senatoribus & Provinciali Cancellario conſtans, in quo omnia Acta in Holſaticis negotiis revidentur, libellis ſupplicibus reſponſa dantur, minores lites quamquam ſine vi ſententiæ definitivæ dijudicantur, Commiſſiones aliaque ejus generis decernuntur, teſtimonia elucidantur, & quæcunque porro ad cauſſarum litiumque exitum facilitandum faciunt, exponuntur.

Iudicium Quartale, Quartalgericht.


Iudicium Ord. Equeſtris, Rutergericht. Præter hoc Provinciale, & ejuſdem præparatorium Quartale Iudicium, aliud adhuc extraordinarium inſtitutum eſt ante aliquot annos in homicidas; quod tantum in hujuſce generis caſibus tragicis exercetur. Cum ergo cædes inter Nobiles perpetrata eſt, licitum eſt parentibus interfecti percuſſorem ſive coram Provinciali, ſeu coram hoc ordinario è ſolis Nobilibus conſtante judicio (conceſſa reo electione) ſub exilii ſeu banni pœna citare, hunc in finem, ut ſeſe à crimine purget, vel juſtæ defenſionis ergo commiſſum homicidium demonſtret. Si reus Provinciali judicio ſe ſiſtere velit, nec tamen ſatis ſe purgare poſſit, rejicitur ad extraordinarium Equeſtre Iudicium, cui cognoſcendæ penitius cauſæ, & imponendæ pœnæ cura imponitur. Et ſi ex propinquis interfecti nullus foret, qui reum ſeu homicidam accuſaret, tenetur equidem coram judicio à Principe citatus ſe ſiſtere ſub pœna exilii, in quo ſi ultra annum diemque perſeveret, ſive etiam moriatur, de ejuſdem hæredibus, hæreditariis & feudalibus bonis juxta Imperialia & Saxonica Statuta feudalia deciditur.

Religio. Religio in hiſce Ducatibus nulla niſi Lutherana viget, excepta tantum Fridericopoli, quam Remonſtrantes, id eſt, Arminiani, una cum Lutheranis poſſident.

Res Militaris. Paucula adhuc de Re Militari ſubnectere non inconveniens videtur; ſed cum ultra centum annos & amplius, ſcilicet poſt internum ab exceſſu Regis Friderici I, in Dania conflatum bellum, hi Ducatus pacem, & amicam cum Regno Daniæ concordiam coluerint, ita ut in nullum unquam apertum bellum eruperint; præterea cum vicinis nulla bella geſſerint, incolæ horum Ducatuum,excepto Equeſtri ordine,qui paſſim extera bella ſecutus eſt, tam longæ pacis commodis emolliti, non adeo prompti in defenſionem,nec armorum exercitationi ita apti eſſe videntur ac ſuperioris Germaniæ incolæ. Sed neceſſitas, quæ omnium magiſtra eſt, avitæ illos credo virtutis admoneret, cujus in hiſtoriis complura monumenta exſtant. Nuper autem uterque Princeps ex Iuventute aliquot centurias conſcribi juſſit, eique in armorum exercitatione erudiendæ Magiſtros præfecit. Vnioni porro cuidam ſeu fœderi aſtricti ſunt hi duo Ducatus & Dania, quo alterutri periclitanti certo cum equitum peditumque numero ſubvenire tenentur. Vires harum regionum non exiguæ ſunt: poſſent enim centum millia armatorum militum ſuppeditare, quibus præter armorum uſum nihil deeſſet. Quod ſi Hamburgum & Lubeca cum hiſce Ducatibus unanimes ſint, viresque conferant, non facile aliquis à Meridie veniens exercitus huc penetrabit; & ſi penetraverit modo, vix aliquid memoratu dignum exſequi poterit, imo potius graviſſimis cum cladibus rejicietur.

HOLSATIA DVCATVS.

Nominis origo & usus.



Rima nominis Holsatiæ, quantum liquet, mentio exstat apud Reginonem Monachum ad annum octingentesimum quartum: *Imperator*, ait, *super Albim sive Albiam Fluvium sedebat in loco, qui dicitur Holdnstein*, &c. Sunt, qui ex verbo Holdnstein faciunt Hollingstede, toto errantes cælo, quod dictus Historiographus, seu potius Chronicographus, Carolum Cæsarem haud adeo prope Regem juxta Albim castra metatum scribat. Declinant alii hanc vocem in Heilingstede, eodem successu: nomen enim Heilingstede recentius est, ut inferius in Heilingstede deducemus. Locus autem is, in quo Cæsar Carolus Magnus castra metatus est, ad Albim, idem cum illo est, in quo nunc Hamburgum situm. Plerique Scriptores, eorumque signifer M. Adamus Bremensis nomen Holsatorum à voce Germanica *Holtz*, Saxonicè *Holt*, derivare conantur, primos incolas, inter Eidoram & Storam amnes, sive Wagriam & Ditmarsiam arbusta sylvososque tractus insidentes, nomen hoc habuisse asserentes. Ita namque Adamus: *Transalbianorum Saxonum tres sunt populi, primi ad Oceanum Thiatmarsgoi, secundi Holsati, dicti à sylvis quas accolunt; eos Sturia flumen interfluit, &c.*

Porro hoc Holsatiæ nomen diversis sæculis diversimode usurpatum fuit: 1. Adami enim sæculo proprie Holsati fuerunt ii, qui Storam, Swentinam, Eidoramque inter ad usque Dithmarsiam habitarunt, cui & Crantzius adsentitur. 2. Totus Comitatus, quondam solâ Holsatiâ propriè dictâ & Stormariâ constans, nomen Holsatiæ participavit. 3. Wagriâ ab Holsatis occupatâ, paulatim nomen Wagriæ obsolevit, totusque tractus à limitibus Dithmarsorum ad Mare Balthicum, Travam, Billam, & Albim, Holsatiæ nomine insignitus fuit, quamvis & Comites Holsatiæ titulo Stormariæ usi sint. 4. Comitatum Holsatiæ & Stormariæ, simul ac Dithmarsiam Cæsar Fridericus III in Ducatum evehens, Dithmarsiam Holsatiæ incorporavit, totamque regionem sub una voce complecti, Ducatumque Holsatiæ dici voluit. Ast usus plus valuit, quam Bulla Cæsarea, quandoquidem Duces Holsatiæ, quod manifestum, titulo Ducum Holsatiæ, Stormariæ & Dithmarsiæ utuntur; quamquam hodie & exteris & incolis horum Ducatuum Regio Holsatiæ dicatur illa, quæ Eidora, Levensaw, Mari Balthico, Trava, Billa, Albi, & limitibus Dithmarsiæ inclusum est; exteri enim de Stormaria & Wagria parum vel nihil norunt: Dithmarsia suo peculiari nomine gaudet, quamquam & sub Holsatiæ generali nomine comprehendatur. Nos nomen, prout à Cæsare Friderico III, rogatu Regis Christiani I huic Ducatui impositum est, retinentes, totam Regionem sub uno nomine complectemur, siquidem & apud exteros ita audit.

Ditiones comprehensa.

In hac Regione & Ducatu diversæ ditiones conspiciuntur: nam præter duos Regentium Dominorum seu Principum Holsatiæ, nominatim Friderici III, Daniæ Regis, & Christiani Alberti, Holsatiæ Ducis, Episcopatus Lubecensis majori ex parte in districtu Holsatiæ situs est, tametsi alias Episcopus Lubecensis immediatum Imperii membrum sit: porro Principatus Plona, qui ex Sonderburgensi Ducatu subortus est: denique Comitatus Holsatiæ, seu Pinneberg, de quibus singulis suo loco amplius.

Termini.

Terminant Holsatiam versus Septentrionem Eidora & Levensaw fluvii; estque à lacu *Flembhuder*, quem Eidora permeat, vetus fossa diducta ad Levensaw, quæ Holsatiæ & Ducatui Slesvicensi, & consequenter Romano Imperio Regnoque Daniæ, limitanea est. Deinde versus occasum Oceanus Germanicus, & ad ortum Mare Balthicum usque ad sinum Femerensem, *Femersund*; inde porro usque ad Travam fluvium & juxta Travam circumcirca ad Wesenberg, hincque virgula transvecta ad Trittow prope Billam, tum ulterius à Billa ad Albim per Ochsenwerder & Kirchwerder: tandem ab Albi iterum usque in mare Cimbricum Holsatiæ limites extenduntur. Est autem hæc plane pulcher Holsatiæ (quemadmodum & Slesvicensis Ducatus) situs, inter duo maria Cimbricum & Balthicum. Ratione cæli sita est Holsatia secundum latitudinem Globi inter 53 gr. 26 min. scil. in fronte juxta Ochsenwerder pone Hamburgum, & 54. gr. 20 min. sub quo Rendesburgum situm est. Hinc longissimus dies Hamburgi 16 horarum 50 min. Rendesburgi vero pene 17 horarum est. Sed secundum longitudinem, seu distantiam ab Insula Tenerifa, una ex Azoribus, jacet hic Ducatus inter 42 grad. 15 min. & 44 gr. 40 min. excepta Insula Femere, quæ proprie Holsatiæ annumeranda non est. Longitudo ejus ex Dithmarsia à Mari Cimbrico, usque ad Balthicum pone Neostadium in 17 mill. extenditur; ast si quis longitudinem à Büsen Eismariam usque emetiri vellet, eam novendecim milliaria æquare experiretur. Latitudo Rendesburgo Hamburgum usque, duodecim mill. conficit: sed ab ostio Levensaw fluvii in sinu Chilonico, ad Albim in Ochsenwerder, plusquam quatuordecim. Ex hisce & aliis ad hoc inservientibus lineis patebit, Ducatum circa 136 milliaria quadrata excurrere, atque ita orto quadratis milliaribus Slesvicensi Ducatu minorem esse, qui, ut supra demonstravimus,

Situs.

Extensio.


NOVA & ACCVRATISSIMA
DVCATVS
HOLSATIÆ
TABVLA
Auctore Joh: Meyer Husumensi
Serenißimo, et Potentißimo
Principi ac Dño.
Dn FRIDERICO III.
Daniæ, Norwegiæ, Vandalorum, Gothorumque
Regi, V. Duci Sleswici, Holsatiæ, Stormariæ et
Dithmarsiæ, Comiti in Oldenburg et Delmenhorst,
et
Serenißimo, Celsißimoque Principi ac Domino
Dn. FRIDERICO IV.
Hæredi Norwegiæ, Duci Sleswici, Holsatiæ, Storma.
et Dithmarsiæ, Comiti in Oldenborg et Delmenn:
horst. Dominis suis Clemetißimis, Tabulam hanc
recentem Ducatus Holsatiæ, Subiectißime
Offert. Author. IOHANNES MEIER
Husumens.
Matthias und Clauß Petersen Goldtschmide gebr. Hus. sculps.
Notarum explicatio.
Oppida majora
Oppida minora
Pagus cum templo
Nobilium ædes
Pagi
Templa destructa
Die Maße der Teutschen Meilln.
Virgæ. 1920 3840 5760
Milliare Germanicum.
DVCATVS SLESVICENSIS PARS
MARIS CIMBRICI PARS Vulgo De West See
MARIS BALTHICI PARS Vulgo De Oost See
Colberger heide Oder Reide.
DVCATVS BREMENSIS PARS
DVCATVS LVNEBVRGENSIS PARS
MECKLENBORG
DIE GRAFFSCHAFT OLDENBORG
SASSEN
Heligolandt
Wurster landt
Hamburg
Lubeck
Kiell
Rendsborg
Stade
Glückstadt

vimus, 44 mill. complectitur. Ejusdem quoque cum Slesvicensi Ducatu naturæ est, quoad fertilitatis imparitatem: mediterranea quippe inter Newmunster & Hamburgum vel sabulosa, vel ericetis inculta horrorem quendam incutiunt: at ubi versus maritima deflexeris, ridentes agros, virentia pascua, & lætam ubique fœcundæ terræ faciem passim invenias. Illud adhuc in Wagria discrimen occurrit, quod ad mare Balthicum pinguem & subnigram glebam, limosam, plurimisque in locis præstantissimi tritici feracem habeat; copiosis piscosisque stagnis, lacubus, piscinis abundet, nec minus egregiis quercuum fagorumque nemoribus obumbretur. Ad maris Cimbrici littora maritimæ illæ regiones se offerunt, incolis *Marschländer* dictæ, quæ juxta Albim Hamburgum, & ultra excurrentes partim à Lubecensibus & Hamburgensibus, partim ab Holsatiæ Ducibus possidentur. Interjecto deinde pauxillo arenosæ terræ Hamburgo ad vicum Wedel pertingentis, iterum maritimi agri se produnt, qui postea per Comitatum Pinnenberg, Præfecturam Steinburg, omnem Dithmarsiam juxta Albis & Oceani littora, ultra Eidoram continuantur.

Fertilitas.

Montes. Montes insigniores nullos habet, præterquam Segeberg, & Salberg ad Albim prope Blanckenese, qui tamen collibus magis quam montibus accenseri volunt. Alias terra hæc naturali sua altitudine non caret, quippe prope Bornhövede erumpunt duo præcipui hujus Regionis fluvii, Eidora videlicet & Stora. Aliam altitudinem habet in Wagria, ubi Trava, Schwentina, & Schwartowa exsurgunt. Sed absque comparatione maximus fluvius, quo cum aliis multis nationibus communi Holsati utuntur, est Albis, qui Hamburgo usque apertum mare, seu ad Schartonnas in 15 mill. alias usque ad Brunsbutteliam, ubi terra se expandit, in novem milliaria longitudinis excurrit. Sed ne actum agamus, de fluviis tacebimus, cum infra Albim ample satis, reliquos suo quemque loco, prout commodum videatur, describamus. Stationes navales ad mare Balthicum præter *Lubecam*, & *Travemundam*, quæ & olim sub Holsatia fuerunt, sunt *Neostadiensis*, *Heiligenhaven*, & *Chiloniensis*: Ad mare Germanicum, *Hamburgensis*, *Gluckstadiensis*, *Storana*, eique adjacens *Itzehoensis*, & tandem illa, quam Eidora fluvius præbet.

Fluvii.

Portus.

Vrbes. Civitates in Holsatia sunt plurimæ, inter quas *Hamburgum* maximis privilegiis gaudet, libera & Imperialis est, nec ad comitia evocatur. Tum quatuor Civitates, *Chilonium*, *Rendesburgum*, *Itzehoa* & *Oldeschlo*. Porro *Crempa*, *Wilstera* vel *Wilstria*, *Segeberga*, *Heiligenhafen*, *Newstadt*, *Oldenburgum*, *Lutkenburgum*, ac tandem Regium Munimentum *Gluckstadium*. *Eutina*, in Ducatus hujusce districtu sita, Episcopatui Lubecensi subest: *Plona* sedes est Principum Plonensium; *Travemunda* Lubecensibus paret: *Newmunster* in Holsatia, *Wedelia* in Pinnenbergensi Comitatu, *Meldorpium*, *Heida*, & *Londinum* in Dithmarsia vici fere sunt, nec in ordinem civitatum suscepti.

Mores. Cæterum moderni Holsati, ut plerique Orientales Saxones, natura graves, serii, & modeste severi, & eapropter ad gravia & magna quævis facinora quasi nati videntur, longe in talibus perpetrandis cæteris Germaniæ nationibus aptiores. Elegantiæ & nitori maxime student, exterorum amictum affectantes: præsertim fœminæ varia & munda delectantur supellectile, Hollandos æmulatæ, qui in hac parte omnes mundi nationes longo post se spatio relinquunt. Veteres incolæ Chauci partim, partim vero Vandali fuerunt, quorum nunc ne vestigium quidem apparet. De veterum autem Holsatorum moribus Helmoldus Bosoviensis sacerdos ita scribit: *Tres sunt Nord-albingorum populi, Sturmarii, Holsati, Thetmarzi, nec habitu nec lingua multum discrepantes, tenentes Saxonum jura & Christianum nomen, nisi quod propter Barbarorum viciniam furtis & latrociniis operam dare consueverint. Hospitalitatis gratiam sectantur. Nam furari & largiri apud Holsatos ostentatio est; qui vero prædari nescit, hebes & inglorius est.* Fidem tamen ubi semel dederant, ita arcte servabant, ut in proverbium illa abierit, & *Holsten Love*, Holsatorum fides, allegari solita fuerit.

Regimen. Quod Holsatiæ Regimen attinet, luculenter de eo supra egimus: illud tantum dictum sit, Ordinem Equestrem & Ordines hujus Ducatus huc usque nulli conscripto juri parêre, tametsi in Conventus Iudicialis statutis jam diu promissum fuerit: unde eorum lites sive caussæ juxta statuta, Saxonicum Speculum & consuetudines decîdi solent. Quatuor Civitates Chilonium, Rendesburgum, Itzehoa, & Oldeschloa usurpant jus Lubecense, habentque aliud quoddam Appellationis Iudicium, ad quod Crempa, Wilstria, Segeberga, Heiligenhafen, Neostadium, Oldenburgum & Lutkenburgum in Holsatiâ, & in Slesvicensi Ducatu Tondera & Burgum in Femern insula provocant.

Domini & Comites veteres Holsatiæ. Adjungemus hic aliquos ex veteribus Principibus, qui hisce oris præsederunt. Primas sibi vendicat *Abbe*, filius Comitis Edelhardi, fratris Wernichindi, qui Witekindi pater fuit, ex Ratbodi Regis Frisiæ filia Eila. Amplexus est fidem Christianam una cum Witekindo, & Baptizatus est sub Carolo Magno tunc temporis adhuc Francorum tantum Rege, necdum Imperatoris Romani dignitate aucto.

Huic è vivis sublato successit *Vdo* Comes Stormariæ & Holsatiæ, gubernator urbis Hamburgensis: huic iterum

Eridagus; huic filius

Ludolphus, qui anno 876 in celebri illo inter Danos & Saxones prælio apud Nordam in Frisia Orientali victor occubuit. Ludolphum secutus est

Vdo, ejusdem incertum frater, an cognatus, qui non diu post cum Duce Saxoniæ Brunone, multisque nobilibus anno 879 prope Ebbestorp, in Lunæburgensi Ducatu cæsus est. Quis illi proximè successerit, ignoratur. Fit tamen in Annalibus mentio

Hermanni Saxonum Ducis, Comitis Stormariæ & Holsatiæ, cui successit filius

Luderus, qui anno 1010 vel 1011 obiit: hunc secutus est ex fratre nepos

Dithmarus, in duello anno 1050 occisus; nulla relicta prole hæredem habuit fratrem

Bernardum, Ducem Saxoniæ, mortuum anno 1060: quem secutus est filius

Her-

Hermannus, occisus in prælio, quod inter Rodolphum & Imperatorem Henricum Quartum commissum est, anno 1078.

Gothofredus, dubium an Hermanni filius, vel an ex illa familia fuerit oriundus, Holsatiæ præfuit, usque dum Vandalos populabundos persecutus, ab iisdem ex insidiis interemptus est anno 1106.

Adolphus I, Comes Schawenburgicus à Ludero Saxoniæ Duce Comitatum Holsatiæ feudi nomine accepit anno 1106, & administravit usque ad annum 1133, quo ex hac vita abiit.

Adolphus II, successit patri; sed cum Regi Erico Emundo Slesvici à Duce Mogens obsesso suppetias ferret, magna cum clade repulsus, nec longe post à Marchione Alberto Brandenburgico è Comitatu suo expulsus est.

Henricus à Badewide, ejecto Adolpho succedens, iterum pellitur ab

Adolpho II; qui etiam devictam ab Henrico Wagriam retinuit, reddito ejus loco Comitatu Ratzeburg. Occisus est ante Demminum Pomeraniæ ab erumpentibus inopinato Vandalis anno 1164, successit patri

Adolphus III, qui ab Henrico Leone è Comitatu suo ejectus per Fridericum Barbarossam Imperatorem eundem recepit, & tandem à Duce Woldemaro Slesvicensi regimen ejurare, & Schauenburgum recedere coactus est.

Canutus Daniæ Rex Comitatum Holsatiæ sui juris fecit, expulso per fratrem Woldemarum Adolpho. Obiit anno 1202.

Canuto successit *Woldemarus* frater, qui Albertum Orlemundanum Comitem Holsatiæ, & ProRegem Nordalbingiæ fecit.

Hic *Albertus* frater uterinus fuit Adolphi III, ex Henrico Comite Orlemundano & Machtilde Querfurtensi Comitissa, Adolphi II vidua. Aliqui tantum Gubernatorem, non autem Comitem Holsatiæ fuisse volunt. Captus postea in prælio ab Henrico Comite Swerinio, à Rege arce Lauwenburgica contra redemptus est.

Adolphus IV, filius natu minimus Adolphi III, in Comitatu Schauwenburgico educatus, detentis in Arce Swerin Rege Woldemaro & Comite Alberto, auxilio Gerhardi Archiepiscopi, Heinrici Comitis Zwerin, & Heinrici de Werle, invitatus etiam à potentioribus Holsatiæ, Albi superato totum Comitatum Holsatiæ recuperavit; exinde à dimisso Rege acri bello excitatus, eundem apud Bornhovede prælio fudit. Tandem Cœnobium Hamburgi primum, deinde Chilonii ingressus, 1260 placide finiit. Adolphi autem filii, postquam aliquamdiu sub tutore fuissent, Comitatum denique inter se diviserunt. Postea cum hic Comitatus ad Christianum I, Daniæ Regem devenisset, ab Imperatore Friderico III, in Comitiis Rotenburgensibus, præsentibus S. R. I. Electoribus, Principibus, & Ordinibus petiit, ut Dithmarsiam suis Ducatibus vicinam & vacuam sibi concederet, & Comitatum Stormariæ & Holsatiæ in Ducatus fastigium eveheret. Fridericus itaque assentientibus omnibus Principibus Christiani Regis precibus acquievit, ut ex bulla Cæsarea patet; in ea namque hæc verba: *Matura deliberatione prævia, accedente ad hoc Electorum, aliorumque Principum, Comitum, Baronum, & procerum nostrorum consilio, motu proprio, ex certa scientia, & de plenitudine Cæsareæ potestatis nostræ, titulos Comitatuum, videlicet Holsatiæ & Stormariæ, exstinximus, cassavimus, eorumque Comitatuum terras & dominia univimus, eisque districtum Dithmarsiæ incorporavimus, hujusmodique terras, districtus & dominia unita & incorporata in Ducatum ereximus, extulimus & constituimus, conferentes eidem omnia & singula Ducalia ac Principatuum jura, honores, prærogationes, eminentias, ac imponentes eidem titulum Ducalem de Holsatia, &c.*

Comitatus Holsatiæ mutatur in Ducatum.

Insignia Holsatiæ urticæ folium erectum & tribus ab unoquoque latere clavis transfixum constituit. Spangenbergius scribit Comitem Adolphum I, Schauwenburgicum ante cæruleo Leone pro insigni usum fuisse: exstructa vero arce Schauenburgo, in monte urticario, *Nessel*-vel *Nettel-berg* indigenis dicto, Imper. Conradum II, loco Leonis ei in insignibus urticæ folium substituisse. At mirum est, duos hosce Comitatus Holsaticum & Schauwenburgicum ultra triginta mill. à se invicem distinctos, aliquot centum annos uno eodemque insigni usos fuisse. Vnde incertum, quis primus idem usurparit. Ducatus Stormariæ aliud & sibi proprium insigne habet, cygnum nempe coronatum: Dithmarsia vero equitem loricatum, vernacule *einen Kurisfierer*.

Insignia.

Dividitur Holsatia, quemadmodum etiam Slesvicensis Ducatus, in Præfecturas, vernaculo vocabulo *Ampter*, appellatas; hæ vero Præfecturæ non dividuntur in circulos sive *Hardens*, (quod vocabulum cum reliquis *Hardesvogt*, & *Hardesding* Holsatis ignotum est) sed in Parochias sive *Kirspel*. Altera divisio Holsatiæ consistit in discretis Præfecturis & Cœnobiis inter Regem Daniæ, Ducem Slesvico-Holsatiæ, Principatu Plonensi, Episcopatu Lubecensi, sive Eutinensi, & Comitatibus Pinnenberg & Rantzow. Dividitur tertio propter Prædia Nobilium in quinque circulos, Rendesburgicum, Steinburgicum, Segebergicum, Chilonicum & Oldenburgicum. Tandem in Holsatiam Veterem, sive propriè sic dictam, Wagriam, Stormariam & Dithmarsiam: de quibus singillatim agemus.

Divisio.

HOLSATIA
PROPRIE SIC DICTA.

Termini.



Olsatia, quemadmodum olim à Wagria, Stormaria & Dithmarsia fuit distincta, limitatur ab Aquilone, Eidorâ, & Levensaw, nec non fossa valloque vetusto, à lacu *Flemhuder* ad fontes usque Levensaw ducto: ab Oriente Swentina ad lacum Plonensem, tum à meridie fluvio Stora, qui Holsatiam à Stormaria dividit. Cingitur ab Occidente Holsatorum fossa, (*der Holstengrabe*) quæ Dithmarsiam ab Holsatia disjungit, tum udis & profundis paludibus, postea lacu Kudensi, Wolborgaw, usque ad Spranth seu Wilstriam, tandem Wilstera vel Wistria, Schnittelaw & Eidora fluviis. Longitudo regionis Hohenhorna ad Swentinam usque novem, latitudo autem ab Eidora usque ad Storam quinque milliaria excurrit. Continentur in ea Præfecturæ Rendesburgensis, Hanroviensis, & maxima Chilonicæ & Steinburgensis pars, præsertim totus ager Wilstriensis, duo virginum Cœnobia Itzehoa & Preza ex parte, denique Monasterium sive Præfectura Bordesholm, cum aliis quibusdam urbibus & nobilium prædiis. Huic quoque provinciæ famosus fluvius *Eidora* fontes suos acceptos refert, Romanum Imperium à Ducatu Slesvicensi & consequenter à Regno Daniæ distinguens. Oritur prope Löhndorp in arbusto Isemho, manatque sensim Dosenbecum per parvum quendam lacum, tum in lacum Warnowensem, & tertio in magnum Barhawensem lacum, ab adjacente pago Barkaw ita vocitatum, 900 virgas longum & 400 latum; adjacet autem huic lacui prædium nobile Bohtkamp. Eidora porro paulo post, absorpto rivo Huer, Bruggam pagum alluit. E lacu Bordesholmensi 500 virgas longo & circiter 240 lato, amniculus in Eidoram fluit; & ex eodem lacu alius rivus Eimbeck dictus in Storam effunditur. Eidora pergit deinde versus pagum, Flindbecum majus inter alios excipiens torrentem, qui à Croneshagen Ducali villa descendit. Postquam villam Maurutendorf prætergressus est, magnum Westenum lacum ingreditur, in quem 1240 virgas longum & circiter 500 latum diversi amnes & rivi Eidoram augentes labuntur. Eum lacum relinquens decurrit ad prædium Lutkennordsee, ubi ponte stratus (per quem via Regia Chilonio Rendesburgum ducit) non longe inde in lacum Flemhuderensem decidit, qui in 760 virgas longitudine sua, latitudine vero 340 excurrit. Huic lacui adjacent prædium Grossen Nordsee, Flemhuda pagus, & parum abhinc prædium Quarnebeck, & tandem ad Septentrionale latus, quamquam in Ducatus Slesvicensis districtu) Schinckel, ubi Eidora terminum inter Ducatum Holsatiæ & Slesvicensem constituere incipit.

Extensio.

Eidora fluvius.

Lindaw. *Eidora* prædium Konigsforde præterfluens *Lindaviam* excipit, Gottorpio Huttenaque secus prædium Lindaviam defluentem. Nec longe post ex magno lacu *Wittensee*, (in circulo *Berghar-* *Wittensee.* *de* Ducatus Slesvicensis sito, qui longitudine 1870 & latitudine 800 virgas occupat) emanans rivulus Schierbeck præter pagum Bunstorp, & Schiernaw lacui illapsus parvo adjungit se Eidoræ juxta Borgstede in lacum Ouendorpersee, & paulo post in *Rendesburgensem lacum* superiorem se effundenti, è quo cum caput elevat, duas molas in urbe versat, & inferiori lacui se immiscet. *Rensburgersee.* Sub Rendesburgo in lacum inferiorem incidit amnis Wehr, sive Wehraw, exsiliens juxta Schulpe in parochia Nordorp, qui per lacus Bordorpersee, 450 virgas longum, & 150 latum, & Langwedelersee, 580 virgas longitudine, 210 latitudine æquantem, instituto cursu fluviolum à prædio Nienhof dimanantem (ubi & lacus 360 virgas longus) abripit, & prædium Bokelholm alluens, tandem sub Rendesburgo inferiori lacui conjungitur.

Ievenfluss. Recipit porro Eidora non longe à Rendesburgensi Lacu aliquos fluvios, ut *Ieven*, qui in parochia Nordorpiensi haud procul à lacu Bordorp ortum pagum Ievenstede, cui nomen dat, alluit; *Lunow* apud Lunstede in arbustis natum; *Lunow.* *Halam*, cujus fons est in Niendorf supra Falckenburgum, ibidemque Papenaw, quique multos colligens alveos pergit ad villas Tottenbuttel & Halam, unde illi nomen. *Hale fluv.* A Dithmarsico fine exonerat se in Eidoram fluvius *Giselaw* sive *Schnittelaw*, initium suum ad Australis & Septentrionalis Dithmarsiæ confinia referens, unde pagum Alversdorp præterlabens, tandem prope Grönendael, terminos Holsatiam à Dithmarsia distinguentes lambit, & pertinaciter usque in Eidoram persequitur: interea torrentem quendam à Præfectura Hanrow defluentem absorbet, atque ita per Clusam Bockelhoviensem Eidoræ illabitur. *Giselaw.* Hic inflectitur valde Eidora ab africo versus boream, & præterfluit *Laxfehr*. Non procul hinc miscetur ei *Schieraw*, qui per *Honer* lacum ad Eidoram properat, & Speckfehr prætergressus *Sorgam* excipit: qui duos per alveos ex variis rivis concretos tandem Sorga dicitur, ad pontem Sorghbruche ruens (per quem via Regia Rendesburgo Gottorpium, Slesvicum, Husumum, Flensburgum, & tandem in ipsam Daniam pergit) & aliquamdiu circulos Cropharde & Honerharde discernens propter Tetenhusen & ultra ad Sorgæ aggerem, seu *Sorgdam*, ante aliquot annos ab Hollandis confectum, tandemque Eidoræ illabitur. *Schieraw.* *Sorg.*

Tiela. Porro ad Holsatiæ latus exsurgit in Dithmarsia *Tiela*, circa Wellingbuttel, qui exinde ad pagum

gum Tellingstede, cui inde nomen, & Tielenbruck, plures recipiens rivos, quorum maximus est Lenderbeck, prope Tieleborg Eidoræ se dedit, olim & aliud ostium, sed nunc obturatum, habens. Huic circumjecta Terra Tielenhemum dicitur, quæ una cum Tieleburgo, tametsi nunc, si Eidora certus tenendus limes, in Dithmarsia sita, olim Comitibus Holsatiæ paruit, quoniam aquis circumdata fuit, cui è regione, in Stapelholmia, oppidulum seu vicus Tiela exstitit.

Vetus Sorga. Eidoræ porro contorquenti undas suas ad Australem partem parochiæ Arvede, in Dithmarsia adsitus est pagus Delfe, conjungitur in Stapelholmia verò *Vetus Sorga*, seu alter ejus alveus, per lapideam clusam, omnes collectos torrentes & rivulos per lacus Meggensee & Barmersee meantes egerens. Tunc offert se Delverort, ubi Eidora brevem gyrum facit è regione pagi Suderstapel. Variis dein gyris contorto accedit in Dithmarsia post tot alios dictus vulgariter amnis *Aw*, qui prope Linden se colligit ex aliis torrentibus, quorum unus ex lacu Nexsee à Tiela usque ad Aw amnem prope Redestall in regionis tutamen ductus est. Inde Awa se deflectens procedit non procul ab Hamhause usque ad pontem Awbrucken, per quem via Heidâ Fridericopolim ducit. A Rieckelsdorfio prope Heidam delabitur Stellaw versus Stellerburgum, Stelle, & mox in lacum Stellersee, 480 virgas longit. 180 latitudine sua æquantem, in quem tres alii rivi, & inter eos unus ex lacu Molingsee promanans, cadunt. Non longe hinc incidit Stellaw in Awam. Awa vero separat se haud procul Schligtinga, dextroque alveo illabitur per Kleversiel in Eidoram: sinister vero alveus præterit pagum Annæ, & miscetur Eidoræ per novam clusam, qui paulo ante apud Fridericopolim clusarum auxilio magnum fluvium *Treenam* sibi junxerat. Tandem agit Eidora aquas suas Tonningam, urbem satis munitam, ubi se valde dilatat, tum Catingam & Vollervicum, ubi juxta Hulcke profundior, Eiderstadio vicinus pergit, & ultimo in Oceanum Germanicum irrumpit:

Sic caput Oceano glaucum Pater Eidora condit,
Eidora Teutonici terminus Imperii.

Celebris hicce fluvius cum omnibus gyris in 24 mill. longit. exporrectus est, derivatis in se undecim aliis notis fluminibus, ut multos alios minores prætercam. Circumagit 10 molendina, Treena vero tantum octo, cæterique fluvii seu rivi 22, quorum molendinorum coagmentatus numerus quadraginta efficit.

Præfectura Rendesburgensis.

Magnitudo & limites. PRæfectura Regia Rendesburgensis 5 milliaria latitudine, totidemque fere longitudine occupat; contermina Præfecturis Gottorpiensi, Chilonicæ, Bordesholmiensi, Neomonasteriensi, Steinburgensi, & Dithmarsicæ.

Qualitas. Solum ejus non adeo fertile est, tametsi enim alicubi benignius sit, tamen hinc inde multæ paludes, ericæ, & sabulosum solum occurrit: ast magnis optimisque cæduis sylvis scatet, quarum maxima *Rendesburgerwalt*, hoc est, Rendesburgensis sylva dicitur; quæ juxta Adami opinionem Holsatis primam nominis originem dedit. In nova Provinciali Matricula æstimata est hæc præfectura quingentis septendecim jugeribus, quantum scilicet præfecturam proprie attinet: alias in ejus districtu non solum civitas Rendesburgensis, sed & diversa Nobilium prædia cum parochiis sita sunt.

Pependit hæc Præfectura, præterquam temporibus Ducis Iohannis Senioris, semper à familia Regia, quippe possederunt eam olim Rex Iohannes & Christianus II. Anno 1544 in divisione obvenit Duci Iohanni Seniori; sed ab ejus obitu obtinuit eam Rex Fridericus II, à quo ad Reges Christianum IV & Fridericum III, jure hæreditario derivata est.

Rendesburgum. *Rendesburgum*, modica quidem civitas, ad Slesvicensis Ducatus confinia, in insula situm est, quam ab utroque latere duo lacus cingunt, quorum hic superior *der Bayersee*, ille vero inferior sive *der Neddersee* incolis appellatur. Nomen urbi inde aliqui inditum volunt, quod magno impetu superior lacus in inferiorem se effundat, quod indigenæ *Rennen* vel *Rinnen*, Latini *fluere* vocant. Alii, & maxime veterum temporum Monachi, *Reinoldiburgum* à Reinoldo quodam appellavere, qui qualis fuerit ignoratur. Distat Gottorpio tria, septem Flensburgo, quatuor Chilonio, Lubeca 13, Hamburgo denique duodecim milliaria. Munita olim egregie & quasi Holsatiæ Ianua æstimata fuit, qua expugnata tota dein Holsatia hostili incursui pateret: quare Comites Holsati diligentissime eam asservarunt, aliquibus quoque ibidem sedem figentibus. Non tamen eadem Rensburgum muniendi cura nuperos Holsatiæ Duces incessit, quippe anno 1627 à Duce Fridlandiæ Alberto Wallenstenio, dein vero anno 1643 à Torstensonio absque ullo impedimento capta, & eadem facilitate relicta est, usque dum tandem à Regiis militibus occupata, & munimentis quibusdam circumdata, gravem obsidionem pertulit, egregia defensantium fide quindecim septimanas Vrangelii conatus irritos eludente. Præcipuum civibus ex cerevisia lucrum redit, quæ ob eximiam bonitatem in vicinas oras distrahitur: nec minus illis commodum vicinæ sylvæ præstant, è quibus quotidie magna lignorum copia adjacentibus populis suppeditatur. Pisces affatim Eidora fluvius & dicti lacus præbent. Magnopere autem incolas transeuntium in Slesvicensem Ducatum Daniamque mercatorum ingens frequentia beat, quibuscum sæpe commercia exercent.

Præfecturæ Chilonica, & Bordesholmiensis.

HÆ duæ Præfecturæ sibi invicem immixtæ sunt, unde & uno præfecto plerumque gaudent, cum Duci illis præfectum dare placuit: habet tamen quæque proprium Scribam. *Magnitudo.* Præfectura itaque Chilonica cum Bordesholmia conjuncta expanditur in 5 milliaria ab amne Levensaw usque ad ultimum limitem parochiæ Neomonasteriensis. Parent aliàs quidam quoque pagi hisce Præfecturis, in Slesvicensi Ducatu, item in Wagria & Stormaria siti. Sed

RENDSBVRGVM, CHILONIVM et BORDESHOLMA, five HOLSATIA PROPRIA

Viris Generosis Strenúis ac splendidis
Dnō Heinrico Blohm Equiti aurato.
Domino in Hagen etc. Regiæ Majest.
Senatori in dúcatib. Sleswico et Holsatiâ
ac præfecto Rensbúrgensi.
Et
Dnō Paulo Rantzow Dn. in Both
kamp Kohöriede et Bienenbecke
Sereniss. Celsit. in dúcatibús Sleswico
et Holsatiâ Senatori ac præfecto
Kiloniensi Faútorib. súis Colendis
Tabúlam hanc Geometricam
officiocissime inscribit Aúthor


Iohannes Mejer. Húsúm
Regiæ Majtis Mathematic.

Grúndtriss der Stadt vnd des Schlosses Rendsbúrg Anno. 1649.

Die Masse der Rúten

Milliare Germanicum 1

Notarúm Explicatio
- Oppida et Vici
- Cœnobia
- Templa
- Nobilium ædes
- Villæ
- Pagi
- Mola aquaria



Christian Lorensen Rodtgiesser Húsúm sculpsit.

Chilonicus districtus patet latius, qui non solum Monasterium Prezam, ejusque ditionem, (quæ plerumque Præpositura appellatur) sed & multorum nobilium prædia complectitur.

Qualitas. Quod ingenium harum præfecturarum attinet, solum habent satis fertile, præsertim Bordesholmia, cui contermini Chilonio agri optimè respondent: sola parochia Neomonasteriensis reliquis dissimilis est, cujus agri sabulosi, aliquando ericetis obsiti, aliquando depressiores & humidiores sunt, atque ita non adeo frugiferi. Sunt præterea his in oris eximii lacus, jucundi & amœni saltus, maxime circa Prezam, ubi multa quercuum fagorumque copia invenitur. *Fluvii.* Fluvii has oras irrigantes sunt *Eidora*, *Swentina*, *Schwala*, & *Bornbeck*.

Chilonium. *Chilonium* Metropolitana earum Holsatiæ urbium, quæ ad Comitia convocantur, discreta est Gottorpio & Slesvico 6 mill. quatuor Rendesburgo, octo Lubeca & Flensburgo, undecim Hamburgo. Ipsa vetusta satis, suique conditoris incerta est; quam Comes Adolphus IV multis privilegiis, & imprimis Lubecensium jure donavit, eodem aulam suam Itzehoâ transtulit, & cœnobium in urbe fundavit Franciscanis incultum, in quo dein ut monachus inter monachos vixit & mortuus est. Exinde una inter quatuor Holsatiæ urbes, & quidem præcipua, remansit, ad quas reliquæ minores in judiciis appellant. Ambitus urbis non adeo amplus, nec munimentis aut propugnaculis spectabilis est, cum ob vicinos colles muniri facile non queat. Mercatura quoque in ea nulla: hoc uno tantum celebris, quod ad festum trium Regum seu Magorum annuus in urbe conventus institutus sit, plurimorum & fere omnium Nobilium, aliorumque præcipuorum virorum confluxu memorabilis. Vocant hunc conventum indigenæ *Vmbschlag*, id est, *Versuram*, quod in eo debita omnia dissolvantur, & quod quisque pecuniæ reliquum habeat, aliis illam cupientibus in usuram tradat.

Bordesholm. Bordesholmiensis Præfectura, 180 jugera comprehendens, olim Cœnobium fuit, è villa Wippendorpe, nunc Neumunster, anno 1332 per Henricum Swineborch Lubecensem, Præpositum xv, eo translatum. Cum vero anno 1565 Dux Iohannes Senior, qui Haderslebiæ aulam stabiliverat, acceptorum & expensorum rationem à Prælato Marquardo Stammer à Schönenhorst sibi reddi vellet, hic primum ad Cameram Spirensem appellavit, dein re maturius considerata, noctu cum plurimo auro & pretiosis lapillis & cimeliis aufugit: unde Dux cœnobio occupato monachis quidem vitæ sustentamenta concessit; qui tamen omnibus è cœnobio furtim ablatis, mundo quasi postliminio se reddiderunt, quidam quoque Hymenæo sacrificaverunt. Dux Iohannes insequenti anno ibidem Gymnasium illustre gratuitum pauperibus studiosis fundavit, quorum non exiguo numero victum, amictum, aliaque necessaria liberalitas Principis suppeditat; immo & singulis trienniis quosdam ad Academias per triennium ablegat, omnibus nihilominus necessariis congerendis ipsis providens.

Newmunster. Quia vero superius aliquoties Neomonasteriensis parochiæ mentio facta est, & ipsa non ignobilis sit, originem ejus altius repetere, non inconveniens videbitur. Nomen illi apud Veteres Saxones *Wippendorp*, apud Vandalos *Faldera* fuit; nunc *Newmünster*, sive *Niemünster* appellata est. Pagus est agricolis & aurigis inhabitatus ad fluvium Schwalam situs: ubi cum olim S. Vicelinus monasterium fundasset, à re nomen invenit. Prima in ea totius Holsatiæ Capella (seu Sacellum) exstructa fuit; de qua ita continuator Helmoldi: *S. Vicelinus &c. cum sancto viro Thetmaro, Cantore Bremensis Ecclesiæ, partes Holsatiæ adiit, de jussu & mandato R. V. D. Adeweronis Archiep. Bremensis & Hamb. villam Widdendorp, alias Faldera, in qua Capella lignea constructa fuit, & per longa tempora deserta, in possessionem recepit, ac ibidem monasterium construi fecit, à quo Nigemünster peramplius vocitatum fuit. Ista Capella quasi prima fuit in tota Holsatia, &c.* Præfuit ipse Vicelinus, ejusque posteri seu successores, huic monasterio cum titulo Præpositi.

Præfectura Hanroviensis.

Hanrow. Regia Hanroviensis Præfectura perexigua est, quinquaginta tantum jugera complectens; anno 1482, quo Rex Iohannes & Dux Fridericus Ducatus diviserunt, Holsaticis præfecturis annumerata, Regique adjudicata, & postea Ranzoviis divendita; è quibus Cajus Ranzovius, Mareschalli Iohannis Ranzovii frater, ejusque hæredes hanc præfecturam possederunt, quæ tandem postliminio, centum & undecim millibus thalerorum ab illis vendita, ad Regem rediit. Est tantum una in hac præfectura parochia Hademarsch, quæ multos pagos villasque continet.

Sita est in hac Holsatia urbs Itzehoa cum parte cœnobii Itzehoensis, & regione Wilstermarsch, quæ quia Steinburgensi sive Gluckstadiensi præfecturæ accensetur, ibidem quoque ejus mentionem faciemus. Cœnobii & vici Præzensis in hac Holsatia siti recordabimur, ubi ad Wagriam venerimus, in qua pleraque ejus districtus pars jacet.

W A G R I A.

Extensio.



Xtenditur Wagria à Septentrione ad Austrum à mari Balthico ad Travam fluvium inter Lubecam & Oldeschloam ad octo milliaria longitudinis; lata dispariter, modo quinque, modo sex septemve. Includitur à Septentrione mari Balthico, & ultra hoc Insula Femera; ab occidente Holsatia proprie sic dicta, consequenter Stormaria, item Stormaria Australi, & porro Saxonia Inferiori & Megapolitano Ducatu. Includit autem ipsa districtum Oldenburgicum, tum & non exiguam Chiloniensis & Segebergensis districtus partem.

Termini.

Nominis ratio.

Crantzius, celebris Saxonicarum Rerum scriptor, deducit hujus Wagriæ (inter Swentinam, Travamque fluvios & mare Balthicum, sive, ut aliis arridet, inter Mare jam dictum, Swentinam, Lacum Plonensem & Travam sitam, & ex Annalibus satis cognitam, utut nomen Wagriæ præ fulgore nominis Holsatiæ adumbratum fuerit, atque etiamnum in Principum Holsatiæ titulo non exprimatur) nomen à pago *Wagren*, ut vocat, ad Travam sito, quem tamen absque ulla authoritate, alteriusve scriptoris testimonio, quondam populosam fuisse civitatem dicit. Verba ejus sunt l. 5 Saxoniæ: *A flumine Eidora, Orientem versus, genus habitat olim Wandalorum qui Wagrii dicebantur, unde terra illa olim Wagria dicta est, ab urbe veteri olim populosa, nunc raris habitatoribus vicus est, sine clausura, sine muro & vallis, ædibus palustri junco rusticis, in ortum porrecta ad Travenam fluvium*: Ast meo quidem judicio hæc origo illegitima videtur. Potius arbitror, ut alias fere semper, sic & hanc terram geminosque ejus incolas ab aquis suum nomen sortitos esse, aquamque illam illis *Wand* audivisse, quæ vox Danis etiam hodie passim aquam significat: ab hac voce descendunt *Wandiri* seu *Wandari*, &, mutatis literis affinibus, Wandali; ab eodem Danico *Wand* molliter pronunciato derivatur *Wanieri*, eliso N. *Wayri*, (nam & *Way* juxta ac Wand, olim aquam denotabat: hinc adhuc *Way* Frisiis serum lactis, hoc est, aqua lactis, & aquilonaris alveus fluvii Nipsæ alibi Broway, alibi Schleway dicitur:) ex hoc Wayri durius pronunciato fit *Waigri* seu *Wagiri*, &, ut apud Helmoldum, terra *Wagirorum*. Ex quibus omnibus liquet hanc Wandalorum sedem capitalem exstitisse: Quare autem nomen ab aquis ducat, supervacaneum est quærere: cum ex primo Mappæ intuitu pateat, quam hæc regio fluminibus, rivis & stagnis, lacubusque irrigata sit, adeo ut reliqua Holsatia (præterquam circa Chilonium) tanquam arida reputanda sit. Et hæc non infima est caussa fœcunditatis Wagriæ, varia genera frugum proferentis. Lacus & amnes piscibus refertissimi sunt: sylvæ incredibilem copiam bestiarum, pecudum, ferarum minorum & majorum alunt, fertilioribus annis aliquot millia porcorum pascentes. Commodo præterea, (an grato magis?) ad littora maris Balthici situ æstimari potest, egregiis portubus & stationibus, quales sunt Lubecæ, Travemundæ, Neostadii & Heiligenhafen, spectabilis, & eapropter veteri Holsatia populosior. Præsertim verus Nobilium Vicus dici posset; ita enim frequentia atque quasi continua nobilium prædia occurrunt, ut in tota reliqua Holsatia Stormariæ conjuncta, totidem non inveniantur. Præterea & olim huic Wagriæ, sive novæ Holsatiæ connumerata fuit florentissima urbs Imperialis Lubeca, quemadmodum & usque nunc Episcopatus Lubecensis Holsatiæ accensetur, & Eutina episcopalis sedes in Wagria sita est. Est & adhuc in ea Ducalis sedes Plona, item nobilissima Domus Ranzow, unde Ranzoviorum stemmati nomen. Tandem & modica habet oppida, *Plonam*, *Neostadium*, *Oldeschloam*, *Travemundam*, *Lutkenburgum*, *Portum Sanctum*, seu *Heiligenhafen*, &, quod primas meretur, *Oldenburgum*, licet multum à pristina gloria defecerit. Cœnobia in Wagria sunt illa tria vetustissima *Reinfeld*, *Ahrensbock*, & *Cismar*, quæ jam olim in Ducales Præfecturas permutata sunt. Porro & virginum Cœnobium Lubecense hoc in tractu sua habet arva, ut & Cœnobium Prezense. Montes hic nulli excepto *Segebergico*; sparsa tantum hinc inde sibi permixta collium valliumque frugifera multitudo, etiam Wagriæ inter dotes censetur. Præcipuè notandus montosus tractus inter Schwentinam & rivos illos, qui versus Aquilonem in mare se exonerant, quemadmodum & alius tractus inter Schwentinam & fontes Travenæ & Schwartoviæ decurrens. Primarii & maxime celebres fluvii sunt Trava & Swentina, qui non solum huic terræ ortum debent, sed & eandem maxima ex parte circumdant.

Wandiri, Wandali, Wanier, Wayri. — *Waigri. Wagiri.* — *Qualitas.* — *Portus.* — *Nobilium prædia.* — *Oppida.* — *Cœnobia.* — *Montes.* — *Flumina.*

Trava Fluvius.

Trava seu *Travena* ex gemino fonte derivatur, quorum alter Giselradæ paulo supra parochiam Saraw, alter vero prope Liensfelde conspiciuntur. Conveniunt hi alvei sub prædio Glasaw. Ex Hornsdorpico lacu, 700 virgas longo, & 200 plus minus lato, manat rivus in Travam, qui porro Trevihorstam permeans, excipiensque Schwogelbek amnem, cui Arensbock & Guissaw, olim *Nezenna*, adjacent, apud Wensinam, prædium nobile in lacum Werder illabitur, qui longitudine 1800, & latitudine plusquam 40 æquat virgas, ad latera habens pagum Werder, unde lacui nomen, tum & Kolesdorf, Pronsdorf & Wensin, nobilium prædia. In hunc lacum, pariterque in Travam, confluunt Lebezaw & Goldebeck amnes. Trava exinde pergens, & Kennaw amnem ex Segebergensi lacu, 460 virgas longo, 200 lato, recipiens, circumgyrat Niendorp, & alluit fines Stormariæ, à qua deinde continuato cursu Wagriam, & ab hac Saxoniam & Megapolitanum Ducatum distinguit, usque dum patri Oceano vela submittit. Pergens autem Trava ad Monche, Mohl & Högelsdorp (Helmoldo *Hogerestorp* seu


WAGRIA, que est PARS ORIENTALIS HOLSATIÆ.
Eminentissimo, Illustrissimo et Celsissimo Principi ac Domino. Dno. Iohanni, Episcopo Lubecensi, Hæredi Norwegiæ, Duci Schleswici, Holsatiæ, Stormariæ, et Dithmarsiæ, Comiti in Oldenborg et Delmenhorst, Domino suo Clementissimo, Tabulam hanc totius Wagriæ subjectissimè Offert, Author.
Iohannes Mejerus
Hus. Reg.a Maj.tis Mathematicus.
Grundtriss Oldenburg. ano 1651.
Septentrio.
Meridies.
Occidens.
Oriens.
Notarum Explicatio.
s. Iurgens Closter a
Marien Closter b
s. Iohannes Closter c
s. Wilhadi kirch d
Cosmus kirch e
s. Pangratzig f
s. Nicolaus g
s. Iohannis Capell h
s. Andreas i
s. Vith Capell k
das Keginer dohr l
Grundtriss Oldenburg.
MARIS BALTHICI PARS
Vulgo OOST SEE.
die Colberger Heyde.
FEMEREN
DUCATUS SLESWICENSIS
HOLSATIÆ
STORMARIA
Lubeck
DAS LANDT
MECKLENBURG.
Milliare Germanicum.
Matthias & Nicolaus Peters Goltschmide, gbr. Hus. sculps.

Hegereſtorp, quo quondam Monaſterium Segebergenſe ad tempus fuit tranſlatum) excipit amnem Letzerbeck, pone pagum Letzing ebullientem, (ubi & Beven lacus 980 virgas longus, & 200 latus) & deinde lacum Motzer, qui ejuſdem cum præcedente longitudinis 300 virgas latus eſt, permeantem. Deſcendit inde Trava verſus prædium Freſenburgum, formatque diducto paulo poſt alveo inſulam, in qua maxima ex parte Oldeſchloa ſita eſt. Sub Oldeſchloa jungitur Travæ fluvius *Beſta*, qui ex duobus longè diſtantibus, ſed uno *Beſtæ* notatis nomine alveis conflatus eſt. Septentrionalis Beſta exſilit in parochia Koldenkercken prope Hattenbleck & Wakendorp, & dirigit curſum verſus prædium Borſtellam, pagum Sulfeldam & villam Grabow, recipiens Klinckbeck rivum, cui prædium Holtenklinck adjacet. Auſtralis ſive Meridionalis Beſta oritur in parochia Syke, fluitque Tremsbuttelíam, excipiens prope Koleſshagen, Ducalem villam, amnem, qui in Parochia Ecken cum duobus cornibus ſubnaſcitur; tandem incidit hæc meridionalis Beſta in ſeptentrionalem. Nec diu poſt recipit Beſta Sultam fl. prope Steinhorſt exſilientem, ac Schulendorp & Kethwiſch præterlabentem, intratque Travam infra Oldeſchloam, qui ibidem ſe incurvat, & verſus Eurum curſum ſuum inſtituit; quem & ad oſtium uſque retinet. Exinde, ſuſcipit amnem Heiderbecam, cui pagus Zarpen & Reinfelde adjacent, progrediturque Weſenbergam; unde juncto ſibi amne Krambeck ipſe Ambergam pergit. Supra Lubecam confluit ei *Stekenitz*, qui quondam, natus in Saxonia, curſum ſuum in Travam direxit, nunc autem velut canalis cluſis cohibetur, ut naviculæ & rates per hunc Lubeca Lauenburgum ire & redire poſſint in Albim. Lubecæ immergit ſe Travæ fluvius *Wakenitz*, undâ gravis, conſtituitque una cum Trava inſulam, in qua Lubeca ſita eſt: profluit ex Ratzeburgico lacu, originem tamen è Megapolitano Ducatu petens.

Beſta fluvius.

Stekenitz.

Wakenitz.

Schwartow.

Schwartovia exſurgit cum duobus cornibus, quorum occidentale, *Madenbeca* dictum, provenit prope Meinsdorp inter Eutinam, lacumque Plonenſem, & milliari uno à fontibus Travæ permeat lacum Barkovienſem, cujus longitudo in 869, latitudo vero ultra 350 virgas ſe extendit; Orientale Cornu dicitur *Haſelbeck*, exſilit in arbuſtis juxta prædium Sierhagen, pervadit Suſelenſem lacum, quadrantem milliaris longum, cui pagus Süfel & prædium Ovelgonne adjacent. Hoc cornu cum occidentali conjunctum adipiſcitur primum nomen Swartoviæ, progrediturque ad pagum Gleſchendorf, alioſque rivos abducens, accurrit Schwartoviam, Lubecenſium elegantem vicum, ubi complures molæ inveniuntur; tandemque propter Coldenhof, ubi priſcus Lubecæ ſitus fuit, Travæ miſcetur, qui porro in lacum Travemundanum, ac tandem apud Travemundam in Oceanum ſe exonerat.

Schwentin.

Schwentina vero fluit alveo Travæ contrario. Quemadmodum enim Trava ſiniſtrorſum ſe inflectit, ſic Schwentina dextrorſum abit, antequam Mare Balthicum contingat. Exoritur autem paulum ſupra prædium Moncheneverſtorp, ibidemque primo dicitur Nebersbeck, quem à læva parte aliud impetit cornu, emenſo antea Ruſlano lacu, 500 virgas longo & 200 lato. Properat inde in *Eutinenſem lacum*, qui ultra 1000 virgas in longitudinem, & 250 in latitudinem extenditur, cui Epiſcopalis ſedes adjacet. In hunc lacum varii labuntur rivi, Schwentinam adaugentes, qui mox lacum Eutinenſem relinquens, juxta Molam Pulverariam in alium lacum properat, Kellerſee vocatum, & 700 virgas longum, 500 latum, amneque Gronovia auctum, Gronhuſium & pagum Nuchtel præterlabente. Intrat deinde Schwentina lacum Dickſee, 600 virgas longum, & 300 latum, cui Hamelau amnis confluit; inde Ruehelacum; 300 virgas longitudine, 200 latitudine occupantem, in quem & Saſclaw influit, & conſequenter prope Fegeleſch magnum *lacum Plonenſem* ingreditur. Coincidit huic lacui amnis Teſenbeck, olim Crimeſaw dictus, qui à Petluſe prope Bluncken (Adamo Builuncken; cujus vici in Saxonum & Vandalorum terminis meminit) deſcendens lacum Stockſee, olim Agrimes wedel, permeat. Erat hic rivus olim terminus inter Saxoniam & Vandaliam, ſive Holſatiam & Wagriam. Lacus Plonenſis, Adamo *Colſee*, complectitur longitudine ſua Plona Bredenbedum uſque 2160, latitudine 1240 virgas, in circuitu vero ultra tria milliaria: adjacent ei Plona Ducalis ſedes, Aſcheberg, Nembter, Peem, Prædia nobilia, & pagus Boſlavia, &c. Lacus hic tertius Wagriæ maximus eſt, imo in Ducatu Sleſvicenſi & Holſatia quaſi pro unico reputatur lacu; confluit enim per anguſtos canales. Re vera tamen duplex eſt, in majorem & minorem diſtinctus. Abundat piſcibus variis diverſorum generum, in quibus grandiores anguillæ celebres ſunt, quas ibidem copioſe expiſcati, toſtas dein in vicinas oras diſtrahunt.

Eutinenſis lacus.

Plonenſis lacus.

Prope Wittemold, Nobile prædium, Schwentina hoc primum hîc nomen ſortitus, caput ex lacu Plonenſi demum erigens, & continuum inter Holſatiam & Wagriam terminum conſtituens, vadit prope Walſtorp in lacum Prezenſem. Expandit ſe hic lacus quoad longitudinem uſque ad Prezenſem pontem in 1300, quo ad latitudinem in 300 virgas. Secus Prezam inter Monaſterium & vicum influit Schwentinæ Bornbeck, erumpens ex Bornhovedenſi piſcina, unde in Schmalen lacum 480 longum, 200 latum virgas progreditur, & Perdoclam Nobilium ſedem, & lacum quoque adjacentem præterlapſus, profluit in lacum Poſtfeldenſem, 400 virgas longum, & 200 latum. Tum exile brachium ex lacu Bock emanat, qui Hagenenſem lacum tranſit, longum 400, latum 300 virgas, & alios minores lacus efficit, tandemque in Poſtfeldenſem lacum incidit, & Bornbeco confluens prope cœnobium Prezam Swentina miſcetur. Schwentina uno deinde impetu Raſtorf & Obbendorf Nobilium prædia, & Newmühle, eximia ſalmonum captura famigeratum, præterlabens, mox in ſinum Chaluſum ſeu Chilonicum, & ſubter Chriſtian-Pries in ipſum mare Balthicum ſe effundit.

Ulterior Schwentinæ curſus.

Veteres Wagriæ incolæ Wandali ſeu Slavi fuerunt, quemadmodum & reliqui vicini, idololatriæ valde dediti; gens vaga ſemper & mobilis, pirati-

Veteres incolæ.

raticas exercens prædas, impatiens otii, vexans regionum adjacentia terrâ marique, crudelis in captivos, infida, ad malum prona, atque adeo à teneris unguiculis latrocinando assueta, ut omissis penitus agriculturæ commodis, ad navales excursus expeditas semper intenderit manus, unicam spem & divitiarum summam in navibus habens sitam, sed nec in construendis ædificiis operosa, quin potius casas de virgultis contexebat, necessitati tantum adversus tempestates & pluvias. Quoties autem bellicus tumultus insonuerat, omnem annonam paleis excussam, aurum atque argentum, & pretiosa quæque fossis abdebant, uxores & parvulos munitionibus vel certe sylvis contutantes. Nec quicquam hostili patebat direptioni, nisi tuguria tantum, quorum amissionem facillimam judicabant. Nulla tamen gens honestior illis in colligendis hospitibus, ita ut nemini hospitium postulare necesse esset: quicquid agricultura, venatione seu piscationibus conquirebant, totum in hospites conferebant. Si quis vero, quod rarissimum erat, peregrinum hospitio removisse deprehensus fuisset, hujus domum vel facultates incendio consumere licitum erat, inglorium illum, vilem, & ab omnibus exsibilandum arbitrabantur, quod hospiti partem negare non timuisset. Inde egenus vel mendicus nullus apud eos repertus est, commendatis hæredi infirmis vel senio vel morbo.

Wagriæ Principes.

Primus qui soli Wagriæ præfuisse in Annalibus legitur, fuit *Selibur*, ab Hermanno Saxonum Duce captus. Post hunc mentio fit

Mistewoi sive *Bilungi*, circa annum 984 sub Othone II.

Micislai, filii Mistewoi;

Mistewoi II, apostatæ ad annum 1025 mortui;

Anadragi & *Cnei*, Ethnicorum, atque *Vdonis*, Christiani, filiorum Mistewoi II.

Godeschalci, filii Vdonis, qui audita patris à transfuga Saxone interfecti morte, è cœnobio S. Michaëlis aufugit, & in bello à Bernhardo Saxonum Duce captus, & dimissus in Daniam militatum abiit:

Ratibori, ex eadem familia orti, Christiani, & magnæ inter Barbaros potestatis, interfecti tandem à Danis: cujus cum mortem octo filii ulcisci vellent, totum Slesvicensem Ducatum depopulati, in reditu à Magno Danorum rege una cum quindecim millibus Vandalorum cæsi sunt 1042. Eo tempore post Canuti Regis mortem Godeschalcus ex Anglia rediens, Vandalos expugnavit, & ad Christianam religionem amplectendam adegit, cum ipse è Latino in vernaculum sermonem transferret, quæ religioni conferebant, & sacra administraret; tandem anno 1066 ab apostatis Vandalis interfectus est. Hunc secutus est affinis

Blusso, cui post vastatam Holsatiam à Vandalis interfecto successit

Butue, filius Godeschalci, qui tandem per stratagema interfectus est à

Crutone, seu *Critone*, pagano; qui Saxonum vires adeo attrivit, ut ei tributum dare cogerentur. Interficitur tandem astu conjugis Slavinæ ab

Henrico, Blussonis filio; hoc senescente S. Vigelinus Lubecam veterem se contulit, & exinde paganos ad Christianam religionem amplectendam permovit. Successit ei

Swentepolcus, filius natu major, tandem instinctu Dasonis nobilis Holsati interfectus est.

Znineke Swentepolco patri successit, sed post parvi temporis regimen Erteneburgi cæsus est.

Canutus, Vandalorum Rex ab Imperatore Lothario constitutus, Vicelini conatus favore suo valde promovit, & A. 1133 à Principe Mogone Regis Daniæ Nielsi filio in acie occisus est. Natus ei est posthumus filius Woldemarus, qui in Regem Daniæ evasit.

Pribislaus & *Niclotus* Blussonis nepotes, post Canuti mortem, avitum regnum receperunt, & eo diviso Pribislaus Wagriam & Polabiam accepit, Nicloto vero Megapolitanus Ducatus obvenit. Fuisse ambos Ethnicos seu paganos aliqui affirmant; Pribislaum tamen dein conversum & à Vicelino baptizatum esse. Expulsus est Wagria à Comite Henrico à Badewide, Holsatiæ Administratore, qui Adolpho II Holsatiæ Comiti suffectus fuerat: ut vero Adolphus Holsatiam recepit, transegit cum Henrico, ut ille Comitatum Ratzenburgensem sive Polabiam acciperet, ipse vero Wagriam retineret, quæ exinde Holsatiæ adjuncta cohæsit.

WAGRIÆ
PARS SEPTENTRIONALIS.



Ividitur hodie Wagria in Australem & Septentrionalem. Septentrionalis egregia certe est, & feracissima regio, quas multi lacus & rivi humectant, maxime hi sequentes:

Lacus Schlentersee. *Sehlenthensis* lacus, in circuitu tria milliaria, longitudine ultra 400 virgas, & latitudine 1150 capiens, piscosusque valde. Huic adjacent duo pagi, Sehlendt, unde lacui nomen, & Gykow, ac duo prædia, Salsow & Nienhues. Hic lacus vel decem rivos recipit, è quibus constat: duo habet ora seu ostia in mare exeuntia; primum prope Salsowhoff, alterum in Passadersee lacum, ab adjacente pago Passade sic dictum, exundans. *Passadersee.* Et hic lacus piscibus dives est, formâ triangulari; alterum latus in longitudine à Passade Doberstorpium versus excurrit 860 virgas; alterum vero 680, extrema latitudo 300. Fluit rivus quidam per lacum Doberstorffersee in lacum Passadensem. Exitus lacus Passadensis est prope Wulfsdorf villam, unde versus Lutterbecam, & mox in mare Balthicum transcurrit. Alter sive orientalior exitus è lacu Sehelend est prope pagum Pulsen. Atque ita constituunt hæc duo brachia seu ostia lacus Sehlentensis insulam, seu fluviis circumdatum tractum.

Kussaw. *Kussau* suboritur haud procul à prædio Rixdorf, præterfluens prædia Schoneweide & Rantzow, intrat lacum Neverstorpensee, (cui prædium Neversdorp adsitum, 900 virgas longo & dimidio contra lato)& brevi post in ipsum mare.

Klehtbeck. *Klehtbek* supra Klethkamp, qui inde nomen habet, alluit pagum Blukendorp, prædium Voderkamp, & tandem in mare Balthicum excurrit.

Brochaw. *Brochaw*, forsan inde dictus quod olim terram ruperit, & pagum Oldenburg insulam fecerit, ex duobus rivis præsertim, *Rehtbeck* & *Iohansbeck* conflatus est. Rehtbeck exsilit supra prædium Testorp, atque illud una cum alio Tarbe dicto & pago Hohenstein alluens, in occidentalem *Brockaw* 880 virgas longum, 200 latum se effundit. *Wester-Brockaw.* Iohansbeck oritur prope villam Wahrendorp, means versus communis nominis pagum & prædium Lesanum & prædium Petersdorf, sicque in Brockaw, qui ad orientem se flectens Oldenburgum transit, alluens porro Koselaw, lacum ingreditur Oster Brockaw longum 1760 virgas, *Ooster-Brockaw.* dispari latitudine ad summum 480 virgas admittente. Adjacent huic Nobilium prædia Gartz & Rosen-hoff, & Pagus Grube. Brockaw denuo exiens lacum subducit se in Coldenbergensem sinum, seu Mare Balthicum.

Krumbeck. *Krumbeck* seu *Krempe*, nascitur supra pagum Krumbeck, abit in sinum maris, ubi Krempa

Germania.

antiqua sita fuit: in quem quoque rivus Schierenbeck se effundit, qui ab Halendorp villa descendens, prædia Mohlenkamp & Sierhagen allabitur, inde in prædictum maris sinum se exonerat, cui Neostadium adjacet.

Preza Nobilium virginum Monasterium.

Preza Virginum Monasterium. Parthenium nobile *Preza* ab adfluente amne Bornbeck denominatum videtur, ut mox patebit. Nihil fere de hoc prædivite Monasterio in Helmoldo, Arnoldo Stadensi & Crantzio annotatum miror. Invenio tamen mentionem virginum Birsensium (credo moniales Prezenses intelligi) in authore qui vitam S. Vicelini carmine complexus est. Antiqui quippe Holsteni has aquas *Bor*, *Borren* (unde *Borrenhovet*) sive *Borres* appellarunt, unde porro *Burres* sive *Birs*, è quo *Bores*, *Pores*, *Poretze* & Pretze dictum; nam & hoc cœnobium à Continuatore Anonymo Helmoldi Poretze appellatur. Sed modo dictus Poëta, qui vitam Vicelini cecinerat, scribit hisce Monialibus magnam fuisse licentiam: quare Hartoicus II, Hamburgensis seu Bremensis Episcopus, iis severum Præpositum dedit Thietmarum nomine, qui ante Novi Monasterii fuerat Prior; hic Monialibus omnem exspaciandi licentiam præclusit. Versus ejus, pro sæculi istius conditione, inculti sic se habent:

Hic (Hartoicus II. Archiepiscopus) *quoque Birsenses dictas dudum moniales,*
Ejecit quasdam, maculaverunt quia famam
Vitæ communis, & cælibis atque salubris:
Quasdam collegit & eas sub jura redegit,
Fecit claustrales, veluti decuit, moniales.
Harum cum cura suscepta præpositura
Thietmarus Dominus tulit impositum sibi pondus,
Claustri Birsensis, Prior ante Monasteriensis.
Qui disciplinam reputans animæ medicinam,
Portas exstruxit, valvas appendere cœpit,
Vectes opposuit & clavibus ostia clausit, &c.
Anno Milleno Centeno bis quadrageno
Adjectis annis à Christi tempore quinis.

Factum hoc itaque est anno 1185, id est, tempore Adolphi III. Comitis Holsatiæ, &c. Originem hujus Monasterii pervestigans, inveni tandem S. Angarium illud instituisse, quemadmodum Adamus Bremensis de eo commemorat: *Tertiam*, inquit, *Sanctarum virginum congregationem in Briximon adunavit. Vbi devota Christi matrona Lutgard totum suum patrimonium offerens cælesti sponso, magnum chorum castitatis suo nutrivit Ducatu.*

Hæc Lutgardis absque dubio nobili genere orta fuit, cum tantum nobiles in hocce monasterio virgines admissæ fuerint. *Briximon* idem esse autumo, quod *Bers* seu *Breßmunde*, quia hoc Cœnobium in ostio seu ore Bers, Bores seu Borenbekes situm est, ubi hic amnis in Schwentinam

WAGRIÆ
PARS SEPTENTRIONALIS
cum præfectura
CISMAR et OLDENBVRGH.

Illustrissimo & Celsissimo Principi ac Domino, Dno
Ioachimo Ernesto,
Hæredi Norwegiæ, Duci Slesvici & Holsatiæ, Stormariæ & Dithmarsiæ, Comiti in Oldenburg et Delmenhorst, Domino suo Clementissimo, Tabulam hanc Geographicam submisse offert author
Iohannes Mejer. Husumens.
Reg.ae Maj.tis Mathematicus.

Grundriß Uon LUTKENBORG.
Not. Explic. a. S. Michaelis Kirch b. Marckt c. Langetwidt.

Grundriß Uo HILLIGN HAVEN. aō 1649

Grundtriß vom Flecken Preetze. Ruten 60

Grundtriß d. Statt Undt d. Schloßes PLÖEN. Ruten 60

Grundtrißder Newstadt.

Notarum Explicatio.
- Oppidum cum arce
- Oppida
- Ædes prefecturarium
- Templa
- Nobilium villæ
- Prædia
- Pagi
- Mola aquaria

Milliare Germanicum. 1 2 3 4 min. 480 1920 Virge.

Christian Lorensen Rodtgiesser sculps.

MARIS BALTHICI PARS Vulgo OSTZEE

DUCATUS Dänische

Die Colberger Heide

FEMERN

HOL ... PARS

nam sese immergit. Quod autem per hoc Briximon Preza intelligatur, innotescit ex veteri scripto de Ecclesia Bremensi, in quo hoc Monasterium, ab Archiepiscopo Ansgario institutum, *Berssen* dicitur, quod est per metathesin *Bressen*, ut Germ. *Bernen, Brennen*. In privilegiis Imperatoris Othonis I audit *Biresinum* & *Birsina*, post *Birchisinum* seu *Birchusinum*: In privilegiis Henrici II, tanquam *Birckhusen* sive *Bershusen*; & videntur monachi nomen hoc diversimode flexisse; ast vulgus pro more *Berse* seu *Bresse*, & duriuscule *Pretze* seu *Poretze* dixisse.

Hactenus est nobilium virginum monasterium, in quod nobiles virgines, religioni Lutheranæ addictæ, sed absque rigoroso voto, asciscuntur: si enim exoptatum matrimonium ipsis offeratur, quod cœlibatui quandoque præferunt, licitum est ipsis, occasionem sese offerentem arripere, & nubere: quamdiu autem in cœnobio degunt, sedentariam & solitariam vitam agere tenentur; quemadmodum paucis abhinc annis claustralis ordinatio à supremo Magistratu præscripta est.

Locus ipse valde commodus est, quatenus Monasterii requisita; quippe quævis virgo suâ utitur cella, quæ magis domui quam cellæ similis est: nam hæc habitacula separatim ad formam diversarum mansionum exstructa sunt; unde hoc monasterium non multum à vico quoad formam differt. Vicus Pretze ad fluvium Bornbeck situm est. Hisce virginibus præsunt Præpositus & Priorissa.

Lutkenburg. Accensetur etiam Parochiæ hujus Monasterii oppidum Lutkenburgum, Chilonio & Oldenburgo tribus, Portu Sancto & Neostadio quatuor, & septem mill. Lubeca distans. Pervetustum est, sed exiguum oppidum, in quo Helmoldus Swentepolum Henrici Vandalorum Regis filium à nobili Holsato interfectum fuisse memorat, qui & Wagriam in Plonensem, Lutkenburgicum & Oldenburgicum circulos distinguit: unde conjicere licet, olim Principum sedem fuisse; castellum quoque habuisse fertur, etiam nunc Lubecense jus usurpans.

DISTRICTVS OLDENBVRGICVS.

Terra seu Regio illa, quæ cis civitatem Oldenburgum lacubus & fluminibus à reliqua Wagria separata est, hodie proprie *Oldenburgica* dicitur, estque instar insulæ, quemadmodum & olim insula fuit, sed subsequenter ostium occidentale fluvii Brockaw ab ejectitia arena, seu, ut aliis videtur, à Regina Margaretha studio obstructum fuit. Ostium orientale adhuc patet, sed exiguum est.

Oldenburg. Oppidum *Oldenburgum* sive *Altenburgum*, olim à Vandalis ejusdem significationis vocabulo *Stargard* insignitum, totius olim Wagriæ & Vandaliæ caput fuit. Prima ejusdem sub Othone Magno mentio fit in Historiis, quem, cum partim per Legatum Hermannum Billing, postea Saxoniæ Ducem, partim suo ductu Vandalos coërcuisset, amplissimum hic Episcopatum instituisse ferunt, ordinato in primum Episcopum Marcone suo Cancellario. Exinde tempore Vandalorum sub Duce Godeschalco Collegium Canonicorum & utriusque sexus cœnobium in oppido fundata sunt; & Episcopatus hic in tres alios ab Alberto Magno Archiepiscopo Hamburgensi divisus, quorum unus Altenburgi, alter Ratzeburgi, tertius Megapoli constitutus est. Postea à Suentone Sueciæ Rege destructum oppidum, jacuit aliquamdiu desertum; quare Episcopatus rogante Episcopo Geroldo Lubecam translatus est: reædificatum tamen paulatim ab accurrentibus Saxonibus, & ab Adolpho IV jure Lubecensi donatum est: usque dum obturato ostio, & plurimis hostium incursionibus ad pauperiem redactis civibus adeo defecerit, ut penultimum nunc inter Slesvico-Holsatica oppida locum teneat.

Heiligenhafen. Non prætereundum hic est oppidulum *Heiligenhafen*, sive *Portus Sanctus*, uno & magno milliari Oldenburgo discretum: paret hodie Regi Daniæ, quatenus Holsatiæ Duci. Vtitur Lubecensi jure; & procedit hinc appellatio prima vice ad quatuor Holsatiæ civitates.

Newstadt. *Neostadium* in circulo Oldenburgensi ad maris sinum situm est, in quem duo amnes Krumbeck & Schierenbeck se exonerant; ita ut portum habeat majoribus navigiis habilem, quæ aliquando ibidem struuntur. In hæreditaria Principum divisione, quæ anno 1544 facta, eundem cum præfecturis Oldenburgica & Cismariensi Dominum accepit, etiam usque nunc Gottorpicæ Familiæ parens. Oppidum alias exiguum, & veteri tantum vallo circumdatum sine propugnaculis, trecentos annos stetisse fertur.

PRÆFECTVRA CISMARIENSIS.

Præfectura Cismariensis quondam Cœnobium, & ad S. Ioannem Lubecæ fundatum fuit. Monachis autem licenter viventibus (ut Ioannes Petri commemorat) cum consilio & voluntate Comitis Ioannis I. urbe excedere jussi & Cismariam proscripti sunt, atque in eorum locum Moniales surrogatæ. Monachi ex ordine Benedictinorum fuerunt, ut Continuator Helmoldi refert: *Monasterium Cismar prius locatum fuit in Lubecensi civitate, & ab ipso Lubecensi Episcopo (Henrico) fundatum ad S. Ioannem, in quo monasterio monachi nigri ordinis S. Benedicti habitabant; sed postmodum per Consules Lubecenses consilio & voluntate Ioannis (Primi) translatum fuit in locum Cismar, in terra Oldenborg, ubi nunc degunt: & monasterium in Lubeck, quod demiserunt monachi, virginibus impleverunt.* Factum hoc tempore Comitis Ioannis I, vel Adolphi IV, ut ex Ioanne Petri liquet.

In Principum partitione ad A. 1544, Cœnobium hoc Princeps Adolphus sortitò accepit, quod statim in præfecturam commutavit, & uni, unà cum Oldenburgo, Præfecto administrandum commisit, qui simulac est insulæ Femeræ inspector. Magnitudo ejus per se 69 cum dimidio jugera exæquat. Tempore Adolphi administravit præfecturam Dethlevus Ranzovius in Kletkamp; & nostris temporibus Georgius à Buchwald, Dethlevus Ranzovius in Helmstorf, & Nicolaus à Qualen, &c.

WAGRIÆ
PARS MERIDIONALIS.



N Meridionali Wagriæ parte sunt Episcopatus Lubecensis, Ducatus Plonensis, & Segebergensis Præfectura. *Lubeca*, urbs Imperialis libera, ardua & exigua initia habuit, quibus tamen eluctata, ad tantum magnitudinis culmen pervenit, ut reliquarum mari adsitarum urbium directrix & ductrix facta sit, adeo terra marique fortibus factis se erigens, ut non Noribergæ, Coloniæ, Antverpiæ, sed veteribus Athenis & hodiernæ Genuæ comparari mereatur; multis potentissimorum Regum exercitibus & classibus concussis, & ut plurimum triumphatis; quamquam non à nobilibus, sed à civibus & mercatoribus Respublica administretur. Anno 1040 vetus Lubeca sub Principe Godeschalco Collegio Canonicorum, & utriusque sexus cœnobio aucta, aliquot annos post à Rugianis ferro flammisque deleta, instar Phœnicis, novæ Lubecæ ortum è suis cineribus dedit; quippe Adolphus II, Holsatiæ, Stormariæ & Schaumburgi Comes, huc iter faciens, cognito loci ingenio, in insula pulcherrima inter Travam & Wakenicium fluvios urbem condere cœpit, quam confluentibus ad illam veteris Lubecæ incolis novæ Lubecæ nomine insignivit. Ita autem urbs statim crevit ob portus commoditatem, ut hinc inde Mercatores ex vicinis urbibus cum mercibus se huc conferrent, magno cum reliquarum urbium detrimento. Non tamen adeo favens illi fortuna fuit, quin & aliquando suæ inconstantiæ specimina ediderit. A Nicoloto enim Principe capta est, trecentis civibus trucidatis, & navibus mercatura onustis incensis: & postea anno 1158 penitus incendio deleta est, ita ut & de alia urbe alio in loco exstruenda actum sit: attamen ab Henrico Leone Duce Lunæb. pristino nitori reddita, & Episcopatu Altenburgensi aucta est, quo ab Imp. Friderico I. excommunicato, urbs in Cæsaris, qui eam obsidione premebat, potestatem venit. Postea ab Henrico recepta & amissa, post multas bellorum vices ad Imperium rediit, & Hanseatico fœderi initium dedit, Hamburgo primum, dein reliquis urbibus paulatim huic Fœderi annexis. Primus, ut in Oldenburgo diximus, Episcopus Lubecensis Geroldus fuit, qui consentiente Duce Henrico Leone, relicto Altenburgo Lubecam concessit, quo tutius res sacras administrare liceret. Vocatur quoque hic Episcopatus Vtinensis, ab Vtina vel Eutina civitate, in qua sedem suam exinde Episcopi constituerunt.

Lubeca.

SERIES EPISCOPORVM LVBECENSIVM.

GEroldus, obiit anno 1162.

Conradus, Geroldi frater, antea Abbas in Riddageshusen, obiit Tyri in expeditione quam cum Henrico Leone in Palæstinam susceperat.

Henricus, antea ad S. Ægidium Brunsvici Abbas, vir eruditus, pius & eloquens: sub hoc Lubeca inter liberas Imperii civitates ab Imp. Friderico Barbarossa ascita est.

Conradus II, Comes Querfurtensis, Imp. Friderici Concionator Aulicus, qui non diu post Episcopatui renunciavit, cum Imperatore in Palæstinam abiit, & post reditum in Hildeshemiensem, & dein Herbipolitanum Episcopum electus est. Interfectus est perfidè à suis Herbipoli, quibuscum bellum gerebat.

Theodoricus, Præpositus antea Lubecensis, sub quo Livonia Christiana religione imbuta est.

Bertholdus suffectus est defuncto Theodorico anno 1211.

Iohannes I, Lubecensis, antea Capituli Cathedralis Decanus, sedit annos duodecim.

Albertus, Episcopus Rigensis, & Pontificis ad omnes Hyperboreas nationes Legatus, tandem Livoniæ & Prussiæ Archiepiscopus multa cum laude præfuit.

Iohannes II, *de Deest*, ordinis S. Francisci, Alberto suffectus est, intercedente Romanorum Rege Guilielmo, nato Comite Hollandiæ, cujus in aula concionator fuerat. Concessit hic Eutinæ jus Lubecense. Sedit annos sex.

Iohannes III, *Tralow*, ædificavit palatium Eutinense; unde multis debitis Ecclesiam oneravit.

Burchardus à Sarcken, Cantor Lubecensis Ecclesiæ, jam octogesimum annum agens ad Episcopatum pervenit, quod ei non diu præfuturus ob senilem ætatem videbatur. Sedit tamen integros annos quadraginta & unum: vir otio vel somno minimè deditus, sed occupatissimus.


Henricus II, *Bocholt*, antea Decanus, dein Præpositus Lubecensis, excellens Medicus, obiit anno 1340.


Iohannes IV, *Muel*; cinxit hic Eutinam vallo & fossis consentiente Comite Holsatiæ.

Bernhardus, vir præstans, præfuit annos 27.

Iohannes V, *Nicolaus* & *Conradus*, uno fere tempore episcopatui se ingerere nitebantur: Iohannem Canonici Lubecenses elegerant; Pontifex contra Romanus Avignone Nicolaum ex Misnia oriundum submiserat, qui ut non adeo amplum hunc Episcopatum, ac opinatus fuerat, præsensit, continuo eundem resignavit, & postea Misniensem mitram adeptus est. Vnde Lubecenses iterata







HOLSATIÆ PARS

STORMARIÆ

WAGRIÆ

Ost See

Das LANDT ZVE MECKLENBORG

DIE GRAFSCHAFT PINNENBÆRG

iterata vice Ioannem elegerunt, verum Nicolaus apud Pontificem ita rem direxerat, ut Conradum à Griesenheim Caroli IV Imp. Secretarium ordinaret in Lubecensem Episcopum, qui octo annos sedit. Hoc mortuo jam tertiò electus Ioannes non diu dignitati suæ supervixit, sed eodem anno obiit.

Everardus Attendorn, Licentiatus Iuris, & antea Decanus Lubecensis.

Ioannes VI, *Dulmen*, Doctor Decretorum & Auditor Rotæ Romanæ, à Pontifice Romano in Everardi locum & dignitatem suffectus est: sedit annos 21.

Ioannes VII, *Scheel*, Hannovera oriundus, Licentiatus Decretorum, unanimiter à Canonicis electus & à Papa confirmatus est. Adfuit Concilio Basileensi sex annos, titulo & munere Secretarii apud Imperatorem defungens. Præfuit annos 19.

Nicolaus, Episcopatum optime administravit, & oblatum Archiepiscopatum Rigensem non admisit, sed Lubecæ manere constituit. Non diu tamen supervixit, sed postquam 10 annos sedisset, fato functus est.

Arnoldus, Westphalus, vir doctus, & non tantum juris Canonici Doctor fuit, sed & multis in Academiis publice docuit. Sedit annos 12.

Albertus Krummendick, Nobilis Holsatus, multis obitis pro Rege Daniæ legationibus, Ecclesiæ reditus valde afflixit: Præfuit annos tres & viginti.

Thomas Grote, à suis *Hindewinckel* cognomen accepit, quod adeo solitarius esset, ut vix cum suis Capitularibus conversaretur; unde se iis non adeo acceptum videns, fecit ut

Theodoricus Arends à Pontifice sibi substitueretur.

Wilhelmus, dicti Arnoldi Westphali ex fratre nepos, sedit annos duos; obiit anno 1509.

Ioannes Grimholt, sive VIII ejus nominis, obiit anno 1523.

Henricus Bocholt, sive III; Hamburgensis, obiit anno 1535. Sub hoc mutatio in Ecclesia Lubecensi incidit.

Dethlerus Reventlow, Holsatus Nobilis, Doctor Iuris, Regis Daniæ Cancellarius, manum gnaviter illi mutationi admovit.

Balthasar Rantzow, Holsati Nobilis Ioannis Rantzovii à Neuenhausen filius, præterea Regis Daniæ Consiliarius, à Martino à Waldenfeld Regis Daniæ Christiani III hostis, ideo abductus est in Marchiam, ubi, cum in se redimendo non adeo promptus esset, in carcere anno 1547 obiit.

Iodocus Hutfilter.

Theodoricus Res.

Andreas Barbui, Regis Christiani Tertii antea Cancellarius.

Ioannes Tideman, sive IX. Hi quatuor non diu rebus præfuerunt.

Eberhardus von Holl, anno 1561 id dignitatis adeptus est, unà Verdensis Episcopatus administrator, & cœnobii S. Michaëlis in Ducatu Lunæburgensi Abbas.

Ioannes Adolphus, Hæres Norvegiæ, Dux Slesvici, Holsatiæ &c. anno 1586 Episcopatui præfectus est; cum vero fratres ejus natu majores, Duces Philippus & Fridericus, immatura morte absque hærede mascula prole decederent, resignato Episcopatu, regimen horum Ducatuum adeptus est, ducta in uxorem Augusta, Friderici II, Regis Daniæ filia.

Ioannes Fridericus, Adolphi filius natu minimus, à Bremensi & Lubecensi Collegio patri suffectus est. Obiit anno 1634. Cui eodem anno successit

Ioannes, Hæres Norvegiæ, Dux Slesvici, Holsatiæ, &c.

Eutina. *Eutina* urbs, sedes Episcoporum Lubecensium, antiqua & celebris est, quam Nicolotus Obotritorum Princeps irrito eventu oppugnavit. Concessit illam Comes Adolphus Episcopo Geroldo, qui ibidem palatium Episcopale exstruxit, antequam Altenburgo Lubecam Episcopatus transferretur. Collegialis templi fundamenta jecit Episcopus Burchardus à Sarke, quod ejus dein successores perfecerunt. Anno 1534, cum Lubecenses Duci Christiano arma inferrent, Eutinam quoque ceperunt, quam tamen paulo post Ioannes Ranzovius recepit.

PRINCIPATVS PLONENSIS.

Principatus Plonensis complectitur præfecturam Plonensem & ecclesiastica prædia cœnobiorum Reinfeld & Arensbocke, quas præfecturas Rex Fridericus II, fratri suo Duci Ioanni Iuniori in feudum dedit una cum Sonderburgensi Ducatu. Præfectura ipsa Plonensis haud ampla, vix quatuor & viginti jugeribus constat.

Plona. Plona vetusta satis Wagriæ urbs, tempore Wandalorum Wagriam adhuc incolentium modo clara fuit: Distat Preza & Eutina duobus, Chilonio, Neostadio, Segeberga, Oldenburgo & Novo-monasterio quatuor, Lubeca sex & totidem Oldeschloa milliaribus. Situs ejus valde commodus est, cum circumcirca fere lacu septa sit, & continenti per longum pontem ab Occidente adhæreat. Parochialem Ecclesiam fundavit S. Vicelinus ad annum 1151. Ita autem urbs hæc munita fuit, ut inter firmissima hujus oræ munimenta numeraretur & fuerit. Ius Lubecense contulit ei Comes Adolphus IV. Sedes est Ducis Ioachimi Ernesti, qui ibidem eximiam arcem in editiori colle ad Italicam formam exstrui curavit.

PRÆFECTVRA AHRENSBOCK.

Ahrensbock olim Cœnobium fuit, cujus originem ita Helmoldi Continuator describit: Nicolaus Comes Holsatiæ in Fionia à Danis inopinato impetu impugnatus (in quo prœlio altero oculo orbatus fuit) & magno in discrimine versans, votum fecit, se in honorem Matris Christi Mariæ virginum Cœnobium fundaturum, si præsenti periculo salvus defungeretur. Prælio confecto victoriam adeptus, præterlapsis aliquot annis, cum Ducis Adolphi, ultimi ex Chiloniensi seu Wagriensi linea anno 1390 hæres factus esset, tandem anno 1398 in

Wagria

Reinfeldt

Wagria hocce Cœnobium Ahrensbock fundavit, quod Monialibus Preza, Itzehoa & ex aliis Monialium claustris accitis concessum est. Cum vero reditus ejus exigui essent, adauxit illos ope civium aliquot Lubecensium Albertus Rodenborg Canonicus Lubecensis. Brevi inde tempore intercedente Cœnobium hoc Monachis ordinis Carthusiani traditum, consentiente & ita dirigente Gerardo Duce Slesvicensi. Hic quoque Dux Ioachimus Palatium exstrui fecit.

Reinfeldt. Est & in hac præfectura pagus Reinfeldt, in quo olim cœnobium fuit Ord. Cistercienfis, de quo Anonymus Continuator Helmoldi: *Ab eodem*, ait, *Comite Adolpho fundatum etiam fuit monasterium Reinefeldense. Nam ipse Comes fuerat de Domo Schouwenburgensi, & in finibus terræ illius est monasterium Locken Cisterciensis ordinis, de quo monasterio monachos recepit & in Reinefelde statuit permanendos. Quare adhuc hodie illi monachi in Locken habent potestatem visitandi in Reinefelde, illisque sunt superiores. In hoc monasterio primus Ioannes Comes est sepultus, & alii etiam de illa progenie Ioannis Comitis.* Est & hic Ducale Palatium.

PRÆFECTVRA SEGEBERGENSIS.


Regia Præfectura Segebergensis partim in Wagria, partim in Stormaria sita, nunc late patens Præfectura est, quoniam non solum quod præfecturæ adhæret, sed & jurisdictionem Cœnobii Segebergensis simul includit. Expanditur, excepto eo quod in parochiis Ratekow & Gleschendorp situm est, à Ducatu Plonensi usque ad præfecturas Rendesburgensem & Steinburgensem in sex milliaria. Latitudo à limitibus Ducalis præfecturæ Chiloniensis ad limites præfecturæ Tremsbuttel & Comitatus Pinnenberg diversa est, modo trium, quatuor, modo quinque milliarium; in quo districtu 492 jugera continentur.

Qualitas. Diversa, quoad fertilitatem, huic præfecturæ facies: illa enim pars, quæ in Wagria jacet, læta, florens & reliquæ Wagriæ conveniens est; altera vero quæ in Stormaria sita, extensa quidem, sed vepretis seu ericetis obsita, non adeo amplam messoribus segetem præbet.

Arx Segeberg. Arx Segeberge diu admodum per aliquot centenos annos Montana arx, quandoque & Comitum sedes fuit; cui adsita erat urbs cum cœnobio. Arx impendebat summitati rupis calcariæ, parem sibi in toto Ducatu nullam habentis, in cujus summitate puteus est profundissimus. Vigente adhuc inter Suecos & Danos bello, diruta est à Suecis, quod à latrocinantibus præsidiariis insideretur. Occupaverat hunc montem, tunc temporis *Ail* sive *Alberg* nominatum, Canutus Vandalorum Rex, Dux Slesvicensis, cui Cæsar has Vandalicas oras in feudum tradiderat, & exstruxerat initio in eo quasdam ædes, firmo cum proposito arcem ibidem ædificandi, quamprimum aliis negotiis se expedivisset, quo commodius Vandalos coërcere posset. Sed Adolphus I, Holsatiæ Comes, adeo vicinam sibi in finibus destinari arcem ægre ferens, audaces quosdam & intrepidos homines subornavit, qui noctu milites montis custodiæ impositos trucidarent, domosque eorum diruerent. Interfecto autem Canuto rege, S. Vicelinus ab Imperatore Lothario impetravit, ut ibidem arcem exstrueret, quæ Vandalorum contumaciæ quasi frænum esset. Destructa dein à Comite Henrico à Badewin, sed ab Adolpho reædificata est.

STORMARIA DVCATVS.

Nominis origo.



Omen Ducatus Stormariæ, Albi, Stora, Trava, Billa & Schonbeck, & linea uſque ad Travam cis Weſenbergam limitati, à palude ad Storam, quæ adhuc ex parte *Stormarſch* dicitur, quidam deducunt. Continuator Anonymus has paludes ad auſtralem Storæ partem vocat *partem paludis, ab una parte fluminis Storæ à Bredenberg uſque ad Albeam & Hamborg*. In privilegio Henrici Leonis pariter *paludes juxta Wilſteram & Sturiam* appellantur. Hodie vero pars paludoſæ terræ, quæ juxta Storam, ab auſtrali latere fluminis jacet, tantum dicitur Stormarſch: Quippe ſuis propriis inſigniuntur nominibus paludes Crempenſis, Bilenbergenſis, Haſeldorpienſis. Sicque hæc regio Stormaria & Stormarſchia dicta foret. Origo melior à *Marck* mihi videtur, quoniam Stormaria ea regio fuit & eſt appellata, quæ à Septentrione Stora circumdata (Vmbmarcket) nam loco C ſeu K in liquidum facile abit Ch, ſeu H, quod & plane poſt diſparuit, & eliminatum eſt, ut patet in Marcomanni & Marca, (Moraviæ fluvio) unde *Mähren*, Moravia, & *Mahr* exortum eſt. Ea Holſatiæ portio, quà à Bilena ad Albim tenditur, in Storam fluvium, Stormaria olim dicta ab eo nomine, parum loci relinquit veteri Holſatiæ à Stora in Eidoram. Crantz. lib. v. Saxon. cap. 27. Harum altera ad minimum vera eſt; nam quod Adamus Bremenſis, nomen Stormarorum inde deducit, quod ſint tumultuoſi & turbulenti, non quadrat. Verba ejus ſunt: *Transalbianorum Saxonum tres ſunt populi, primi ad Oceanum Thiatmarsgoi, & eorum Eccleſia Mildintorp; ſecundi Holzati, dicti à ſylvis, quas accolunt, eos Sturia flumen interfluit, quorum Eccleſia Schonenfeld; tertii, qui & nobiliores Sturmarii dicuntur, eo quod ſeditionibus illa gens frequenter agitetur.*

Limites. Vetus accuratus limes Ducatus Stormariæ, ſecundum Crantzium & communem rationem, à Septentrione eſt Sturia ſeu Stora, & ſuper hanc Holſatia proprie ſic dicta: à Zephyro Albis: à Subſolano idem terminus cum Ducatu Holſatiæ, ſcilicet ſecus Albim Præfectura Bergerdorf, quatuor pagi Lubecenſium & Hamburgenſium, tum Ducatus Saxoniæ Inferioris, Billena, Schonbeck, Sulta ex parte, & Barnicbeck uſque ad Travam, tandem ab illa paulum pone Segebergam, linea transducta ad fontes Storæ.

Quondam Comitatus. Habuit olim hæc regio titulum Comitatus, quanquam priſcis ævis una cum Holſatia tantum unum conſtituerit Comitatum. Hinc Helmoldus has duas Marcas unico nomine Comitiam vocitat. *Comitiam*, inquit, *vacantem dedit Luderus Dux, Nobili Viro Adolpho de Schouwenbourg*: Aſt duo fuere populi, duæ quoque marcæ, & tot quoque pagi; ut in Autoribus legitur: *Populus Holſatorum, populus Stormariorum, pagus Holzatorum, marca Holzatorum*: hinc & Stormaria pagum ſive marcam peculiarem conſtituit.

Nunc Ducatus. Sed poſtquam hæ regiones in Ducatum elevatæ fuerunt, ſeſeque Principes & Domini harum Provinciarum Duces Holſatiæ & Stormariæ ſcribant, Stormaria Ducatus titulo inſignita fuit. *Magnitudo ejus.* Hic Ducatus exſpatiatur in longitudine Gluckſtadio Trittoviam ultra decem milliaria: in latitudine Hamburgo ad Storam circiter ſeptem milliaria: ubi ora latiſſima, à fronte prope Albim in Ochſenwerder uſque ad Storam, octo milliaria.

Qualitas regionis. Tractus inæqualis plane eſt, ſupra enim ubi fontes amnium ſunt, nudus fere eſt, magna quippe ibi ericeta præminent, præſertim ericetum Linfeldenſium, **Linfelder-Heide / Harkes-Heide und die Segeberger-Heide.** Cum econtra tractus ad Albim denſus & frugifer ſit, ut ſupra Hamburgum præſtantes paludoſas terras *Billwerder, Ochſenwerder*, &c. ut & conſequenter paulum ſub *Wedel*, alias ad Sturiam uſque excurrentes, ut infra dicetur.

Montes. Montes utut depreſſiores, reperiuntur hic 1. prope Nordoë haud procul Itzehoa, ubi Henricus Ranzovius quondam Regius Vicarius Pyramidem erigendam curavit. 2. Sulberg ad Albim inter Nienſted & Blanckeneſe, in quo quondam Adelbertus Magnus Archiepiſcopus arcem exſtruxit; ſed quæ mox ab Holſatis, permiſſu Ducis Saxoniæ Bernhardi, Comitis Holſatiæ, deſtructa fuit, cum præſidium inibi agens, latrociniis vias & agricolas infeſtaret: referentibus Adamo & Crantzio. Nunc totus hic montoſus tractus ad Albim dicitur *Wittenbergen*. Occurrunt præterea multa paſſim montoſa nemora in Præfecturis Trithow, Reinbeck, Tremsbuttel & Steinhorſt.

Fluvii. 1 Billa. Fluvii hic enarrandi ſunt 1. Billena, amnis limitaris, qui per longum tractum, duobus cornibus exſilit æqualibus. Orientale nomen Billenæ ducens, oritur in *Billenbroeck*, inter *Wendtorp* & *Sirichsdorf*, novumque limitem conſtituit Præfecturæ *Steinhorſt* cum Holſatia conjunctæ. Alterum cornu ſeu brachium ſubſilit prope *Schiphorſt*, haut procul *Steinhorſthoff*, diciturque *Schonbeck*, forſan ut *Scheenbeck*, hoc eſt, *Scheidenbeck*, veterem enim tenet terminum inter Holſatiam & Ducatum Saxoniæ Inferioris, Trittoviæ priori coadunatur alveo, rivum excipiens ex magno lacu, ex quo etiam amniculus in Billam manat, ut ibidem quaſi Inſula appareat, in qua præter cetera Præfecturæ Trittovienſis domus & Parochia ſitæ ſunt. Billa progreditur Reinbeck, præfecturæ ſedem, tum Bergerdorf Lubecenſium & Hamburgenſium oppidum. Paulum inferius ante ali-

te aliquot annos Billa se divisit, & sinistro brachio inter Billwerder & Koslack pertransiit in surdum Albim, & consequenter in ipsum Confluentem; quo tempore Billwerder aquis circumdata Insula seu *Werder* fuit, quod brachium fluvio abscissum, & in paludem mutatum est. Dextro brachio pergit Hamburgum versus, ante consociatus Stelloviæ, cui Steinbeck adjacet, tum Schipbeck præterfluens, & secus Hamburgum sub ponte intrat Albim; cursus ejus septem explet milliaria.

II. *Alstera.* Alstera minor est propter Hamburgum, ejus ostio in Albim adjacens, famosus amnis; duobus exoritur brachiis, altero prope Giesbeck supra Stegen prædium, quod brachium nomen Alsteræ ducit.

Alterum brachium Aw dictum, pene supra Arensfelde & Mejelsdorp diversis fontibus surgit, videturque mihi genuinus fons Alsteræ; pergit Oldenhorn, prædium ad pagum quem alii Woldenhorn appellant, & Arensborg prædium; porro versus prædium Hengstbuttel, ubi rivus à prædio Girisbeck Nobilium ei occurrit. Paulum sub pago Oldstede brachia se amplectuntur, fluviusque inde Berosstede pagum, ubi aliquas agitat molas, tandem Fuelsbutteliam & Eppendorp pagos præterlabitur. Ibi expandit se Alstera in lacum, qui & alium amnem recipit, Meiendorpium (à quo forte nomen Nobilium Meiendorpensium) pagum & prædium Raleffited & Wandesbeck prætereuntem, ut & in Alsteram se exonerantem, qui mediocrem certe in latitudinem extensus, Hamburgum adit, in qua urbe per aliquot diverticula in Albim intrat.

III. *Pinna.* Pinnæ amnis genuinus fons est supra pagum Wakendorp, haud procul ab origine Septentrionalis Bestæ, ibi & diu post dicitur Wakenbeck, antiquis Wickfleet, cursum suum invertit circa ericetum Hartzheide, Olseburgum versus, in regia via inter Hamburgum & Rendesburgum situm, tum prædium Raden & pagum Quickborn, & Pinnenbergam quondam Comitum Schauwenburgensium sedem, ibidemque primum dicitur Pinnow: subter Pinnenberg incidit in eum Rellinbeck. Et hujus Arcis situs est ad confluentes inter utrumque amnem, proprie tamen Rellingsbecæ, qui diversis fontibus ex criceto Harzheide descendit, & ad pagum Relling, & arcem Pinnenberg pergens, tandem in Pinnaw incidit. Pinnovia præ ceteris Bilsbecam recipit, qui ductu aliquo limes inter Pinnenbergensem & Barnstedicam ditionem est, pergit versus Vtersen, cœnobium Virginum, tandemque per paludes prope Bisthorst & Hohenhorst in Albim.

IV. *Lengelbeck.* Lengelbeck suboritur supra pagum Lengel, & Barmsted pagum & villam alluens, recipit Offenbeck, qui supra Offenseit ab aquilone scandens dicitur Krockaw, pergit ad vicum Elmeshorn & pagum Krock, unde nomen ejus Krockaw, circumiens Cester pagum & villam, & Cestermich, quæ olim dicta fuit Iester seu Giester, ut in Privilegio Ecclesiæ, Hamburgi intrat Albim.

V. *Rhin.* Rhin quidem minor, ast suas, & quidem tres ob caussas silentio non prætereundus. 1. nominis ergo, quod cum magno fluvio Rheno à ῥέειν, ῥεῖν, hoc est fluere, commune habet. 2. quod alluat Regium Præsidium Gluckstadium. 3. Quod per aliquot meatus terminum constituit inter Præfecturam Steinburg Ducatus Holsatiæ, & Comitatum Holsato-Pinnenbergensem. Exoritur prope Huwenhorn inter pagos Horst & Hale uno, & prope Schnobelsjok altero cornu, Suderbeck dicto, quæ dein confluenti Insulam constituunt, & circumdant Gronlandiam & Kummerlandiam. Illabitur porro Rhinus per Wildnus, terram palustrem, rivo adauctus, in Albim secus Præsidium Regium Gluckstadium.

VI. *Stora.* Offert se tandem magnus amnis Stora, antiquis Sturia, inde suspicor, nomen suum ab antiquo Germanico verbo *Stuer*, id est magno, habere, quod ceteros amnes in Stormaria longe anteeat. Stora exoritur ex palude in finibus Wagriæ, si Parochia Bornhovede adhuc Wagriæ annumeretur. Perpetuus est limes Holsatiæ & Stormariæ à fontibus ad ôstia in Albim: fons ejus supra magnum & minorem Kummerfelde, vix quadrantem milliaris à Parochia Bornhovede distat. Ad quadrantem milliaris à fontibus Storæ exoritur Schwala ex Schwalenbroeck prato, in se recipiens Halenbeck, olim quoque Schwalam appellatum, & Holsatiam à Wagria, ut Helmoldus scribit, dividentem: postquam autem Schwala Desenbeck recepit, ad vicum Novum Monasterium divertit, ubi via regia super eum ducit Rendesburgo Hamburgum, & consequenter super Storam. *Schwala.* Subter prædium Wittorp Schwala & Stora confluunt, ubi Schwala pene ejusdem magnitudinis est cum Stora, unde pro altero ejus cornu reputari meretur. Post ab Holsatica parte in eam venit Embeck, ex Bordesholmensium lacu dimanans (ex quo & fluvius Septentrionem versus in Eidoram fluit) permeat lacum Einfeldensium, & porro accurrit Storæ, qui in se quoque recipit Sarlaw, qui lata unda vehitur. *Sarlaw.* Primus ejus fons est prope Holtdorp ex Parochia Nordorp, ibidemque dicitur Holtbek, parvo spatio dirimens Parochias Nordorp & Hohenwestede, abducens secum Tapaw, qui à Boternhofen villa decurrit. 2. Aw, & 3. Aspaw. Vbi hic Aspaw cæteris se apud Busingensem molam junxit, dicitur primum Sarlow, qui denique desuper Sarlussen villam, tandemque in Storam defluit. A Stormarico latere porro venit Wimerbeck, cujus fons est prope *Grossen Aspe.* Storæ Restorp prædium præterlabenti, conjungitur amnis Bramaw, qui primum oritur in Richelmohr palude, ibidemque Boternbeck dicitur, *Bramaw.* pergit Heidmühl, Demöhl & Brahmstede vicum & Nobilium sedem. Subter Brahmstede in eam influit Schmalbeck, Hartenholmiæ exsurgens, & profluens versus Schmalefeld rivo Kohlenbeck augetur, Brahmaw pergit ultra pagum & prædium Stellaw & Nobilium sedem, ubi quondam Dux Slesvicensis Woldemarus anno 1201, Adolphum III, Comitem Holsatiæ, fugavit, & supra Vorbruck in Storam.

Stora Bramaviam ut recepit, insigniter accrescit, atque ita Kellinghusen præterit, excipitque Barbeck ab aquilone, cui prædium Barbeck adjacet, à meridie vero Lutzbeck, qui haud *Barbeck.*


STORMARIA
DVCATVS
Auctore Joh: Meyer Husumensi.
Illustri Generosissimoq Comiti ac domino, Dno Christiano, Sacri Romani Imperij Comiti in Rantzow, Dno. in Breitenburg, Lindewith et Giesingholm, Equiti aurato, Sereniss.ae Reg.ae Majest. Dan. ac Norweg. Consiliario intimo, ejusdemq in ducatibq Sleswico & Holsatiâ Senatori ac Vicario honoratissimo Præfecto Langelandiæ, Dithmarsiæ Australis & Præfecturæ Steinborgensis, Dn. meo Clement. Tabulam hanc Stormariæ Submissè Offert author Iohannes Mejerq, Husum. Reg.ae Maj.is Mathematicq.
Matthias & Nicolaus Peters Goldtschmidt gebr. Hus. sculp.
Notarum Explicatio.
Oppida majora
Oppida minora
Templa
Nobilium ædes
Pagi
Mola aquaria
Ædes
Milliare Germanicum. 1
480
1920
Wilster Marsch.
Kedinger
DUCATUS
BREMENSIS
Landt.
das Olde
Landt.
PARS.
DUCATUS
LUNEBURGENSIS PARS.
Albis fluv.
SACHSEN
Ratzeborg
ZUE
LAND
DAS
Lubeck
Buxtehude
Stade
Hadeldorper
Bilenbarger Marsch
Glückstadt
Itzehoa
Segeberg
Hamburg

procul Barmstedio ex palude effluit: pergit inde versus pagum Breitenbergam & Arcem Breitenburgum, Viceregis primarium præsidium, pagum Munsterdorp, & urbem Itzehoam, eamque circumdat. Abit porro ad pagum & prædium Heiligenstede: paulo post in eam venit Beckaw, enascitur ex arbusto Bochhorstholtz prope *Keer*, & qui in se recipit rivum, à Schenefeld pago dimanantem; porro progrediens Meelbecum, rivum alium à prædio Drage descendentem excipit, pergit ad prædium Crummendick, Beckehof, & prope Bekemunde in Storam. In quam & mox Wilstera seu Welstera prope Kasenort illabitur, cujus principium est prope Beltorp, haud procul ab Hademarsch & Hanrow, paulo post lambit limites Holsatiæ & Ditmarsiæ, alios tres colligens rivos, tumque Makenbeck, post autem Spranth vocitatur, donec Wolburgaw prope Bokelenborg ei associetur, qui ex Ditmarsia à Don-Capel per Lacum Kudensee currit, longitudine 840 virgas, & latitudine 500 capientem, & piscibus abundantem. Wolburgaw porro promanat Bokelenburgum, quondam Comitum Ditmarsiæ sedem. Quibusdam Autoribus videtur hic Wolburgaw inde nomen adscivisse, quod Ditmarsi quondam sui Comitis Rudolfi II, Conjugi, Wolburg seu Walpurgi dictæ, aures & nares præsciderint, sicque mutilatam in amnem injecerint; unde flumen nomen id sortitum fuit. His undis undique conglomeratis nomen Wilsteræ primum inditur, qui paludem Wilsterensem & civitatem Wilsteram permanans, unde eis nomen, tandem prope Kasenort in Storam incidit: hic autem pergit Beienfleth. Vltimum quem Stora excipit fluvium dicunt Krempe, forte sicut Krummaw, à regyrante cursu sic dictus, oritur prope Bokelesse in Parochia Barmstede, alios consciscens rivos, vetustam Præfecturæ domum Steinburgum allambit, inde Regium Munimentum Crempam, usque dum pagum Bosfleht prætereat, & in Storam illabatur; cui ex adverso ad Storam jacet Wevelsfleht pagus, propter quem Stora continuo navicularum apparatu transfretatur: qui paulo post tandem Albim intrat. Ostium ejus haud patulum, at profundum valde est, & magnarum navium patiens: cursus fluvii 12 milliaria efficit.

Beckaw. *Wilster.* *Wolburgaw.* *Krempe.* *Ostium Storæ in Albim.*

Iacent in hoc Ducatu post famigeratissimum Hamburgum Præfecturæ Trittow & Reinbeck, maxima pars Regiæ Præfecturæ Segebergensis; integer Comitatus Holsatiæ, aliàs Comitatus Pinnebergensis dicta, quæ noviter decessu veteris Schauwenburgicæ stirpis Principibus Regentibus accessit, tandemque bona pars Præfecturæ Regiæ Steinburgensis, cum præsidiis Gluckstadio & Krempa, ut & Nobili Parthenio Vtersen, & quibusdam nobilium prædiis. Quæ omnia post ordine nobis commemoranda. Sunt & aliæ duæ in finibus sitæ præfecturæ Duci Slesvico-Holsatiæ subditæ, quondam ad Ducem Saxoniæ seu Sassen-Lauwenburg spectantes, scilicet Tremmesbuttel & Steinhorst, quæ & hodie tenus in matriculam Nationalem Holsatiæ nondum insertæ sunt, licet Tremmesbuttel revera in Stormaria, & sic in Holsatia sita sit.



PRÆ-

PRÆFECTVRÆ STEINHORST, TREMSBVTTEL, TRITTOW, & REINBECK.

PRÆFECTVRA STEINHORST.



Ræfectura *Steinhorſt* citra antiquos limites Holſatiæ, & in Saxoniæ Inferioris fundo ſita, nunc Principi Holſatiæ tanquam peculium ſubjecta, hac ratione ad Domum Holſaticam pervenit: avorum & atavorum memoria Duci *Magno*, Franciſci Ducis Saxoniæ Inferioris fratri paruit, qui per vadimonium quorundam Saxonicorum Nobilium 16000 Imperiales Thaleros à Detlevo ab Buchwalde in Neverstorff, fœnori accepit, eidemque hanc præfecturam Steinhorſt in ejus locum pignori dedit. Duce Magno in (*Vmbſchlag*) Conventu Chilonienſi (de quo apud Chilonium ſuperius egimus) anno 1574, ſolutionem non præſtante, prædicti Saxonici Nobiles Duci Adolpho Slesvici Holſatiæ, qui Dethlevo ab Buchwald ſatisfaciebat, ſuum jus in Steinhorſt tradiderunt. Eodem anno equites & milites, in Belgio exautoratos, conducebat Dux Magnus, & conabatur cum iiſdem in imperium Ducatus Saxoniæ Inferioris penetrare, vivo adhuc patre ſuo, qui filio alteri Duci Franciſco juniori regimen conceſſerat. Cum vero Adolphus Dux Holſatiæ & Slesvici, tunc temporis Circuli Inferioris Saxoniæ Ductor, interim quam celerrime Duci Franciſco ſuppetias ferret, ita ut Dux Magnus, fruſtra arcem Ratzeburgenſem obſidens, (urbe interim exſpoliata) cogeretur fugam arripere & in Sueciam ſeſe abdere, Dux Franciſcus Iunior Duci Adolpho hanc præfecturam Steinhorſt pro dictis 16000 Imperialibus, annumeratis 1000 Imperialibus pro fœnore, & decies mille adjectis, ſummatim 27000 Imperialibus hæreditariam & in proprietariam vendidit anno 1575; è contra vero Dux Adolphus repetitione impenſarum belli, & munitionum contra Ducem Magnum uſurpatarum, renunciare, ſuaſque, quoad prædicta, prætenſiones Duci Franciſco cedere debuit, cui quocunque modo illis in Ducem Magnum uti exinde licebat.

PRÆFECTVRA TREMSBVTTEL.

Tremsbuttel.

TRemsbuttel tametſi à Ducibus Saxoniæ Inferioris ad Ducem Adolphum pervenerit, nec novæ Regionis Matriculæ Ducatus Holſatiæ inſerta ſit, attamen proprie intra veterem Holſatiæ limitem, atque ita in Holſatico fundo ſita eſt, quod & Anonymus Autor Chronici Slavoniæ hiſce verbis teſtatur: *anno 1482 concordati ſunt Dux Iohannes de Lowenburg & Vicarii Lubecenſes, quem jamdiu excommunicatum denunciarunt, propter non ſolutionem certorum redituum de fortalitio Tremelsbuttel in Holſatia.*

Tremsbuttel olim Nobile prædium,

Pronuper relatum fuit, Tremesbuttel prædium Nobile fuiſſe in Ducatu Holſatiæ, ſeu ſpecialius in Stormaria, in diſtrictu præfecturæ Trittovienſis ſitum, quod Nobilis Holſatius, Luderus Hoiſte, non tamen ſine expreſſo conſenſu Chriſtiani I, Regis Daniæ, &c. ut Duci Holſatiæ, aſt lege redemptionis, Regiæ Majeſtati, ejuſdemque Hæredibus & ſucceſſoribus præexceptæ, vendidit Ioanni Inferioris Saxoniæ Duci anno 1474, quam in rem Dux Ioannes ſuæ Regiæ Majeſtati ſpecialem reverſum, ut vocant, dedit.

Ioanni Duci Saxoniæ Inferioris venditum,

Anno 1571, cum præfectura hæc fere per centenarium à Ducibus Saxo-Lawenburgicis poſſeſſa eſſet, Dux Adolphus, binis vicibus Duci Franciſco aliquot mille Imperiales, partim in ſolius Tremsbuttel redemptionem, tum & Tremsbuttel & vectigalium Lawenburgenſium ſimul, mutuo dedit, & ita hujus præfecturæ in certos aliquot annos plenariam poſſeſſionem ſibi vindicavit. Paulò poſt, Dux Magnus, Ducis Franciſci major natu filius, ex Suecia redux, prætendens Tremmesbuttel ſuæ conjugi in corporale præſidium conceſſum fuiſſe, promittebat quoque aliquam partem expenſarum pecuniarum ſolvere, ſcilicet quæ ſolummodo Tremmesbutteliæ ceſſiſſent; quare à Duce Adolpho modo dictum fortalitium repetiit, acquiſito interim & Cæſareo mandato in hanc contra Ducem Adolphum. Sed quoniam totum æs non ſolvebatur, nec anni conceſſi præterlapſi eſſent, Duci Magno noluit locum dare, reſponſo ſatisfactorio ad Cæſarem miſſo, quo factum ut apud ipſum uſque ad ejus obitum quoque permanſerit. Poſtmodum Adolphi filii, Fridericus, Philippus & Ioan-

Domui Holſatiæ ceditur.

Præfecturæ Trittow. Reinbeeck. Tremsbüttel et Steinhorst.

Dignitate Eminentibus, generosis et Strenuis Viris, Dn. Christophoro Iohanni Von Bulow, præposito monasterij Veteris in Ducatu Bremensi, Serenissimi ac Celsiss. Ducis Slesvici & Holsatiæ Consiliario Intimo, præfectoq. Tremsbüttelensi et Steinhorstij. Et Dn. Friderico Von Alfeldt Hæreditario in Sestermühe, præposito monasterij Ütersen, Sereniss. nostræ Celsitudinis in Ducatibus Slesvico et Holsatiâ Senatori, et præfecto Trittowiensi, Fautoribus suis, Tabulam hanc Geographicam perofficiose inscribit Author Iohannes Mejer, Husum. Reg. Maj. Mathematicus.

Milliare Germanicum.

1 2 3 min 4

480 Virgæ 1920

Grundriß Von OLDESCHLOH Anno 1382.

Ruten 30

Notarum Explic. a. s. Clemens. e. s. Iohan. b. s. Martin. f. s. Iürgen. c. s. Michaelis. g. s. Vithus. d. s. Peter Paull. h. Schlos.

Notarum Explicatio.
Oppida majora
Templa
Prædia
Villæ
Pagi
Mola aquria
Ædes

DIE GRAFSCHAFFT PINNENBERG

DAS AMPT SEGEBERG

TREMBSBUTTEL

STEINHORST

TRITTOW VND REINBECK

DAS LANDT SASSEN

SASSEN LANDD.

DUCATUS LUNEBURGENSIS

Andreas Lorensen Rodigaeus in Husum sculpsit.

Ioannes Adolphus, quanquam non ſine aliorum exhibita prætenſione: & conſequenter Princeps Fridericus tanquam pignus, poſſedit, donec nuper anno 1649, prædicto Principi omnimodo pro ſumma quadam plane hæc præfectura tradita, conceſſaque ſit, unà cum omnibus in eam prætenſionibus, qualeſcunque eſſent.

PRÆFECTVRÆ TRITTOW, & REINBECK.

Præfectura Trittow.

HÆc aula *Trittow* anno 1342, à Comite Ioanne III, ſeu Benefico, Chilonii reſidente, condita fertur, quemadmodum Ioan. Peterſen ſcribit: *Hoc tempore Comes Ioannes in Wagria, Trittoviam haud procul à Billena exſtruere cœpit, hac de cauſſa, ut latrones & prædones, Linoviæ in Saſſonia iter infeſtantes, plecteret.* Tota conſtat 172 jugeribus.

Reinbeck olim Monaſterium.

Reinbeca quondam Diſcalceatorum Monaſterium fuit, à Comite Adolpho, Monacho Diſcalceato ſancitum, autore Spangenbergio, poſt in Cœnobium Virginale permutatum duravit ad annum 1530: Quo, ut Helvaderus inquit, Moniales laſcivia inceſſebat, ut abſente Præpoſito, Dethlevo Reventlew, Regis Friderici Cancellario, Cœnobium cum ejus ditione traderent. Ante diſceſſum vero valedictorias & luxurioſas epulas appararunt, actis choreis, concuſſiſque feneſtris, menſis & ſcamnis laceratis, atque ita cum gaudio abierunt. Præpoſitus reverſus, & vacuum cœnobium inveniens, contra proteſtatus eſt, nec munus reſignare voluit, dicens; tametſi Moniales Cœnobio valedixerint, ſe tamen ſuæ Præpoſituræ non valedixiſſe: unde annuos reditus, quoùſque vixit, retinuit; factus tandem Epiſcopus Lubecenſis, mortuus eſt anno 1535.

Ante centum plus minusve annos, adminiſtrator præfecturæ Trittovienſis & Reinbecenſis fuit Paulus Ranzovius in Bohtkamp. Noſtro ſeculo Iaſper Penze, qui anno 1619 obiit. Cui ſucceſſerunt, Ioannes Philippus de Hertingshauſen, Auguſtæ viduæ Ducis Sleſvico-Holſatiæ, cujus corporalia præſidia hæ erant præfecturæ, Aulæ Magiſter: Nicolaus à Qualen in Siggen, nunc Ducis Conſiliarius & præfectus Ciſmariæ & Oldenburgi, &c. Fridericus ab Ahlefeld in Seſtermuth & Schinckel hæreditarius, Ducalis Holſatiæ Regionis Conſiliarius, & Præpoſitus Cœnobii Vterſen.

Hamburgum.

Illuſtrat Stormariam, imo potius totam Holſatiam civitas *Hamburgum*, Stormariæ metropolis, mercaturâ Germanorum, Belgarum, Hiſpanorum celeberrimum, milliaribus Germanicis 18 à mari diſtans, cujus cum ad Albim ſitum una cum vicinis inſulis provinciiſque Tabula hæc depingat, non abs re fuerit fuſius paulo de ea ſermonem inſtitui. Nominis rationem alii aliam dant. Verior autem ratio nominis hæc erit: Inter amnes *Alſter* & *Billam*, ſylva olim extitit, cui nomen *Ham*, ad quam veteres Saxones ante Caroli Magni tempora arcem ædificantes, à vicina ſylva eam Hammeburgam nuncuparunt. Vnde non Hameburgum, ſed Hammeburgum, prima & vera urbis appellatio. Quod etiamnum majus urbis ſigillum, antiqua inſtrumenta, literæ & privilegia aperte confirmant. Ita ſiquidem habent literæ Ludovici Primi Aquiſgrani datæ: Statuimus unanimi conſenſu Eccleſiaſtico, ultima in regione Saxonica trans Albiam, in loco nuncupato Hammaburg, cum univerſa Nordalbingorum Eccleſia, proprii vigoris conſtituere ſedem. Bulla etiam Nicolai Pontificis, tempore Ludovici Secundi, meminit caſtelli Hammeburgi, & Nordalbingorum ſedem nuncupat. Poſtquam fidem primum hæc urbs Chriſto voviſſet, Carolus Magnus, exſtructa in ea arce, præfectum cum præſidio conſtituit Vthonem. Eſt tamen inter Sigardi, Angariæ, & Weſtphaliæ Ducis ſucceſſores, & præſertim Albion Sigardi abnepos, & Widikindi ſucceſſor, qui cum Carolo Magno Saxonica bella geſſit, Holſatiam, & vicina Hamburgo loca tenuit, donec Caroli Magni ſucceſſores mutuis contentionibus & diſſidiis ſepararentur, tunc rurſum Ducum proſapia ad urbis poſſeſſionem rediit, tum & Epiſcopus & Duces ſeparatas in ea domos habuerunt. Donec Otto Cæſar, cujus conjux fuit Magni ultimi Saxoniæ Ducis filia ex Bilingorum familia, Adolpho Schauwenburgico Comiti, Holſatiæ Comitatum permiſit. Et ab eo tempore Holſatiæ Comites Hamburgum tenuerunt, novis ædificiis mirifice exornarunt, & in Cathedrali urbis ſuæ Eccleſia ſepulturas ſibi delegerunt. Quomodo autem in libertatem ſe vindicaverit, hiſtoriarum monumenta paſſim declarant. Ex quo enim Sleſvicenſis Dux Woldemarus fratris Regis Daniæ ope adjutus, Hamburgum in ſuam poteſtatem redegit, pulſo Adolpho, cœpere Hamburgenſes de libertate ſua cogitare. Centum ergo & 50 marcis argenti numeratis Orlamundenſi Comiti, gradum ſibi ad eam fecerunt. Poſtea Adolphus IV libertatem illam & alia privilegia confirmavit. Crevit autem præcipue circa annum Chriſti 1510, quo tempore Lubecenſes cum Danis bellum geſſere, tunc enim ad eam imprimis confluxere exteri mercatores. Sub Ottone Imperatore ductus eſt Hamburgum ex Italia Benedictus Papa; cujus defuncti talis legitur inſcriptio: *Benedictus Papa, qui de Sede Apoſtolica per violentiam remotus, poſtea cum revocaretur, obiit Hamburgi quinto Nonas Iulii, ſepultus hic eſt.* Accidit etiam temporum ſucceſſu, ut Archiepiſcopatus honor, qui Hamburgi ſedem habebat ex prima fundatione, Bremam transferretur, unde nata eſt crebra inter Eccleſias Hamburgenſem & Bremenſem concertatio, de dignitatis primatu, de mittendis ad alienas provincias ſuffraganeis, & comprovincialibus Epiſcopis. Vltima Archiepiſcopi Hamburgenſis legatio ad remotas Aquilonares provincias, ad univerſum Daniæ, Suediæ, & Norwegiæ regnum, ad Orcades, Iſlandiam & Groenlandiam, 20 fuit Epiſcoporum. Et hinc tam frequenter à populis iſtis impetiti fuere. Quoties enim furor impius Chriſtianæ religionis ingenti odio ſæviebat in Chriſtianos, primi erant Hamburgenſes, quos jam Dani, jam Vandali pœnarum reos poſcebant, cum ſcirent illinc primos ad ſe Verbi divini myſtas mitti. In


Han-

Hanseatico fœdere primo ordine post Lubecam Societatis capite continetur, infra se relictis Rostochio, Wismaria, Stralsunda, Luneburga; ex quarum sex urbium arbitratu, conventus vel totius Hansæ, vel aliquarum, prout res exigit, civitatum præcipuarum indicuntur. Vixit in ea urbe Albertus Crantzius, cui à posteritate, quod Vandaliæ, Norwegiæ, Sueviæ origines & res gestas antiquitatis tenebris omnino obrutas, una cum metropoli Ecclesiastica luci & posteris restituit, merito nominis immortalitas debetur. E regione urbis, in ipso Albi, insulæ jacent plurimæ, suis distinctæ nominibus, quas dum circumluit Albis, divaricatur, & facto versus Meridiem & Septentrionem divergio, in Meridionalem *de Zuyd-Elbe*, & Septentrionalem *de Noort-Elbe*, dividitur.

Regiones in Albi.

Ejus brachia.

PRÆFECTVRA STEINBVRGENSIS.



Præfectura Steinburg ab obsoleta domo Steinburg sic dicta, terra paludosa est, complectens Crempensem & Wilstrensem paludem, qualibet à sua urbe nomen ferente. Præterea in districtu hujus præfecturæ sita sunt quædam cœnobialia prædia prædivitis Monasterii Itzehoensis, nec non Nobilium quædam prædia & Arx Bredenburgum, tandemque Regiæ urbes, Itzehoa, Crempa, Wilstera & Gluckstadium. Limites hujus præfecturæ sunt ab Occidente, Albis, à Borea, Ditmarsia & præfectura Rensburgensis, & ex parte præfectura Segebergensis, & ab Euro, Comitatus Pinnebergensis.

Complectitur hæc præfectura 480 jugera: administratur plerumque una cum Australi Dithmarsiæ parte à Gubernatore Gluckstadii: quo munere nunc Christianus Ranzovius, Regius in Slesvicensi Ducatu & Holsatiæ Legatus, defungitur.

Regiones hæ paludosæ, olim tam pulchræ atque hodie, S. Vicelino, id temporis Priori & Præposito Neo-Monasteriensi, ab Adolpho II, Holsatiæ Comite donatæ sunt; quam donationem Dux Henricus Leo, anno 1149 confirmavit, sequentibus verbis: *Quapropter paludem, quæ est juxta Wilsteram, inter Sladem & Waleburgow, & alteram, quæ est juxta Sturiam, inter Lutesaw & Aldenow à Comite Adolpho & omnibus Holsatis, eidem Ecclesiæ collatas, approbamus, & in usus fratrum ejusdem prædicti Novi Monasterii cedendas, in perpetuum auctoritate nostra decernimus*, &c.

Qua ratione autem hæ paludes Cœnobiis Novo Monasterio & Bordesholmio post subtractæ sint, non legitur; forsan cambio seu permutatione evenit. Cæterum in Anonymo Continuatore Helmoldi legitur, jam tempore Comitis Ioannis & Comitis Gerhardi I, fratrum Germanorum, has paludes in hæredum Comitum partitione connumeratas esse: Comitemque Ioannem paludem Crempensem, Gerhardum vero Wilstrensem pro sua parte sortitum. Et eadem Crempensis palus continuè lineæ Wagriæ adhæsit usque ad annum 1340, quo Comes Adolphus ultimus hujus lineæ, diem suum obiit, ut prædictus auctor denuò commonefacit.

Gluckstad.

Gluckstadium à Rege Christiano IV, circa annum 1620, exstructum est. Totus circumcirca tractus deserti plane faciem referebat, imo & nomen habebat, quem aggere quodam prædictus Rex circumduxit; ibidemque urbem condidit, quod optima hoc in loco navibus statio esset, urbemque boni ominis ergo *Gluckstadium*, hoc est, fortunæ fanum, Græcè *Tychopolim* appellavit. Sita est aliàs in solo uliginoso & palustri, ad quem accessus patet per lapidibus constratum aggerem, qui Crempa Gluckstadium pertingens, non multo minus quam milliare longitudine exæquat. Crempa distat brevi milliari uno; Itzehoa & Wilstera duobus, Hamburgo septem, Rensburgo octo, Gottorpio undecim, Chilonio decem, Lubeca 12 milliaribus.


Anno 1628 à Cæsarianis obsessa est, sed irrito conatu; quippe ejus Regens seu Gubernator Marquardus Ranzovius improvisa & forti excursione facta, castra Cæsarea flammis concremavit, plurimos concîdit, & captivos non paucos in urbem duxit, inter quos Hannibal, Liber Baro de Schauwenburg, Generalis Major, & Cæsariani exercitus Dux erat. Quamdiu autem à navigantibus Albim mercatoribus telonium urbs recepit, magnopere floruit, virisque & commerciis potens, & pulchris exornata ædificiis fuit. Nunc tantum Regii Regiminis sedes est, quod Flensburgi primum adimpletum, inde huc translatum est.

Crempe.

Vrbs & Munimentum *Crempa* ab amne Crempe, hoc est, Krumbaw sive Krumbbeck sic dicta, Gluckstadio uno distat milliari, Itzehoa duobus, Wilstera totidem, Rensburgo septem, ut & Hamburgo pariter, Lubeca 11 milliaribus.

Vrbs Itzehoa, Wilstera distat milliari uno, Crempa itidem, Gluckstadio duobus, Rensburgo sex, Gottorpio, Slesvico & Husumo novem, Chilonio octo, Hamburgo septem, Lubeca undecim milliaribus.

PRÆFECTVRA STEINBORGH cum Kremper, et Wilstermarsch.



Viro Nobilissimo, Magnifico ac Clarissimo Dno. Theodoro Reinking Icto Eximio Com. pal. Cæs. &c. Sereniss. Regiæ Majest. Consiliario Intimo. Cancellario ac præsidi Supremi Gluckstadiensis. Hæreditario in Wellingsbuttel.

Et.

Nobili amplissimo ac prudentissimo Viro. Dno. Iacobo Steinman Icto, Consiliario Regio & præfecturæ Steinborg administratori dignissimo, Fautoribus suis Colendis. Tabulam hanc Geometricam Officiosissimè dedicat author Iohannes Mejerus. Husu. Regæ. Majis. Mathematicus.

Matthias & Nicolaus Peters Goldtschmide, gbr. Hus. sculps.




Notarum Expli.

- Oppida
- Templa
- Nobilium ædes
- Villæ
- Pagi
- Ædes
- Mola aquaria

Von der Stadt.

- Croutz kirch ..... a
- Das Schloss ..... b
- Auffm dick c
- Wassermuhll ..... d
- Rathauss ..... e
- Kirch ..... f
- Alte Blockhauss ..... g
- New Castell ..... h
- Pulverthurm i
- Konings Garde ..... k





COMITATVS PINNENBERG.



Omitatus hic Holsatiæ (antiquitus à veteribus scriptoribus Comitatus Stormariensis appellatione insignitus, quod in Stormaria situs esset) urbem olim Hamburgensem & præfecturas Pinnenbergensem, Hatzburgensem & Barmstediensem complectebatur, salvis tamen Hamburgensium privilegiis. *Partitio.* Possedit per multa sæcula has partes Linea Schauenburgica, præcipue post primam repartitionem, quæ inter Comitem Gerardum alterum à Schauenburg, & Henricum Comitem Holsatiæ Rendesburgensis facta est. Regio autem hæc non adeo longe lateve extensa est, sed commodo tamen proxime Albim situ ab Alstera ad minorem usque Rhenum expanditur. Aliquando propriis, è domo tamen Holsatica oriundis, Dominis paruit; aliquando Comites Schauenburgicos, qui ad Visurgim residebant, Dominos agnovit, qui Comitatum hunc circa annum 1369, vel 1370 ab illis hæreditaverunt. Alias nullibi legitur Comites Schauenburgicos regimen totius Holsatiæ Comitatus sibi vendicasse, sed suum tantum Comitatum Pinnenbergensem quasi divisos & separatos Dominos rexisse, quemadmodum pactum, quod inter Nicolaum Comitem, Gerhardum Ducem Slesvicensem, Albertum & Henricum Comites Holsatiæ ab una, & Comitem Othonem Schauenburgicum ejusque filios ab altera parte intercessit post mortem Adolphi Wagriæ Comitis, ad annum 1390, ut & contractus inter Regem Christianum Primum & Othonem Comitem Schauenburgicum anno 1460 Oldeschloæ factus, clare demonstrant, licet & in sequenti usque comprobatum sit. Vnde & Rex Daniæ ante aliquot & triginta annos ægerrime tulit, quod Ernestus Comes Holsatiæ Schauenburgicus Regentis Principis titulum usurpare ausus fuisset.

Nostris temporibus Comitatus hic plurimam dissidiorum disputationumque materiem præbuit, ultimo Schauenburgicæ Domus Comite Othone subita fatorum vi in ipso juventutis flore vivis erepto. Fiscalis quippe Cæsareus actionem contra Domum Holsatiæ instituit, quam Cæsar Regi Daniæ & Duci Holsatiæ donavit. Iniquum enim ipsi videbatur, Comitatum hunc illis eripere, qui magni auri summa creditoribus defuncti Comitis Othonis satisfecissent.

Extensio. Patet Pinnenbergensis Comitatus ab Alstera usque ad Rhenum in sex milliaria longitudinis, exæquante latitudine circiter tria milliaria. Includitur meridiem & occidentem versus fluvio Albi, ad septentrionem præfectura Steinburgensi interlabente Rheno, & ad orientem præfecturis Segebergensi, Trittoviensi & Reinebecensi, nec non dominio urbis Hamburgensis.

Quamdiu Comites Schauenburgici hunc Comitatum possederunt, Prætori, vulgo *einem Drosten*, administrationis curam commisere; qui sub se tres *Amptmänner*, totidemque Scribas habebat, Pinnebergæ nempe, Hatsburgi & Barmstediæ. Postquam autem ad Domum Holsatiæ Comitatus possessio devoluta est, Rex Daniæ & Dux Holsatiæ ita illum diviserunt, ut duæ partes Pinneberg & Hatsburg Regi, tertia Barmstede Duci cederent.

Fluvii. Nullo majori fluvio irrigatur Pinnebergensis Comitatus præter Albim: maximus ex minoribus est Pinnebergensis fluvius, cui succedit Croccavus vel *Länglembeck*, Rheno tantum fines alluente; sed de his supra in descriptione Stormariæ latius.

Loca & Parochiæ. Pertinent autem ad Regem in Comitatum Pinnebergensi sequentes Parochiæ cum sibi annexis pagis: 1 Rellingensis, cum pago Rellingen & arce Pinnenberg. Fuit hæc arx olim Comitum, nunc vero secretioris Regii Consilii & Præfecti sedes; priori bello Dano-Suecico à Suecis occupata, & depulsis ab obsidione Danis retenta est, usque dum pax inter illos populos coalesceret. 2. Quichbornensis. 3. Ottensensis. 4. Altenana. 5. Niestedensis. 6. Wedelensis: in qua pagus Wedel, annuis boariis nundinis celebris, & commodissimo ad trajectum ex Holsatia in occidentales regiones loco situs, ita ut æstivo pariter & hyberno tempore iter facile præbeat. In insignibus habet Rolandum, seu ingentis staturæ virum armatum, & dextra nudum gladium tenentem; qualem in foro quoque pagi conspicere licet, ita ut suspicari libeat, an non hic pagus unum ex illis duobus munimentis fuerit, quæ Carolus Magnus in finibus Saxoniæ ad Albim per Legatos suos exstrui jussit, ad Slavorum incursiones impediendas. Ita enim de iis Regino scribit: *Anno 808 Imperator, ædificatis per Legatos suos super Albim duobus Castellis, præsidioque in iis contra Slavorum incursiones disposito, Aquis Natalem Domini celebravit.* 7. Hertzhornensis. 8. Vtersensis; in qua Vtersense nobilium virginum Cœnobium jacet, cujus quis fundator fuerit, nondum satis liquet: Spangenbergius tantum scribit, Adolphum Comitem, qui Franciscanorum Ordinem assumpsit, templum Vtersenæ ædificasse, ut & aliud Herveſtehudæ prope Hamburgum ad Alsteram, quo in loco etiam virginum cœnobium erat. Hoc cœnobium possidet 29 & medium agri jugera, atque à Præposito & Priore administratur. 9. Horstensis.

In ea parte, quæ juxta memoratam divisionem Holsatiæ Duci assignata est, recensentur Parochiæ, Barmstede, prædium nobile dominorum à

COMITATVS PINNEN BERG

Viro Generoso. Strenuo ac, Splendido.
Dnō. Iasparo Von Orzen. Reg.
Mai. Consiliario Intimo ac præ,
fecto Pinnenbergensi.
et.
Nobili amplissimo. Doctissimo ac prúdentis,
simo Viro. Dnō Franciscō Stapel I. V. D.
Consiliario regio et præsidi Pinnēbergensi.
Fautorib; suis honorandis. Tabúlam,
hanc Geographicam per officiosē,
inscribit. author
Iohannes Mejer. Húsúm.
Reg.ª Maj.ⁱˢ Mathematic.

Milliare Germanicum.
1 2 3 4 Min.
480 1920. Virgæ

Grúndtris der statt Und, Uehstung Krempe
aō. 1648
Ruten
20 40 80

Andres Lorensen.
Rodtgießer Húsúm.
sculps.

à Barmſtede, qui valde divites & potentes fuere, ita ut aliquoties Comitibus Holſatiæ ſe oppoſuerint, adjuvante maxime Archiepiſcopo Bremenſi; & Elmeshorn cum diverſis pagis utrique parochiæ annexis.

Poſtquam Holſatiæ Dux hanc Comitatus Pinnenbergenſis partem acquiſiviſſet, per Prætores ſuos ſive *Landdröſte* illam rexit, uſque dum eam anno 1649 cum Comite Ranzovio permutavit, recepto dominio nobili Rantzow in Wagria, & prædio nobili Kucksbull in præfectura Tonderenſi ſito, ut & certo pecuniæ additamento; reſervatis autem ſibi telonio Schauenburgico, quod Hamburgi colligitur, & ſuo in Cœnobium Vterſenſe jure. Comes vero Ranzovius à Cæſare impetravit, ut in ordinem immediatorum S. R. I. Comitum aſciſceretur, & regio domusque Barmſtedienſis in Comitatum Imperii Rantzovienſem erigeretur extolleretur que.



ALBIS FLUVIUS.

Albis descriptio.



INter Germaniæ flumina non infimo loco censendus est Albis, Veterum quoque rebus gestis scriptisque nobilis. Ejus hic tractum aliquem, qua parte in mare Germanicum excurrit, exhibet Geographus. Dividit Albis Suevos à Cheruscis. Tacitus in Hermunduris Albim flumen inclytum oriri scribit. Hic est, cujus in crepidine mulieris species humanâ amplior, Drusum compellans, pergere ulterius vetuit, Dione & Tranquillo referentibus. Barbari seculi scriptores *Albiam* vocant. Germanis *Elbe* dicitur. Bohemis vero, apud quos originem sumit, *Labe*. Nomen habere à numero indicat Fabritius in suis rerum Misnicarum libris, fontium nempe XI, ut Bohæmi, sive ut Saxones dicunt, à numero amnium XI influentium. Oritur enim, ut idem tradit, in tractu Hercyniæ sylvæ, qui à Gigantibus nomen habet, *Risenberg*, ex fontibus XI, quorum nomina ibidem recitat, qui tandem coëuntes Albim efficiunt. Prope hos minor angustiorque quo longius abit, alveo crescit, ac primum sinuosis flexibus progressus prope urbeculam *Melnik* excipit Multaviam, Germanis *Moldam*, Bohemis *Vltawam* nuncupatam, qui Pragam Bohemiæ metropolim intersecat. Ab urbe Melnick exspatiatus longius recipit *Egram*, hinc inflexo alveo per Misniam vagatus Saxoniam adit, & Wittenbergam prætervectus, ulteriusque *Salam* excipiens Magdeburgum adit, à quo per terras varias abit, usque dum Hamburgum alluat, hinc Stadam, inde Geluckstadium, & tandem vasto se ostio in mare Germanicum exonerat. De hoc Lucanus lib. 2:

Nomen

Fundat ab extremo flavos Aquilone Süevos
Albis, & indomitum Rheni caput.

Albis pars solum hac Tabula exhibetur.

Totus itaque Albis tractus, qui hic exhibetur vigintiduorum est milliarium Germanic. communium, incipitque à pago *Marsenach*. Ab utraque ripæ parte pagi quamplurimi spectantur, cum cœnobiis, prædiis, agrisque & pascuis amœnissimis. Hinc pars Luneburgensis & Bremensis Ducatus, inde Holsatiæ fines apparent, interfluente gyris suis flexibusque Albi.

Cursus supra Hamburgum.

Operæ precium putavi hoc loco breviter decursum Albis fluvii supra Hamburgum, quem fluvius in illa vicinitate tenet, & quondam tenuit, describere. Trittoviæ & Reinbeca præfecturis contermina est, quondam Saxoniæ Infer. nunc urbibus Hamburgo & Lubecæ subdita præfectura Bergendorf, & olim Ripenborg, quo & 4 pagi, (4 Landen) ut vocant, pertinent, nominatim, Vetus Gamm, nova Gam, Kirchwerder & Koslack. Qua ratione autem urbes Lubeca & Hamburgum præfecturam Bergersdorf & quatuor paludes seu terras palustres à Duce Erico IV circa annum 1428 hæreditario acquisiverint, in urbibus Lubeca & Hamburgo dictum est. Hi quatuor pagi per Albim fluvium à Ducatu Luneburgensi disterminantur.

4 Pagi.

Lites de Albi fluvio.

Sed & multis ab annis, & præteritis temporibus, inter Ducem Luneburgensem, civitatesque Luneburgum, Stadam, & Buxtehudam ab una, & urbe Hamburgo ab altera parte, multum disceptatum est, quod etiam in publicum incursum hostilem erupit. Et quoniam hæ lites ex opinato deflexu fluminis suborta, non solum Hamburgum, sed & domum Holsatiæ, propter adjacentes Albi palustres terras, concernant, brevi hasce subinducemus.

Cursus Albis.

Albis indiviso flumine Lawenburgo defluit usque ad Schwanebusch, seu ad fluviolum Lindhorstaw ex Ducatu Luneburgensi in Albim incidentem, quod è regione veteris sinistri ostii Billenæ in Albim, Dove Elbe dictum, contingit, terramque Saxoniæ ab Holsatia disterminabat. Septentrionale brachium germanum & profundum flumen ducit, quod Hamburgum decurrit, ibique valde dilatatur, ut absque dubio hoc brachium genuinus Albis sit nominandus. Brachium Australe, brevius & minus profundum, Ducatum Luneburgensem & Fortalitium Harburgum alluens, & Fusſande, arenæ conglobatæ, se commiscens fere ad ingressum Estæ, cui Buxtehuda adjacet, magnum Albim influit, sicque Albis in Mare Occidentale anhelat, pleraque amplo, latiori & profundo flumine, nunc per Insulam parvam Krutsand, ex adverso Gluckstadii aut Bilenberg potius, non diu tamen, dispescitur. 2. In ejus ostio dividit se in Australem & Septentrionalem Albim, interea autem nulla ferax tellus, sed tantum steriles arenæ occurrunt.

Sed præter dicta duo brachia, Terra Luneburgensis, uti & ex parte Holsatia, in diversas parvas Insulas, quæ paludosæ terræ, ab Albi dividitur, & existimant Duces Luneburgenses & consortes, hujusmodi terras paludosas olim plures sui juris fuisse. Quippe contenderunt, genuinum flumen Albis quondam inter terram, Veterem Gamm & Coslack & Billwarder ab una, & inter Novam Gam, &c. ab altera parte ubi nunc Dove Elbe, Albis surdus, fluxisse, & quoniam hic Albis terminus inter Ducatum Luneburgensem & Ducatum Saxoniæ Inferioris, ut & inter Luneburgum & Holsatiam: hincque Nova Gamma, Kirckwerder & Ochsenwerder ad Ducatum Luneburgensem pertinuisset.

Prætensio Ducum Luneburgensium.

Cumque conversione hujus tractus sic contigisse, quod Hamburgenses primum Gammensem alveum posuerint, quo factum, ut Albis in terram Luneburgensem irruperit, & non solum terras, Novam Gam, Kirch- & Ochsenwerder tanquam ad latus Saxoniæ & Holsatiæ conjecerit, sed & denuo prope Schwanenbusch se separarit, & australi brachio profunde in terram Luneburgicam secando, continentem terram palustrem in plures insulas minores diviserit,



Celeberrimi Fluvii
ALBIS
nova delineatio
Auctore Christiano Mollero.
Pars Lunebvrgensis Dvcatvs.
Pars Episcopatvs
Albis Fluvius
Stormariae Pars.
Sachsen Woldt
Milliaria Germanica communia.
Hamburg
Stade
Bremensis.
Das Ertz Stift Bremen.
Keydingerlandt.
De Bilkow.
De Wincht.
'Tlandt te Hadelen
Ampt Ritzenbuttel
Viris Magnificis Amplissimis et Consultissimis Dom^is Consulibus et Senatoribus, florentissimæ Reipublicæ Hamburgensis tabulam, hanc Provinciarum et Insularum Hamburgum Circumiacentium officiose dedicat Guiljelm. Blaeuw. Anno 1628.
Maris Germanici Pars.
Teutel
De Elff Stroom
Holsatiae Pars
Geluck Stadt
Ditmarsia
Amstelodami Guils. Blaeuw Excudit.

quare & olim priscis seculis ab Hamburgensibus exegerunt, ut sepem illam seu murum terrenum abolerent, Albique suum, ut existimabant, continuum & solitum cursum permitterent, quo ipso (Duces Luneburgenses) Terras, Novam Gamm, Kirch- & Ochsenwerder, recuperaturi essent, siquidem quod ab australi parte Albis situm, semper Ducatui Luneburgensi annumeratum fuit. Hamburgenses vero huic sese opponentes cum hacce relatione, hic olim circiter Hamburgum unicum tantum Albis alveum manasse, & ante 230 annos Albim propter Schwanebusch terram Luneburgensem irruptione facta incurrisse, quod vel de structura valli seu muniminis Gammensis ex parte causatum, quamvis non ipsi id temporis, cum ipsi & Lubecenses quatuor pagos à Duce Saxoniæ indepti fuerint, jam positum vallum reperissent. Nunquam quoque principalem alveum Albis inter utramque Gammam perfluxisse, sed brevius fors brachium, quod vel à Ducibus Saxoniæ ejus subditis, sive ab ipsa civitate Luneburgo tum temporis, cum pro pignore Præfecturam Wynsen à suo Duce possedere, suum obstipatum seu oblutatum Elmenaw profundandi gratia, eo derivatum esse.

Hamburgensium opponentium relatio.

Irruptione autem facta Albis prope Schwanebusch in terram Luneburgensem, idque brachium sensim profundum petiit, ausi sunt Luneburgenses, Stadenses & Buxtehudenses, naviculis & lintribus istud brachium frequentare & navigabile reddere, sicque Hamburgum transeundi, quo Hamburgenses existimarunt, in sua possessione Vectigalium & Iuris Conventus vulgo stapel, turbatos se esse: quandoquidem eapropter anno 1554, Duces Luneburgenses, Lineæ Cellensis & Harburgensis, tum & Vrbes, Luneburgum, Stadum & Buxtehudam de ejuscemodi turbatione coram Cæsarea Camera Iustitiali rogarunt sententiam, cui Duces Luneburgenses & Consortes suas querelas de Præmunitione seu præstructorio Albis & exstructione Valli Gammensis, reinsinuantes: sicque Sententia anno 1619 Hamburgensibus sinistre lata: Vt adeo non tantum liberum navigium Luneburgensibus & Consortibus in Australi Albi adjudicatum, sed & Hamburgenses condemnati, positum Vallum Gammense demoliendi, omniaque in pristinum statum reducendi, & præterea Luneburgensibus illatum damnum universum resarciendi, super quam sententiam Hamburgenses mox restitutionem in integrum orantes, & mandatum sine clausula adversus Duces Brunsvici & Luneburgi & consortes expedientes, nihilominus à Ducis Georgii exercitu obruti sunt, qui in pagos incidentes vallum seu aggerem exaggerarunt & perfoderunt. Lubecenses autem & Hamburgenses è vestigio milites conscripserunt, aliquot mille, & eos educentes quo ipso Luneburgenses Albim vicissim transeuntes, hi locum disputatorium occupantes, prædictum aggerem resarciverunt, & in pristinum statum instaurarunt.

Hamburgensium Ius stapulæ.

De Iure Conventus seu Stapel vulgo Hamburgensium, ut spinosam disputationem sicco pede transeo, quod & usque eo extenderunt, ut infra civitatem Hamburgum habitantes incolas cogere haud veriti, suum far seu frumentum non super mare pro eorum libitu transnavigare, sed illud foro Hamburgensi adducere: & hic de hisce paludosis terris & decursu Albis absque cujusvis præjudicio aperiam. Autumo ergo, verum & genuinum Albis flumen capitale nunquam inter duas Gammas, Novam & Veterem, secundum flexum surdi Albis, *Dove Elve*, neque inter Novam Gammam & Kirchwerder, &c. secundum fluxum Gose (Elbe Albis) cursum suum direxisse. 1. vix possibile fuit, integrum & plenum flumen profundumque aggerem diducere. 2. Duces Luneburgenses hoc silentio non præterivissent, si ipsis tanta terræ paludosæ portio averteretur, Saxonibus & Holsatis autem accederet. Idcirco reor, ab initio duos rivos Albis hosce humiles & planos palustres campos inter permeasse, ut instar insulæ fuerint, qui tamen quamdiu aggere nudi, surgente & tumente Albi, ut flumen clarum, stetere.

Post autem, uti passim in Germania, quæ olim fuit paludibus fœda, teste Tacito, paludibus seu udis (terris) exsiccatis & in frugiferas terras mutatis, ut multoties in Hollandia & Gedani in Gedanensium Insulis seu *Werdern*, vulgo dictis, & in Holsatia ipsa ad desertum seu Marcham circa Glucksstadium, & in Ducatu Slesvicensi in terra Eiderstede videre est. Sic quoque Incolæ hisce terris paludosis, Insulis scilicet Nova Gamma, Kirchwerder, &c. primo instar, ut vulgo dicunt Halligen, hoc est, inaggeratæ & incircum vallatæ insulæ, tandem de æstate fruiti sunt, prout potuerunt, post vero & æstivales aggeres construxere, aliqualem influxum remorantes. Tandem, ut constanti terra hac & ad frumenti proventum proficua uterentur, hunc toties repetitum firmum & altum præstruxere aggerem, quod ibi primum impetum & fortem insinuationem Albis sustinere habet, ut Albis flumen id loci repetere non potuerit. Quisquis nunc huic operi manum primam & secundam imposuerit, facile apparet, siquidem vicini colles inhabitantes, in terris istis paludosis, reditus suos inde educentes, Gammenses Rustici, sive has insulas incolentes agricolæ terram eandem coluerunt. Num vero exstructione aggeris Gammensis, Albis rapidiorem fluxum in terram Luneburgensem fecerit, hincque prope Schwanebusch irruptionem fecerit: sive, quod hæc irruptio prius facta sit: & quia Dovi & Gose Albi (vulgo sic dicto) multum discisserit aquæ, occasio captata, dicta duo parva brachia Albis oppilare & obstruere, hoc, silente historia, & nos silentes in medio relinquemus.

DIT-

DITHMARSIA.

Nominis origo.



Itmarsia vel nomen indè adepta est, quod olim Theutones Marsi eam incoluere, quemadmodum & hodie ii, qui trans Eidoram ab Aquilone siti, Marsi, Frisones, & quoad feudum Dani sunt, Ducatui Slesvicensi & consequenter Regno Daniæ subditi; atque ita Ditmarsi barbari sunt: vel ab Eidora, quasi Eidermarsia, cingitur enim Eidora tota regio. Olim hic fluvius *Eidt* sive *Eudt* audiit, absque terminatione, & cum articulo *T'Eudt* sive *Teidt*, exinde *Teut* sive *Tietmarsia* orta est, post ut plurimum *Tetmarsia*, tandemque *Ditmarsia*. Aliis derivatur non à palude sive *Marsch*, sed à *Marca*, quod Eidora magna ex parte marcata (barbare ut loquar) & limitata sit, ut sint Ditmarsi quasi *Theidtmarckfi*; quandoquidem hac in regione duplo frequentiores arenosi, quam paludosi tractus inveniuntur.

Naturalis munitio regionis.

Natura munita est regio ex triplici latere, ab occidente enim mare habet, ab austro Albim, & qua Holsatiæ seu paludi Wilstrensi adhæret, pleraque palustribus & uliginosis locis obsita est, ita ut perangusta tantum ad eam pateat via; ab Aquilone tota Eidorâ clausa est; ab Oriente vero cum Holsatia contigua confluens & patula est. Vnde & hæc pars ab hostibus quondam, cum adhuc gens libera esset, facile semper occupata est, confugientibus ingruente belli tempestate incolis, abductis unà facultatibus, in paludes. Tum temporis vicus Meldorpium probè munitum, & firmum paludis Australis propugnaculum erat; quo belli tempore Dithmarsi conveniebant: in Septentrionalis paludis autem defensionem duas Hammas seu Terræ propugnacula sive aggeres olim exstruxerunt, australem & Septentrionalem Hammam. Hæ ipsæ Hammæ præbebant solæ iter ad Septentrionalem paludem, ab utroque labro latas profundasque fossas habentes; ejecta terra erat ipsis instar castri seu propugnaculi, quemadmodum & illæ duæ vel tres fossæ prædictæ erant, à lateribus denso nemore clausæ, ut vel integrum exercitum præsertim equitum depellere & arcere pauci possent incolæ. Hamma Septentrionalis erat Heidæ, Australis Hemmingstadii. Tempore ultimi belli Dithmarsici, scil. anno 1559, tria Præsidia in Ditmarsia fuerunt: Tilenbrugum, non usque adeo firmatum: Meldorpium, & Hamma, scil. Septentrionalis seu domus Hammæ, valido vallo fossaque præmunita, & tormentis gravibus præcincta; nec aliud commodius & tutius iter quam per hos tres locos in paludes patet, referente auctore belli Ditmarsici.

Veteres Hammæ seu Præsidia Ditmarsorum.

Hammarum nomen vel ab voce Germ. *Hemmen*, id est morari, retardare; sive à voce *Hamme*, quod antiquis Saxonibus sylvam seu saltum sonat, oritur: hisce enim Hammis adsita fuerunt densa sylvarum arbusta, ut Historici memorant.

Termini.

Limes hujus regionis ab oriente est amnis exiguus Giselaw; (recedente Eidora) ab eo ducitur linea ad Fl. Wilsteram, qui ibi Wakenbeck & Sprant dicitur, post super vagum & desertum ericetum, ad finem fossæ Holsaticæ; à Septentrione ipsis vicini trans Eidoram Frisones Eiderstadienses, ut & Stapelholmia; ab oriente Præfectura Rensburgensis & Hanrow; versus Austrum palus Wilstriæ; trans Albim versus Africum terra Redingen & Hadelen, &c.

Magnitudo.

Solum felix situ & aëre; cujus longitudo, ab Eidora usque ad Brunsbutteliam septem milliaria excurrit. Latitudo dispariter se habet, à tribus ad quatuor milliaria extensa. Regionis duæ partes tertiæ arenosæ sunt: ultima vero tertia pars paludosa, quæ tamen multo plura incolis confert, quam illæ duæ tertiæ arenosæ. Tota Dithmarsia complectitur 1425 jugera, prout in Matricula habetur, cujus dimidia & australis pars Regi Daniæ, altera borealis Duci Holsatiæ competit.

Origines Dithmarsorum.

Incolæ ut nunc, sic & olim genuini sunt Saxones, & ad Caucos Taciti referri debent, quod partem littoris occupent, ut Tacitus scribit, & Saxonibus Ptolomæi, non autem Frisonibus, ut Vbbo Emmius vult. Quod & ex sæpe allegatis M. Adami verbis patet: *Transalbianorum Saxonum tres sunt populi, primi ad Oceanum Thiatmarsgoi, & eorum Ecclesia Mildintorp.* Et hodie à Frisonibus & Iutis seu Danis planè distincti sunt, quod & lingua eorundem innuit, quæ æque clarè & articulatim ac Hamburgi, Luneburgi aut Brunsvici pronunciatur: cujus contrarium trans Eidoram apud Frisones percipitur.

Natura & conditiones, moresque.

Plerique Ditmarsorum proceri & robusti corpore & artubus, & partim fastuosi & honoris ac gloriæ avidi sunt: mulieres pariter longioris staturæ; & quoniam in hisce terris communio bonorum inter conjuges non consuevit, ut Eiderstadii & in vicinis Parœciis solitum; sed fœminis sua bona manent, ut & aliorsum in Romano Imperio; hinc pleræque, quibus paulo plus pecuniarum, elatiores animo sunt ceteris vicinis. Olim gens armigera & bellicosa fuit, & mulieres æque ac viri arma sumpsere, & pro aris & focis ad pugnas egressæ sunt. Ibidem nullæ Nobilium familiæ, & quod sciam, nulla sedes Nobilis seu prædium, utut olim ibidem consederint nonnulli Nobiles, & adhuc una atque altera Holsatica familia ex Dithmarsia oriunda, ut de Reventlow scribitur; attamen Ditmarsi diu valde suos Nobiles terra sua exesse, suosque agros sibi solis incoli voluerunt. Et olim strenui suas Saxonicas oras adversus externos hostes, ut Normannos propugnarunt, quo adeo tumidi facti sunt, ut nulli fere jugo subditi esse voluerint, & aliquos suorum Comitum jugularint, & grandes quidem copias quandoque fuderint, donec tan-

DITHMARSIÆ TABVLA

Auctore Joh: Meyer Husumensi

Anno 1559

Dignitate præcellenti, Nobili, amplissimo, prudentissimoq; Viro,
DNO. REIMARO DOREN, ICto,
Reg.ª Maj.is Consiliario Intimo, Canonicoq; Slesvicensi. Fautori suo Observando, Tabulam hanc Dithmarsiæ Veteris, perofficiosè dedicat author
IOHANNES MEJERUS,
Husum. Reg.ª Maj.is Mathematicus.
Anno 1651.

Notarum Explicatio

- *Oppida*
- *Vici*
- *Templa*
- *Nobilium ædes*
- *Pagi*
- *Templa deserta*
- *Ædes*

Viro Nobili, amplissimo, prudentissimo,
DNO. IOHANNI HELMENS, IIII.
Reg.ª Maj.is Consiliario, Intimo Fautori suo honorando, Tabulam hanc Dithmarsiæ perofficiosè inscribit, Author.
IOHANNES MEJERUS
Reg.ª Maj.is Mathematicus.

DITHMARSIÆ TABVLA

Auctore Joh: Meyer Husumensi

Anno 1651.

Matthias & Nicolaus Peters
Goldtschmide. gbr. Hus. sculps.

dem Fridericus II, Rex Daniæ & Norwegiæ,&c. ut & Duces Ioannes & Adolphus, anno 1559 uno eos mense compescuerint,& sibi subjecerint. Ex eo tempore belli tumultibus non usque adeo operam dederunt, pariter ut ceteri paludum horum Ducatuum incolæ degentes, tantum quod in vestium splendore & externo apparatu, ut & movendis litibus, & agendis causis forensibus, sibi plus quam cæteri indulgeant.

Nulla in Dithmarsia urbs exstat; agrestes enim potius ruri in conspectu pecudum, arvorum & fructuum habitant. Principalis vicus est Meldorpium, post Heida, ubi communiter singulis hebdomadibus ruricolæ forum celebrant, & quo ingens multitudo confluit omnium agricolarum: tandem & Londinum, nomen suum cum aliis Regiis urbibus, in Anglia & Scania commune habens.

Priscum regionis regimen.

De prisco hujus regionis regimine scribit Albertus Crantzius lib. 6 Saxon. cap. 4. Cæsarem Carolum donasse Comitatum Stade, cui & Ditmarsia annumerabatur, Archiepiscopatui Bremensi, sive quod hic Comitatus (Stade) una in districtu hujus regionis fuerit comprehensus, quem Cæsar Carolus S. Willebado & successoribus concesserit. Sed ita quidem non se res habet: quippe constat, Episcopos id temporis civitates & regiones non ut sua propria possedisse, sed tantum cum sibi concessis exiguis fundis certas diœceses, in quibus suum Ecclesiasticum imperium exercebant, ad summum tantum decimas inde tollentes. Qua ratione etiam S. Willebado à Cæsare Carolo Episcopatus Bremensis traditus est, ut ex Privilegio, quod & hodie servatur, videre est, una cum ipsis secularibus regimen terrarum hominumque tenentibus. Et hæc donatio planè Ditmarsiam non attinet, limes enim fixus Episcopatus Bremensis Albis expresse determinatus est. Et quanquam Willericus, secundus Bremensis Episcopus, & in Ditmarsia populo verbum Domini annunciavit, tamen credibile, zelo cælesti instinctum extra suam Diœcesin hoc fecisse. Aliquot enim demùm annis pòst, Nordalbingi proprium nacti sunt Episcopum.

Crantzius pergit: arbitrari sese cum Episcopi Bremenses has oras adversus Normannos non valuerint defendere, dedisse eas Cæsares Romanos ex stirpe Francorum, Ducibus Saxoniæ & vicinis Ducibus in feudum. Quod & Ioan. Petersen & alii tanquam veritati consentaneum exscripsere, cum tamen ex nullo veteri scriptore probari possit, Duces Saxoniæ hasce terras immediate possedisse, aut gubernasse.

Tutior quidem sententia est, Comitatum Stadensem (seu potius Hersefeld, id temporis Rosenfeld dictus) & terram Ditmarsiam, ut cis & trans-Albianas regiones, à Cæsaribus Romanis sive Ducibus Saxoniæ eam ob causam conjunctos fuisse, unique Comiti concessos & in feudum datos; ut si violentia Normannorum seu Danorum unà ejiceretur, in alteram profugeret & receptum haberet. Quod & sequentibus seculis ab Imperatore Othone Magno cum Duce Hermanno Billing factitatum est, cum ei in feudum traderet Ducatum Luneburgensem & Comitatum Holsatiæ & Stormariæ. Primus Comes Rosenfeldensis, ut in annalibus veterum Chronicographorum invenitur, fuit Luderus, forte & Dithmarsiæ, siquidem ejus successori uterque Comitatus paruit, quæ & Crantzii est existimatio.

1. *Luderus* I.
2. *Henricus* I, Calvus dictus, Comes Rosenfeldiæ & Dithmarsiæ.
3. *Henricus* II, Comes Rosenfeldiæ & Dithmarsiæ.
4. *Henricus* III, Comes Hersefeldæ sive Rosenfeldæ & Dithmarsiæ.
5. *Sigfridus* I, Comes Stadensis & Dithmarsiæ.
6. *Sigfridus* II, Marchio Brandenburgicus & Comes Stadensis.
7. *Luderus* II, Marggravius in Soltwedel & Comes Dithmarsiæ.
8. *Dedo*, Comes Dithmarsiæ.
9. *Etteler* Sapiens, Comes Dithmarsiæ.
10. *Vdo*, Marggravius Brandeburgensis, Comes in Stade & Dithmarsiæ.
11. *Rudolphus* I.
12. *Rudolphus* II.
13. *Hartwicus*, Marggravius in Soltwedel, Comes Dithmarsiæ, magnus Præpositus Bremensis, & post Archiepiscopus Hamburgensis.
14. *Reinhold*, Comes Dithmarsiæ.
15. *Henricus Leo*, Dux Bavariæ & Saxoniæ,&c. Comes Stadæ & Dithmarsiæ.
16. *Rudolphus* III, Comes Holsatiæ, Stormariæ & Stadæ.
17. *Hartwicus* II, Archiepiscopus Bremensis, Dominus Dithmarsiæ.
18. *Woldemarus* Episcopus Slesvici, Dominus Dithmarsiæ.
19. *Hartwicus* III, Archiepiscopus Bremensis, denuo Dominus Dithmarsiæ.
20. *Canutus* Rex Daniæ,Dominus Dithmarsiæ.
21. *Schacko* à Westensee, Comes Dithmarsiæ.
22. *Woldemar* Rex Daniæ, Dominus Dithmarsiæ.

Post Woldemari obitum omni quasi jugo Dithmarsi se liberavere: quamvis enim Archiepiscopum Bremensem aliquatenus agnoscerent, non tamen ad veram obedientiam compelli unquam potuerunt. Anno 1289 libido incesserat Comites Holsatiæ Dithmarsos bello aggredi, quos nunc liberos olim prædecessoribus suis (Rudolpho III) paruisse sciebant. Dithmarsi implorato Archiepiscopi Giselberti auxilio Comites exspectant, qui dum ex arenoso tractu in paludes irruere conantur, leporem cubili suo excutiunt, unde ab antesignanis ingens rumor clamorque ortus ita alios commilitones hujus ignaros & hostium metuentes perculit, ut incompositis ordinibus in fugam se conjicerent. Quod conspicati Dithmarsi irruptione facta resistentes antesignanos partim obtruncantes, partim pellentes omnes de vita salvanda circumspicere coëgerunt. Anno 1305 Archiepiscopo Giselberto jam senescenti Kedingii atque Dithmarsi parère detrectarunt, quos cum per mediatores Archiepiscopus ad officium revocare non posset, adunatis viribus ingentem exercitum conflavit, adscito

DITHMARSIÆ
PARS MERIDIONALIS.


PErtinet hæc Meridionalis Dithmarſiæ pars ad Regem Daniæ quaſi Regentem Ducem Holſatiæ. Dividitur hæc regio in paludoſam & arenoſam; (hoc eſt, *Marſch & Geeſt*) Arenoſa olim appellata eſt *Harſtedergeeſt*, forte à pagis Norder & Suder-Harſtede; paludoſa vero dicta eſt *Suderſtrand*.

Præfecti hujus partis fuerunt, qui ſequuntur: Iacobus Harder, mortuus anno 1567: Michaël Boye, 1572, Iohannes Held, 1584; Nicolaus Bruker, Nicolai filius, anno 1629; Henricus Waſſmer, 1643; Nicolaus Bruhn Iohannis filius, & Iacobus Bruhn. Præcipuus in hac regione vicus eſt *Meldorpium*, qui inter duo Milæ fluvii brachia ſitus eſt. Diſtat milliari uno ab Heida vico, Londino tribus, & Brunsbuttelia, ſex Itzehoa, ut & Rendesburgo. Locus hic pervetuſtus eſt, ubi olim Willericus antequam Hamburgi Archiepiſcopatus eſſet conſtitutus, infidelibus Dithmarſis Euangelium prædicavit ad annum 804; hoc eſt, tempore Caroli Magni. Poſt aliquot centenos dein annos, cum agreſtes libertate gauderent, Meldorpium hoc munitum eſt, ita ut ſæpiſſime obſidio debuerit expugnari; ſicut ſupra aliquoties dictum eſt.

DITHMARSIÆ
PARS SEPTENTRIONALIS.

HÆc pars in partitione Duci Slesvici & Holſatiæ attributa commodo ad Eidoram tractu ſita eſt, à quo ut & parte maris Cimbrici ab occidente, ſeptentrione & oriente circumdata eſt. Regitur à Præfecto Ducali, cui duo Scribæ Provinciales adjuncti ſunt. Præfecti hujus partis fuere: Marcus Schwein Londini, & Wold Reimers Heidæ habitans: D. Chriſtianus Boye Heidæ; D. Henningius Boy Londini; Ioannes Reimers Heidæ, Boy Nanne Denker Londini: Iohannes Rode Londini: Ioannes Vieht, & D. Iohannes Boye.

Eſt in hac parte vicus *Heida*, in quo ſingulis Sabbathis in magnæ capacitatis area ruſtici Dithmarſi forum ſuum celebrant. Hoc in loco ultimas retinendæ libertati vires impendere Dithmarſi, ſed ter repulſi tandem Principibus Holſatiæ parêre didicerunt, ſicut ſupra latius explicavimus.


DITHMARSIÆ
PARS SEPTENTRIONALIS.
Nobili, amplißimo, doctißimo ac prudentißimo,
Dn. Iohanni Boje, UID.
præsidi Dithmarsiæ septentrionalis,
fautori suo,
Et
Honestis ac prudentib9 Ejusdem Regionis
Senatorib9, Tabulam hanc Geometricam
perofficiosè inscribit
author Iohannes Mejer9 Husum.
Regæ. Masts. Mathematic9.
Grundriß Von Weßlingburen
Grundriß Von Lunden
Grundriß Von der Heyde
Septentrio
Meridies
Occidens
STAPEL
Suderstapel
Ostermarsch
Goschen fehr
Suder reeck
HOLMIÆ PARS
HÖNER HERDE
Lunden
Heyde
Weßlingburen
Buisen
Hemingstede
Osterrade
Suderrade
Delff
Lexfehr
Die maße einer teutschē meillen
Milliare Germanicum.

BREMENSIS ARCHIEPISCOPATVS.



Incolæ veteres. BRemensis Archiepiscopatus terras olim *Chauci* tenuere, *Majores* Minorum Chaucorum respectu dicti, qui Embdano & Oldenburgensi agro insederant. Taciti hæc sunt verba: *Chaucorum gens, quamquam incipiat à Frisiis & partem litoris occupet, omnium quas exposui gentium lateribus obtenditur, donec in Cattos usque sinuetur. Tam immensum terrarum spatium non tenent tantum Chauci, sed & implent: populus inter Germanos nobilissimus, quique magnitudinem suam malit justitia tueri, sine cupiditate, sine impotentia. Quieti secretique nulla provocant bella, nullis raptibus aut latrociniis populantur. Idque præcipuum virtutis ac virium augmentum, quod ut Superiores agant, non per injurias assequuntur. Prompta tamen omnibus arma, ac si res poscat, exercitus plurimorum virorum equorumque, & quiescentibus eadem fama.* Cæterum Chaucorum paulatim nomen exolevit, inclaruitque novum & priscis ignotum *Saxonum.* Hi in *Ostvalos*, seu Orientales (qui hodie soli Saxonum nomen obtinent) & *Westvalos* seu Occidentales divisi fuere. Bremenses inter Orientales regionis situs collocat, quamquam haud longe Westphalis dissitos.

Termini. Includitur omnis regio Visurgi & Albi fluviis, ad Orientem Luneburgensem Ducatum ac Episcopatum Verdensem, ab occidente Oldenburgensem Comitatum, à Septentrione Oceanum & Holsatiæ partem, ac ad meridiem Hoyensem Comitatum respiciens. Comprehendit autem Stadam urbem cum adjuncto territorio, Hadeliam, Wursatiam, Wurdiam, Kedingiam, Otlandiam: & de quo statim, territorium Bremense. *Qualitas.* Regio quoad soli fertilitatem pallio assimilatur, cujus duæ anteriores partes velluto plerumque ornatæ sunt, posterior vero non adeo pretiosa est: ita ad utrumque latus nempe ad Albim & Visurgim regio hæc omnis frugum generis feracissima; medio vero tractu inter Bremam & Stadam, quem mercatores plerumque transeunt, sterilis, inculta, paludosa, & ericæ ac arbuscularum plurium plena est.

Brema Civitas. Caput hujus Archiepiscopatus Brema est, urbs Imperii libera & Hanseatica, & mercaturâ celebris. Ptolemæi *Phabiranum* multi hanc esse Bremam volunt, hoc novum nomen à ruborum ibidem nascentium olim magna copia postea accepisse asserentes. Vt ut sit, Phabirani situs uni Bremæ respondet. Sita est urbs percommodo & amœno ad Visurgim fluvium loco, paululum oblonga, nitidis latisque plateis distincta, & egregiis plurimis tam sacris quam profanis ædificiis & structuris ornatissima; nec non operibus militaribus munitissima. Forum habet valde spaciosum, in cujus medio statua Rulandi se visendam offert, ad latus vero Curia, & infra eam Cella vinaria publica, spectantium oculos magnifica sua structura pascunt. Ad alterum vero latus est Ecclesia Cathedralis D. Petri fundata à Willehado Ecclesiæ Bremensis primo Episcopo ad annum 788; quam post 254 annos incendio deletam Adalbertus & illius successor Liemarus restaurarunt. Opus est eximium, duabus ornatum turribus, quarum altera reliquas urbis altitudine exsuperat. Non longe ab hac basilica, occidentem versus est templum Beatæ Virginis, sub Alberone Archiepiscopo à tribus fratribus viris religiosis anno 1060 erectum, & duabus item turribus auctum. In media urbe prominet Templum S. Ansgarii, cujus turris cupro contecta reliquis omnibus robore superior est. Sunt præterea & alia templa minora, ut & Xenodochia complura, item Gymnasium ex cœnobio constructum, ac orphanotrophium, in quo 80 pueri puellæque parentibus orbi, honeste & liberaliter educantur, & literis ac bonis moribus initiantur. Extra urbis meridionalem portam Castellum est, ponte sublicio urbi annexum, quod antiquitus sola & nuda turris erat, nunc vero campos versus vallo fossisque cincta, firmum ab hac parte urbi propugnaculum merito æstimatur. Pons iste autem ita artificiose constructus est, ut multæ sub eo molæ sint, farinæ & pulveri pyrio conficiendis destinatæ; nec non & una rota eximiæ magnitudinis, quæ artificioso ductu aquas Visurgis in urbem agat, diversis canalibus civium ædes emundantes. *Mores.* Incolæ seu Cives Bremenses utplurimum mercaturam exercent; aliqui quoque agri & armentorum cultura, alii deinde cerevisia coquenda vitam tuentur, quæ optimi saporis in Hollandiam & alias circumjectas regiones evehitur. Habet Brema etiam piscandi jus in Visurgi ab arce Hoya in Oceanum usque. Idem jus habet & in Hunta, Lesmora, aliisque aquis. Magistratus constat 24 Senatoribus, & 4 Consulibus, quorum duo annum ad gubernacula sedent, & ex iis iterum alter; qui per semestre tempus primas tenet, Præses vocatur. Totum Senatum Sapientiæ nomine indigetant, in quem præcipui ex civibus alleguntur, maxime illi, qui studiis gnavam operam dedere, ita tamen ut media pars ex mercatoribus constet. Quod vero jura urbis attinet, habet illa privilegiis Imperatorum sibi concessa omnia illa jura, quæ vel ad causas civiles vel criminales pertinent, in cognoscendo & exequendo, ac merum & mixtum imperium; officiorum administrationem, jura territorialia, fœderis & auxiliorum, &c. ut & votum in Comitiis Imperialibus. Anno 449 post Christum natum. Saxones Bremæ tres naves struxerunt, quibus Brittannos à Scotorum Picto-



DUCATUS
BREMÆ & FERDÆ
a Ioanne Gorries Capitaneo Sueco Jussu Com.
Ioan Christoph. a Coningsmarck accuratissime
dimensi & in tabulam redacti.
Milliaria Germanica quorum unum 2000 virgas Rhynlandicas complectitur.
Notularum Explicatio
Klöstere
Kirchspiele
Adeliche häuser
Dörffer
Ambthauser
Capellen
Entzels höfe
Windt
Wasser
Mühle
HOLSATIÆ PARS
LUNÆBURGENSIS
DUCATUS
HOYA COMITATUS
ELBE FLU.
WESER FLU.
JADE FLU.
DIE WATTEN.
Hamburg
Gluckstadt
DAS LANDT KAIDINGEN.
Das Kaidinger Moer.
DAS ALTE LANDT
Die Heerlicheit Nienhaus.
DAS LANDT HADELEN.
DAS LANGE MOER
Das Bremische Ambt Bergestee
Das Hamburgische Ambt Ritzenbuttel
Das Landt Wursten.
BUTIADIGER LANDT.
DAS AMBT OTTERSBERG
Das Ambt Verden
DIE HERLICHEIT ROTENBURG
Duvels Moer
Korte Moer
Blockland
Bremen

numque injuria defenderent. Anno 788 Carolus Magnus primum Bremæ Episcopum dedit Wilhadum Anglum, qui singulari præditus pietatis studio eos à potestate tenebrarum liberaret. Episcopatus hic duravit ad annum 1101, quo in Archiepiscopatum mutatus est, designato primo Archiepiscopo Humberto, incertæ originis viro. Vtrum tunc temporis Brema pagus, an oppidum fuerit, non difficulter conjectari potest. Privilegia enim eximia, quæ à Carolo Magno impetravit, jus civitatis non dedisse, sed ornasse, ex privilegiorum verbis apparet; quamquam muros non habuerit: anno 1000 contra Danorum incursiones muro cingi cœpta est, cum anno 923 ab Hunnis bino incendio esset deleta. Exinde urbs in immensum crevit, quamquam diversis temporibus plurimas clades passa. Anno 1624 cælitus immissus ignis turri Orientalis portæ 40 vasa pulvere pyrio repleta incendit; quod incendium horribilis tectorum strages, & undecim personarum mors consecuta est. Anno 1648 minor cathedralis Ecclesiæ turris improvisa ruina hora secunda pomeridiana cum plurimis campanis decidens quinque homines attrivit, substractis adhuc quibusdam semivivis. Anno 1647 horrendum tonitru turrim, in qua pyrius pulvis asservabatur, incendit; unde plusquam 600 domus corruerunt, & 30 aut 40 homines perierunt. Religio quoque hic ut alibi mutata: prima certe urbs Brema fuit, quæ Lutheri opiniones approbavit, & prima, quæ illis Calvini scita superinduxit. Exinde Reformatorum semper doctrinæ adhæsit, quæ adhuc ibidem viget, quanquam Lutherani etiamnum tolerentur.

Præfecturæ Bremenses.

Continet autem Brema in se multas Præfecturas, quarum prima *Vichlandica*, in circuitu quinque milliaria continet: trans Visurgim hæc sita, pinguissimæ glebæ & fertilissimis agris atque lætissimis pascuis abundans, habet parochias tres, pagos tredecim. Cæteræ cis Visurgim sitæ sunt, *Hollerlandica*, priori amplior, continens parochias tres, pagos tantum quinque, sed amplos. *Borchvaldicæ* autem, quæ continet Parochiam unam, dimidia pars est familiæ Brandorum. *Blocklandica* ad Wummam una itidem constat Parochia, at satis ampla, ex fœno & piscatione victum quæritans. *Werlandica* arenosa est in meditullio, qua Visurgim & Wummam attingit, præsertim qua Wummani Visurgim se exonerat, optima habet pascua; constat Parochiis tribus, pagis novem. *Blumenthalia* unam Parochiam, & pagos sex continet. *Nyenkirchen* unam itidem Parochiam, at pagos amplissimos habet. Vltra Gestam Fl. ad Visurgim situm est forum *Leeh*, & universa præfectura *Bederkesa* cum arce ejusdem nominis: Hujus præfecturæ circuitus est novem milliarium, habetque sub se Parochias septem, at pagos circiter novem.

Stada.

Sequitur proxima Bremæ urbs Hanseatica *Stada*, ad Suingam fluvium non longe ab Albi infra Hamburgum sita: Bertius, aliique hanc Saxoniæ omnium antiquissimam asserunt, quæ 323, vel, ut alii, 633 annos ante C. N. jam modo nomen habuerit, & Ptolemæo *Siatutanda* dicta fuerit. Vallo, fossis, muris, munimentisque & armamentario urbs in vim hostilem propulsandam armata est: habet 4 Ecclesias Parochiales & aliqua templa minora. Est & Cœnobium S. Georgii cum templo, ut & Gymnasium, in quo Latina, Græca & Hebraica linguæ, & artes Liberales docentur. Forum mercatorium, cum iisdem destinata domo & curia peregrinantium, curiosos oculos grata sui facie alliciunt. Privatorum ædes nitidæ & pulchræ; ingenia incolarum humana, & peregrinis excipiendis prompta. Aëris & cæli qualitas clemens & salubris; soli circa urbem fertilitas mira; urbisque situs percommodus est, non tantum ad pascendos oculos, sed ad mercaturam exercendam, qua hæc urbs plurimum invaluit: Multis fruitur privilegiis, inter cætera monetam cudendi, & venationis potestatem habet. Omnes quoque naves, quæ ex Oceano Albim subeunt Hamburgum tendentes, ad confluentem Suingæ & Albis anchoram figere, & tributum solvere coguntur, exstructo in hoc propugnaculo, quod pertinaces in officio contineat. Si vina quoque Hamburgum devehantur, coguntur nautæ ex unoquoque vase vel vasculo, præposito telonii aliquid gustandi causa promere; & si unum ex iis præposito placeat, æquo illud pretio divendere. Ob quæ privilegia multæ inter Hamburgum & Stadam simultates exortæ sunt. Habet Stada plenum jus in suos incolas; ut & judicia in piratas & alios nefarios exercere potest. Fuit olim Comitatus, cujus incolæ *Stidingii*, *Stadingi*, & *Stadenses* nuncupati sunt: anno 1234 & 94 graviter afflicti, cum à Papa & Imperatore Friderico II excommunicati & omnium bellis expositi essent. Nocuit iis plurimum objecta hæreseos infamia, ad quam delendam multæ undique gentes accurrerunt, qui eorum vires misere attrivere. Anno 1619 à Danorum rege occupata, gravem postea obsidionem diu tulit, donec tanden anno 1628 Comiti Tilly dederetur: anno 1645 à Suecis capta, adhuc ab iis possidetur.

Boxtehude.

Boxtehuda, olim Virginum Cœnobium eodem in loco à Nobilibus quibusdam Familiæ Boxtehudæ fundatum, ita sensim creverat, ut tempore Rudolphi I, à Giselberto Archiepiscopo Bremensi urbis privilegia & jura acquireret, & tandem in fœdus Hanseaticum adscisceretur. Sita est ad fluvium Estam, qui Albi infra urbem sociatur, cujus aquis ita augetur, ut satis magnis navigiis ad urbem aditum concedat. Ager circumjectus valde felix, præcipue Stadam versus, quæ hinc 3 mill. distat. anno 1424 Boxtehuda vano impetu à Luneburgensi Duce, ut & anno 1551 à Comite Mansfeldio oppugnata est. Anno autem 1632 Achatio Suecorum Duci sese dedidit, qui eam postea Archiepiscopatui restituit; donec anno 1645 à Suecis iterum occuparetur, qui urbem adhuc possident.

Bremervœrde.

Vorda, Arx totius Archiepiscopatus munitissima, nuperis bellis Dano-Polono-Suecicis valde innotuit: Adjunctum est illi oppidulum, antea pagus, ad Gestam fluvium non longe Episcopali urbe Verda situm. Luderus Saxoniæ Dux hanc arcem primus condidisse fertur, quam deinde Bremenses & Stadenses Episcopatui adjecere; Bremenses vero longe post tempore Archiepiscopo

ſcopo eripuerunt, in qua recuperanda multum temporis inſumpſit. Anno 1632 Archiepiſcopus Ioannes Fridericus adjuvantibus Suecis ſedem hanc ſuam Archiepiſcopalem Cæſarianis extorſit. Exinde controverſia orta inter Archiepiſcopi ſucceſſorem Fridericum & Suecos, hi arcem vi ceperunt, quam tamen inſequenti anno Archiepiſcopus ſtratagemate recuperavit, & tertio anno iterum amiſit. Pace demum Monaſterienſi Suecis cum toto Archiepiſcopatu conceſſa eſt. Inſequentibus tamen bellis cum Dano, ab hoc occupata, & paulo poſt amiſſa, adhuc Suecorum ſub poteſtate eſt.

Arces. Sunt præterea & aliæ arces, inter quas hæ præcipuæ; *Bederkeſa*, in Bederkeſana Præfectura ditionis Bremenſis ſita, quod egregiis munimentis & armamentario proviſum eſt, annexum habens pagum, egregia, quæ ibi coquitur, cereviſia clarum; & *Ottersberga* non longe Bremâ ſita. Anno 1627 à Cæſarianis primum vano conatu oppugnata, & dein tandem expugnata eſt. Receperunt eam Sueci anno 1645, & adhuc retinent.

Epiſcopi Bremenſes. 1 Primus Bremæ Epiſcopus fuit conſtitutus *Willehadus* à Carolo Magno anno 788, cui ſucceſſit diſcipulus

2 *Willericus*, anno 790: illi

3 *Leudericus Superbus* anno 840. Porro

4 *Anſgarius* Archiepiſcopus Hamburgenſis, anno 850.

5 *Rembertus* Anſgarii adoptivus filius, miraculis clarus, anno 885.

6 *Adalgarius*, primum Coadjutor, dein anno 888 ſucceſſor.

7 *Hojerus*, anno 909.

8 *Reginwardus*, anno 919.

9 *Vnni*, qui ad prædicandum Verbum in Sueciam abiit, anno 919.

10 *Adaldagus*, trium Imperatorum Othonum Cancellarius, obiit anno 988.

11 *Libentius* I Italus, obiit anno 1013.

12 *Vnwannus*, mortuus anno 1029.

13 *Libentius* II, vita functus eſt anno 1033.

14 *Hermannus*.

15 *Bezelinus*, qui & *Alebrandus*, deceſſit an. 1043.

16 *Albertus*, è Bojoariæ Principibus ortus, denatus eſt anno 1072.

17 *Liemarus*, nobilis Bavarus, ſub quo intermortuus eſt titulus Archiepiſcopatus Hamburgenſis.

Archiepiſcopi. 18 *Humbertus*, vir incertæ originis, primus Archiepiſcopus factus eſt, anno 1101.

19 *Fridericus*, anno 1114.

20 *Adalbero*, mortuus anno 1124.

21 *Hartwicus*, Comes Stadenſis, anno 1149.

22 *Balduinus*, conſtitutus anno 1168.

23 *Siffridus*, Marchio Brandenburgenſis, anno 1178.

24 *Henricus* II, anno 1184.

25 *Waldemarus*, anno 1207.

26 *Gerardus* I, anno 1211.

27 *Gerardus* II, anno 1221.

28 *Hildeboldus* ſive *Hildebrandus*, anno 1259.

29 *Giſelbertus*, anno 1275, obiit anno 1306.

30 *Henricus* I, cognomento *Golthorn*, quatuor tantum menſibus præfuit.

31 *Florentius de Brunckhorſt*, obiit anno 1307; huic ſuffectus eſt

32 *Ioannes Lundenſis*.

33 *Burckhardus de Grelle* Bremenſis, anno 1327, deceſſit anno 1344.

34 *Otho* I, Comes in Oldenburg, anno 1345.

35 *Gotfredus*, Comes Arnsbergi, anno 1349, obiit anno 1359.

36 *Albertus*, Dux Brunsvicenſis, anno 1359.

37 *Otho* II, Epiſcopus Verdenſis, anno 1395.

38 *Ioannes* II, anno 1406, mortuus anno 1420.

39 *Nicolaus*, Comes in Delmenhorſt, an. 1421, obiit anno 1437.

40 *Balduinus* II, decretalium Doctor & Abbas S. Michaëlis Lunæburgi, obiit anno 1442.

41 *Gerardus* III, Comes Hoyenſis, deceſſit anno 1463.

42 *Henricus* II, Comes in Schwartzburg, vir bellicoſus, fato functus eſt anno 1497.

43 *Ioannes Rhode*, ex Patricia Bremenſium familia, obiit Vordæ, anno 1511.

44 *Chriſtophorus* Dux Lunæburgicus, antea Coadjutor, & Epiſcopus Verdenſis, obiit anno 1558.

45 *Georgius* Epiſcopus Mindenſis fratri ſucceſſit, anno 1558, Georgio autem

46 *Henricus* III, anno 1567, anno 1585 vivis exemptus.

47 *Ioannes Adolphus* Dux Holſatiæ, reſignavit Archiepiſcopatum in fratrem

48 *Ioannem Fridericum*, anno 1596, qui anno 1634 deceſſit, ſucceſſit

49 *Fridericus* Dux Holſatiæ, Chriſtiani IV, Regis Daniæ filius; hic orto, anno 1644, inter Danos & Suecos bello, Archiepiſcopatum amiſit, & deinde Patri in regno Daniæ ſucceſſit, cujus adhuc moderatur habenas.

Exinde Archiepiſcopatus à Suecis occupatus, anno 1648 pace Oſnabrugenſi, ab Imperatore cum Epiſcopatu Verdenſi, immutato nomine, Ducatus factus eſt ſub iiſdem inſignibus, ut Imperii feudum, adhuc Sueci poſſident.

LVNÆBVRGVM DVCATVS.

Limites.



Vcatus Lunæburgicus affines habet Meklenburgensem Ducatum, Marchiam Brandenburgensem, Archiepiscopatum Magdeburgensem, Comitatum Schauwenburgensem, Episcopatum Bremensem,& Comitatum Oldenburgensem, quibus undique, uti & Albi & Visurgi, cingitur. Nomen habet à metropoli Lunæburgo, uti Brunswicensis à Brunswico, Bremensis à Brema. Ad Saxoniam Inferiorem pertinet. Regio est numerosa, silvisque plurimis insignis, quarum nomina in tabula notata sunt, *Raarbroeck, de Rooffkamer, de Grode, Bergerwald, Kralingerbroeck, Im Ringlow, Im Lewen, Im Dromelinge,* &c. Magna vastaque patet planities versus latus urbis metropolitanæ, eaque deserta & inculta, quam *Lunenborger heide* vocant. Metropolis ejus est, uti jam dixi, *Lunæburgum.* Hamburgo abest milliaribus sex, Brema duodecim, Lubeca decem, Brunswico quindecim, Vlcena quinque, Winsema duobus cum dimidio, Bardowico uno, Harborga sex. Nomen habet vel ab idolo Lunæ, quod monti, qui calcis nomine insignitur, quondam impositum fuit; vel à fluviolo præterlabente civitatem, qui nunc Elmena, olim Luno vel Lumenou vocatus fuit ab Iside, uti fabulantur, iter faciente ad Gambrivium agnatum, loca tenentem, ubi nunc Hamburgum & Gramma sita sunt, quæ multis fluminibus rivulisque in Ducatu Lunæburgico & Marchia Brandenburgensi nomina vel à proprio nomine, vel forma Lunæ corniculatæ, qua culta fuit, imposuit. Estque verosimilius, ejus statuam monti impositam & cultam fuisse ab inquilinis, quam quod Iulio Cæsari id attribuunt Chronica Saxonum. Legere est in annalibus Verdensium Episcoporum, idolum hoc ablatum fuisse ab Egisto ex septuaginta discipulis uno, qui in hisce terris Euangelicam doctrinam professus fuit; & mox iterum ab incolis ad idololatriam prolapsis erectum, à Wiperto Abbate Anglico, Benedictinæ professionis, Episcopo Verdensi primo, destructum,& ab eodem ibidem loci cœnobium in honorem B. Mariæ Virginis gloriosæ ædificatum esse anno Christi 780. Vetus est civitas, ejus meminit historia Caroli Magni Imperatoris, quæ refert eam fuisse, antequam Bardewicum ab Henrico Leone Duce Bavariæ & Saxoniæ destructum esset. Destructo vero Bardewico, cum intra mœnia civitatis clauderetur vicus vel pagus *Medestorp*, ad orientalem veteris civitatis plagam situs, ad justam magnitudinem urbis excrevit anno 1190. Longobardos Saxones hæc loca inhabitasse docent hæc vocabula, *Barderwick*, & *Bardengea*, Cathedralis Ecclesiæ Ramesloensis pagus. Est in hac urbe salis fons uberrimus, maximo Dei beneficio incolis concessus, cujus origo, quando nimirum incœperit scaturire, ignoratur. Ejus tamen mentio fit in historia Ottonis I. Et Helmoldus, qui historiam Slavorum scripsit, defensum ait fontem ab Henrico Leone Duce Bavariæ, & Saxoniæ Electore, Palatinoque ac Principe Lunæburgico contra scaturigines salsas in Oldeslo repertas, quas obstrui jussit, ne quid Respublica Lunæburgensis detrimenti caperet. Sub pronepote vero ejus Ioanne Duce Lunæburgensi longe uberiores aquæ salsæ eruperunt. Gaudet privilegiis insignibus civitas, & ludis ornata est equestribus, qui solito more celebrantur feria quinta ante Bacchanalia à patriciis, qui bonis salinariis frui cupiunt. Instituti sunt anno 1269. Muria hujus uberrimi fontis olim urna ingenti pendula ad trabem mobilem antiquissimæ columnæ impositam per proceræ staturæ viros extracta fuit, usque ad annum 1569, quo salinæ mutatio facta est, Præfecto tunc temporis prudentissimo viro Georgio Tœbingio, & per siphonem magnum in profundo putei positum exhauriri cœpit, inque quinquaginta quatuor casas distribui: quarum quælibet continet sartagines quatuor; in quibus, quod mirum, ex plumbo factis, muria infusa dies noctesque coquitur, & binis horis maturatum sal in domos ad hoc fabefractas vehitur, vel venditur. Sartagines etiam deficientes ex ignis ardore, intra dies quatuordecim fere liquefactæ rursus reficiuntur. Omnibus civibus & inquilinis muriam ad condiendas carnes petentibus sine precio hinc petere licet. Proventus vero hujus salinæ Ecclesiasticis cedunt; ut de bonis salinariis victitent non tantum patritii, sed & religionis literarumque publicæ professioni consecrati: ut quæ alibi honoraria sunt, merito illic salaria ex re vocari possint. Salinæ duplices sunt, veteres & novæ. Illæ contiguæ urbis muro: hæ in ipso urbis meditullio. Adeo nunc crevit, ut cum præcipuis Germaniæ civitatibus certare possit, tum benigna rerum copia, tum ædificiorum magnificentia, situs opportunitate, civium frequentia, humanitate,& fortitudine,tum denique nominis celebritate. Cœlum habet tersum & salubre, agrum fertilem. Vix ulli Anzeaticarum cedit. Monasteria quondam habuit quatuor. Primum ad D. Michaëlem, ordinis D. Benedicti, quod in monte prius situm fuit, cujus fundamenta jecit Otto Magnus, Dux Saxoniæ, pater Henrici Aucupis Imperatoris. Secundum D. Virgini Mariæ consecratum, ordinis S. Francisci. Tertium Vallis sacræ, sive Præmonstratensium. Quartum Paulinorum, nunc gymnasio litteratera-

Silvarum nomina. *Metropolis Lunæburga.* *Fons Salis.* *Cella.*

terario inserviens. Quibus & addi potest Præpositura ad S. Ioannem, ex Archidiaconatu in Medestorp nata, & Collegium Conventualium fratrum, vulgo der Calandes Herrn. Hodie templa Augustanæ Confessioni addicta sex habet, primum ad D. Ioannem. Secundum D. Michaëli sacrum. Tertium ad D. Lambertum. Quartum D. Nicolao nuncupatum. Quintum D. Virgini. Sextum S. Sancto. Otto I ditionem istam erexit in Comitatum, adjunctis ei prædiis ex agro Megapolensi. Fredericus II ex Comitatu Ducatum fecit. Henricus Leo exutus Bavaria, Saxoniaque proscriptus ab Imperatore, hanc urbem cum Brunswicensi adhuc retinuit.

Cella. Sed antequam ulterius progrediamur, silentio prætereunda non videtur urbs *Cella*; quippe quæ pulcherrimam & splendidissimam omnium urbium Lunæburgensis Ducatus arcem habeat, sedem ordinariam Illustrissimæ hujusce familiæ Ducalis, ut & Ducis illius, qui nunc rebus præest. Fuit antea *Vetus*, jam dicta *Cella*, quæ quarta milliaris parte nostra Cella distat. Quo tempore hæc nova seu recens Cella condita sit, ignoratur; anno saltem 1292 Othonem Ducem Brunsvicensem & Lunæburgicum jus civitatis illi dedisse, & alia Iura ac privilegia, annales testantur, non inferiora Lunæburgensibus. Situs urbis peramœnus est inter Brunsvicum & Lunæburgum, duobus fluviis Fusa & Allera humectatæ, qui piscibus abundant. Receptaculum est mercibus mercatorum, qui Bremam & ad alia Visurgi adsita loca tendunt; unde non modicum urbi incrementum accedit, maxime tamen ob dictam hic constitutam aulam Ducalem, quæ plurimos mercatores allicit, ita ut omnium ad vitam delitiose sustentandam copia huc advehatur maxima. Muris, vallo, fossis valde latis, & ad hodiernam normam confectis propugnaculis satis tuta est; ædium splendore, civium multitudine, platearumque nitore considerabilis. Inter ædes tamen eminet Domus Publica seu Curia, quo Senatus cum Syndico convenit, majorem & minorem jurisdictionem exercens; habet hæc atria amplissima, in quibus Nobiles & ditissimi ex civibus nuptias celebrant: ante curiam nocturnas cives vigilias agunt; infra quam Cella vinaria publica est, ubi omnis generis vina & optimæ notæ cerevisiæ venduntur. Prope arcem eximium ædificium conspicitur, quod Cancellariæ Principis inservit. Vrbs unam tantum Ecclesiam Parochialem habet, sed quæ ingenti multitudini sufficit: est præterea etiam in arce templum, quod aulici maxime frequentant; in parochiali tamen Duces plerumque sepeliuntur, quorum monumenta superba curiosos spectatores diu detinent. Est & in ea Bibliotheca in usum Concionatorum, & eorum, qui juventutem humanioribus artibus imbuunt. Ex quatuor, qui sacris præsunt, Pastoribus, quartus totius Ducatus Superintendens Generalis est: Conspiciuntur etiam extra urbem egregia suburbia, in quibusdam Xenodochia & gerontotrophia complura. Temporibus Suecici belli urbs hæc certissimum circumjectis populis refugium fuit, hostibus intacta, quod ipsi urbi Lunæburgo non obtigit, quæ semel à Succis capta, sed iterum à Duce Georgio, auxilium ferente Cæsare, recuperata fuit.

Vrbes aliæ. Vrbes etiam alias habet Ducatus Lunæburgensis, licet minus celebres, quales sunt *Harborga* è regione Hamburgi posita in Albis ripa; *Winsena* ad fluvium *Luhr* jacens; *Vltzena* in ipso fere regionis meditullio; Bardwicum vicinum maxime Lunæburgo, & Danneberga, Comitatus titulo decorata.

Castella & cœnobia. Ex castellis hæc præcipua sunt: *Harbourg*, *Gifhorn*, *Winsen* & *Fallerschleben*. Sunt præterea præsidum & gubernatorum multæ ædes optimè constructæ, & egregia cœnobia, è quibus sex adhuc restant, quæ virginibus Augustanæ Religionis inhabitantur; quibus tamen, si optata conjugia contingant, nubere licet. Nobilitas quoque eximia possidet prædia, & non minus uberes quam amœnos pagos sibi subjectos habet.

Qualitas. Quod soli fertilitatem attinet, ea quidem in illis oris modica, quæ fluviis vicina sunt: alia vero loca, imprimis quæ intermedia, sterilia & sylvis horrida sunt; quare incolæ plurimos ovium greges pascunt, & apum curam habent. Vinum hic nascitur nullum, quia aër nimis frigidus, & cœli inclementia id non permittunt. Coquitur vero ex hordeo cerevisia satis grata & valetudini conducens. Salinæ quoque inter terræ munera recensentur, quarum hic magna copia.

Fluvii. Inter fluvios, qui Ducatum Lunæburgensem irrigant, hi maxime numerantur; *Albis*, cui tria imposita à Duce telonia, Snakenburgi nempe, Hitzackeræ & Blekedæ; *Ietza*, *Elmenau*, *Luhna*, *Seva*, *Spinga*, *Allera*, *Ocher*, *Leina*, *Isa*, *Lacha*, *Ortza*, *Böma*, &c. quorum magna pars Albi, reliqua se Visurgi conjungit. *Sylvæ.* Sylvæ, quarum magna copia, porcis aliisque animalibus saturandis aptæ, non minorem tamen voluptatem præbent in venationibus, quippe quæ cervis, damis, apris, leporibus, lupis, vulpibus, aliisque, & omnis generis avibus abundent.

Genealogia. *Bernardus* Magni Torquati filius, in divisione cum fratre Henrico facta, Lunæburgensem Ducatum accepit, cui emptione adjunxit Comitatum Homburgensem cum urbibus, oppidis & pagis annexis; obiit hic Bernardus anno 1434; filios habuit Othonem Claudum, maritum Elizabethæ filiæ unicæ Comitis ab Eberstein & Domini de Lippe (quæ hoc Comitatu illius familiam adauxit) mortuum absque prole, &

Fridericum Religiosum, mortuum Cellæ an. 1478. Filii ejus fuerunt Bernardus & Otho, qui ambo vivente patre successive Ducatum administravere; mortui ambo ante patrem.

Henricus Othonis filius successit avo, & decessit an. 1532. Filios sustulit è conjuge Margareta Ernesti Saxoniæ Ducis filia, Othonem, è quo Duces Lunæburgici de Harburg orti sunt, Franciscum Dominum in Gifhorn, mortuum an. 1549 sine mascula prole, & Ernestum Ducem Lunæburgensem in Cella.

Ernestus, ducta in uxorem Sophia Henrici Ducis Megapolitani filia, obiit Cellæ an. 1546, è quo nati sunt Franciscus Otho natus an. 1530, maritus Elizabethæ filiæ Ioachimi II, Electoris Brandenburgici, & denatus tertio post nuptias mense,


DVCATVS LVNEBVRGENSIS Adiacentiumq; regionum delineatio.
Auctore IOHANNE MELLINGERO.
Milliaria Germanica communia
Milliaria Gallica communia
Septentrio
Meridies
Occidens
Oriens
HOLSATIÆ PARS
SAXONIAE PARS.
MEKLENBVRGICI DVCATVS PARS.
Albis flu.
Hamborg
Harborg
Staden
Boxtehude
Lunenborg
Bardewick
Winsen
Lauenborg
Boitzenborg
Domitz
Lintze
Wittenborg
Vörde
Das Lange Moor
CANABVLÆ LVNABVRGICÆ.
Soltower heide
Lunenborger heide
STIFT Bremen
Achem
Oldenborg
Pars Comitatus Delmenhorst
Oldenburgensis.
BREMEN.
Vilurgis flu.
STIFT VERDEN
Rodenborg
Verden
Vltzen
Soltwedel
Marchiæ Brandenburgensis pars.
Gardelegen
Gaedelische heide
Ofterburg
Pickesteiner heide
Gifhorn
Wolffsburg
Fallersdebe
Kalför
Zell
Aller flu.
STIFT MVNSTER
COMITATVS DIEPHOLT.
Diepholt
Nienborg
COMITATVS HOYENSIS
Hoye
Stoltenow
Newstadt
Minden
Stift Osenbrugge.
STIFT MINDEN.
COMITATVS SCAWENBVRGENSIS.
Stadhagen
Schowenborg
Hannover
Hameln
Hildesheim
Pars Ducatus Brunsvicensis.
Brunswig
Wolfenbuttel
Helmstadt
Marienborg
ARCHIEPISCOPATVS MAGDEBVRGENSIS PARS.
Magdeburg
Amstelodami, Guiljelm. Blaeuw excudit.

anno 1559; Fridericus, mortuus anno 1553; Henricus, è quo Duces Lunæburgici de Danneberg, &

Guilielmus Dux Lunæburgicus, Cellæ natus an. 1535, qui uxorem duxit Dorotheam filiam Christiani III, Regis Daniæ, & obiit an. 1592; relictis septem filiis & octo filiabus, quorum natu major

Ernestus an. 1564 natus, patri successit, concesso fratribus annuo aliquot millium thalerorum reditu, qui mire concordes fuere, ita ut novum concordiæ fraternæ exemplum essent. Inter hos fortitudine eminuit Princeps Georgius, qui ultimis Germaniæ bellis Achillis Christiani cognomen apud Scriptores meruit. Ernesto mortuo an. 1611, successit frater

Christianus, sub quo Principatus Grubenhagen Ducatui Lunæburgensi annexus fuit: decessit an. 1633. Hunc secutus est alius frater,

Augustus, Episcopus Ratzeburgensis, qui anno 1636 obiit. Regimen suscepit frater

Fridericus, Coadjutor Episcopatus Ratzeburgensis, & Prior præcipuus Bremensis, obiit anno 1648.

Christianus Ludovicus, Georgii, ex Anna Eleonora Landgravii Hassiæ filia, filius, successit patruo, concesso fratri Georgio Gulielmo Principatu Kalenbergensi cum urbe Hanover.

Iuris forma.

Sed quanquam Lunæburgicus Ducatus quasi cor & intimum sit Veteris Saxoniæ, neque incolæ minus generosi, affabiles, casti & fortes veteribus Saxonibus, alio tamen Iure utuntur, & ad statuta Imperialia & Pontificalia se plurimum dirigunt: sunt tamen urbes, quæ sua jura, & statuta habeant. Principes quoque egregia decreta constituerunt, quæ causas Ecclesiasticas & civiles spectant: Ecclesiasticæ in Theologorum & Iurisconsultorum Consistorio deciduntur; civiles vero & criminales in Cancellaria determinantur, cujus caput Ducis substitutus; Cancellarius, Consiliarii, aliique, populi lites cognoscunt, & summa æquitate dijudicant. Præterea conventus certo tempore indicuntur in aulam, ad quos unusquisque appellare potest, si non ante ad Cancellos appellaverit. Potest equidem hinc appellari ad Cameram Spirensem, ubi lis duo florenorum millia excedit.



BRVNS-

BRVNSVICENSIS DVCATVS.



Runsvicensis ditio est amplissima, à Magdeburgensis & Halberstadiensis Diœcesis finibus, & ab Hercynia silva ad Albim usque excurrens. Crevit suis successibus, uti solent rerum magnarum parva esse principia. Ex vico facta est urbs, inde abiit in Comitatum, ac tandem sub annum Christi 1230 factus est Ducatus à Frederico II Imperatore, divisa tunc ea ratione Saxonia, ut Ducibus Brunsvicensibus ex domo Saxonica ortis magna admodum Saxoniæ pars cederet, Saxoniæ vero Ducibus cum magno titulo exigua ditio superesset.

Origo.

Qualitas.

Regio adeo fertilis est, ut plurimis in locis aristæ longitudine sua hominem equo insidentem superent; vinum autem hic nullum provenit, & valde carum est; qua de causa pauci illud bibunt, cerevisia quæ ibidem coquitur, contenti: hæc autem adeo bonæ notæ, ut plurimas Europæ regiones nominis sui fama impleat, **die Brunswеiger Momm** dicta. Incolæ quoque ultra hanc adeo lardo, carni salsæ, aliisque similibus duræ digestionis cibis indulgent, ut non nisi summo cum dolore iis carere possint. Affabiles aliàs, humani & hospitales: religio illis Lutherana. Nobilium hic tanta copia, ut nullus in Germania Princeps parvo spatio temporis majorem equitatum colligere possit: quippe Dux Brunsvicensis ex Ducatu & Episcopatibus suis ad undecim millia equitum armis equisque optime instructorum intra paucos dies ostentare potest.

Mores.

Metropolis Brunsvigia.

Metropolis ejus est *Brunsviga*, condita à Brunone Saxoniæ Duce, à quo etiam nomen habet. Frater ejus Danewertus vel Tanquardus arcem condidit, quam de suo nomine Danckwerderodam appellavit. Hæc nunc pene collapsa est. Templum B. Iacobi iidem fratres exstruxisse perhibentur. Nova urbs Brunsviga autorem habet Henr. Aucupem. Templum vero quod in ea est cathedrale, fundavit Henricus Leo, qui idem S. Catharinæ ædem struxisse dicitur. Tanta nunc ejus est præstantia, ut neque magnitudine, neque pulchritudine, neque victus commoditate ulli civitati in Germania cedat. Duo millia passuum complectitur suo ambitu, tantumque fere patet latitudine, quantum longitudine. Ad Orientem habet Diœcesin Magdeburgensem, ad Meridiem nemus Hattonicum, quod pars est sylvæ Hercyniæ. Occasum versus est Episcopatus Hildeshemius. Ad Arctum Ducatus Luneburgensis. Vrbem perlabitur fluvius Onacra, ortus ex silva Hattonica. Mœnia habet duplicia, fossas duplices, fora quinque, totidem prætoria & Magistratus. Cives libertatis amantes sunt, opifices industrii: Magistratus gravis & prudens. Anno Christi 1229 mortuus est Dux Henricus Elector Palatinus, Dominus Brunsvicensis, relictis post se duabus filiabus, quæ urbem Henrico Cæsari Friderici filio vendiderunt. Permoleste id tulit Otto Luneburgi Dux, ad quem hæreditatis jure urbs pertinebat. Itaque manu duorum millium equitum contracta, adjuvantibus civibus clam urbem invasit, & cum præsidiario milite conflixit, eumque expulit. Inde habita ad cives oratione promisit ampla ipsis privilegia, si se reciperent, quæ etiam admissus dedit. Hinc tanta urbi libertas. Reconciliatus Frederico Imperatori Otto Ducis titulum obtinuit, & eorum, quæ fecerat, confirmationem. Anno Christi 1292, defuncto Guilielmo, distracta est civitas in factiones duas. Populus enim Tribunos plebis constituerat, qui se Senatui opponerent, quoties aliquid statueretur, quod ipsis displiceret. Forte autem decretum fuit aliquid, in quo civium maxima pars Senatus partes sequebatur, Tribus vero sententiam Tribunorum suorum duodecim, quos ipsi elegerant; quumque eo tempore in urbe esset Henricus Dux, cognomento Mirabilis, qui Tribunos istos plebis cum suis tuebatur, tribunitii sigillum literasque ei tradiderunt, rogaruntque ipsum, ut quum senior esset, præ minore fratre civitatem obtineret. Ægre id tulit Senatus cum meliore civium parte, quocirca fœdus ipsi cum Alberto fratre minore fecerunt clanculum, eumque noctu in urbem admiserunt. Is occupata Curia novæ urbis Præfectos tribuum capit & urbe pellit. Capit & duodecim viros, atque ex his decem suspendit, uni caput detruncat, duodecimus fuga sibi consulit. Etsi vero noctu urbem invasisset, militesque duxisset prædæ avidos, ita tamen eos cohibuit, ut nemini civium injuriam fecerint, aut cujusquam bona rapuerint. Vrbe potitus, præsidia disposuit necessaria, & evocatos ad se rerum novarum studiosos ita oratione delinivit, ut eum fratri majori prætulerint, Dominumque agnoverint, pulso Henrico Mirabili. Anno Christi 1492 ingens dissidium extitit inter Henricum Seniorem & civitatem, ob bona, quæ in agris possidebat respublica Brunsvicensis. Cum enim ab ea postularet, ut communia onera cum reliquis sibi subditis ferret respublica, utque solveret vectigal mercium, quæ vel importarentur, vel exportarentur, neutrum obtinuit. Orto itaque bello & obsessa irrito conatu urbe, cum eadem certis legibus in gratiam rediit. Anno 1542 ab Henrico Iuniore Duce Brunsvicensi oppugnata iterum & divexata urbs fuit: cum nullum sanis pacis consiliis locum relictum videret, imploravit opem Ioannis Frederici Electoris Saxoniæ, & Philippi Lantgravii Hassiæ, quorum fœderata erat. At hi justo exercitu arcem *Wolfenbuttel* invaserunt, eam-

Termini.



DVCATVS
BRVNSVICENSIS
fereq;
LVNÆBVRGENSIS,
Cum adjacentibus Episcopatibus, Comit. Domin. etc.
DESCRIPTIO GEOGRAPHICA,
per annos aliquot concinnata, et Rev.mis Ill.mis ac Cels.mis Principib. ac Ducib. Brunsvic. et Luneburg. dicata ab observatore et Elaboratore Casparo Dauthendey Architecto et Mathematico Guelphico.

Spectator, Extrema cujusque territorij ac dioeceseos, leviter partim determinata, ac proinde minus certa dijudicanda esse scias: Per sextantem autem Astronomicum 6. pedes longũ, in aula Guelphica Poli elevat. supra 52. gradus, inter 9. et 10. minuta exactissime se observasse, et super hanc basin totius Tabulæ structuram erexisse scribit auctor.

1 2 3
Milliaria Germanica communia

DVCATVS LVNENBVRGENSIS PARS.
MARCHIÆ BRANDENBVRGENSIS PARS.
Hoye Comitatus pars.
Schawenburg Comit.
Steinhuder Meer
Der Dielter sylva
Der Sintel
Spiegelberg Com.
Der Hils
Solling sylva
Corvey.
Stift Minden.
HILDESHEIM STIFT.
Der Elm
MAGDEBVRGENSIS ARCHIEPISCOPAT. PARS.
Der Heu
Halberstadt
Stift.
Wernigeroda Com.
Rheinstein Comit.
Auf dem Hartz Waldt.
GRVBENHAGEN
Hohenstein Comit.
FVRSTEN: ANHALT DOM: Pars
Mansfeldiæ Comit.
Stolberg Comitat
Das Eichsfeldt.
HASSIÆ PARS.
THVRINGIÆ PARS.

55

eamque in fidem ſuam redegerunt pulſo Duce. Religionem quoque mutarunt, civibus ad eam rem operam ſuam accommodantibus. Anno Chriſti 1550 obſedit eam iterum Dux, quumque in alterum uſque menſem duraſſet obſidio, jamque annona ingraveſceret, edicto Cæſaris ab armis diſcedere utraque pars juſſa eſt, & controverſias ſuas jure diſceptandas committere. Tandem anno 1615 obſidione urbem cinxit Henricus Iulius, evocatis etiam in auxilium copiis Regis Daniæ Chriſtierni, affinis ſui. Sed quum Anſeatici fœderis civitates ſuppetias ferrent, Ordinesque Fœderati Belgii miſſo Henrico Frederico Naſſovio, Principe Auriaco, & Hollandiæ tum, Zelandiæ, &c. Gubernatore, à partibus civitatis ſtarent, exercitumque finibus Brunsvicenſis territorii admoviſſent, ſoluta eſt obſidio, & concepta quædam perpetuæ ac duraturæ concordiæ capita.

Helmſtatt. Brunsvico nulla urbs dignius ſuccedere poteſt ac *Helmſtadium*, quæ originem ſuam Carolo Magno acceptam refert, à quo precibus S. Ludgeri ſui Concionatoris inducto, anno Chriſti 782 condita eſt, ita ut excepto Bardevico antiquiſſima Saxoniæ urbs ſit. Sita eſt ad amœnum ſaltum *Elmum* dictum, unde aliqui urbi nomen inditum exiſtimant, 4 mill. Wolferbuta diſtans. Anno 1489 comparavit eam magna argenti ſumma Wilhelmus Dux Brunsvicenſis & Lunæburgenſis, ab Antonio Abbate Wehrdenſi & Helmſtadienſi, cui inſequenti anno cives Helmſtadienſes ſacramentum dixerunt. Vrbs, quatenus magnitudinem ſuam, adjunctis ſuburbiis modica eſt, & muris, vallo foſſisque cincta, ita ut olim ſatis munita fuiſſe videatur. Templa in ea inveniuntur tria, Cathedrale S. Stephani, S. Auguſtini, ac S. Walburgis: prius illud S. Stephani ex quadrato lapide ſtructum firmi operis eſt, & grandibus campanis ornatum. In foro quoque Curia eſt, itidem ex quadrato lapide evecta. Extra urbem in fine ſuburbiorum duo eximia Cœnobia ſunt, quorum alterum Orientem verſus à S. Ludgero fundatum, & ejus nomine inſignitum eſt, in quo adhuc primum Oratorium, quod ipſe exſtrui curaverat, conſpicitur, jam modo per 870 annorum ſpatium conſiſtens. Alterum vero virginum Cœnobium Occidentem verſus in amœno monte ſitum, originem Wolfgango Abbati Wehrdenſi & Helmſt. debet; quæ duo Cœnobia urbi non parvum ornamentum adferunt. Plurimum tamen decoris & famæ Academia Iulia adfert, quæ à Iulio Brunsvicenſium Duce anno 1576 fundata eſt; multisque privilegiis ab Imperatore Maximiliano II dotata, ita ut præter conceſſa Academiis Bononienſi, Patavinæ, Pariſienſi aliisque privilegia, illud peculiare habuerit, quod Rectores titulum & dignitatem Comitis Palatini haberent, quo poteſtatem creandi Notarios publicos acceperunt. Filius Iulii Henricus Iulius, primus Academiæ Rector poſt Patris mortem, novum Collegium ex quadratis lapidibus erexit, & Iuléi novi titulo conſecravit: Hujus vero filius Fridericus Vlricus eximia & multis Hebraïcis, Græcis, Latinis, &c. manuſcriptis referta Bibliotheca Academiam ditavit & ornavit. Inter claros in hac Academia Profeſſores Georgius Calixtus enituit

Hannover. Hannovera præcipua Ducatus Calenbergici urbs ad Leinam fluvium in grata planicie, virentibus circumcirca pratis uberibusque campis, & amœno ſaltu cincta, ſita eſt. Multis ab Henrico Leone Saxoniæ Duce privilegiis aucta, quatuor annuas nundinas habet, quæ à Germanis non ſolum, ſed & ab exteris frequentantur. Celebre quoque hic eſt Gymnaſium, in quo ingenia Græca, Hebraïca, Latina & aliis linguis ac artibus liberalibus imbuuntur. Spectantur præterea in urbe tres Eccleſiæ parochiales, tres turres, diverſa orphano- & ptochotrophia, & fons artificioſus, qui rotis quibuſdam aquam in altum agentibus per æreos canales eandem in urbem immittit, ubi dein iterum in altum aqua erigitur, & per 16 canales per totam urbem circumducitur. Maximum civibus ex cereviſia lucrum, quam in exteras regiones devehunt. Regimen urbis 30 perſonis conſtat, inter quas duo Conſules alternis annis & vicibus rempublicam adminiſtrant, quibus unus Syndicus, undecim Senatores & duo Secretarii adjunguntur, ut & ſeptendecim viri qui jurati appellantur, & proprium caput habent, cujus officium novum Conſulem, novum Senatum, &c. eligere, & providere, ne quid reſpublica detrimenti accipiat. Nuperis bellis à Duce Georgio fortiſſimis propugnaculis undique munita, hoſtium vires tuto eludere poterit.

Wolffenbüttel. *Wolferbuta* Arx celebratiſſima, cum adjunctis duabus urbibus Henricopoli & Auguſtopoli, inter paludoſa loca ſita, hoſtibus à duobus lateribus accedendi copiam denegat; continua nunc Ducum ſedes. Primus hujus conditor Dux Eckbertus fuit ad annum Chriſti 1046, qui ad Ockeram fluvium pervetuſtam illam & rotundam turrim condidit, quæ etiam nunc ibidem conſpicitur. Exinde à diverſis Principibus aucta & munita, tandem ab Auguſto anno 1642 tantopere munimentis, ſtructuris & eximiis ædificiis in id faſtigium evecta eſt, ut præcipuis urbibus annumerari mereatur.

Anno 1568 *Iulius*, conditor Academiæ Iuliæ, Erico Iuniori ſuccedens, ditionem Brusvicenſem, Calenbergenſi domui adjunctam occupat: quam in duas regiones uſitate diſtinguunt. Superior, Tranſylvana, Gottingam metropolim, & Mundam ad Viſurgis & Fuldæ confluentem, Senatus aulici ſedem, Ericoburgum & alias arces ac præfecturas circiter viginti continet. Inferior, Deiſtro, & Leinæ fluviis interjecta, civitates Hannoveram, Neapolim, Hamel, Munder, Bodenwerder, Pattenſen, Wunſtorff, Grunam, Lawenſtein, arcem Calenberg, &c. complectitur. *Leina* vero fluvius in ditione Hennebergenſi, ad pagum ὁμώνυμον, uno milliari ab oppido Meiningen verſus ortum ſcaturiens, longis ambagibus tandem in Ducatu Brunsvicenſi urbem *Gottingen*, Alfeld, Grunaw, Calenberg, *Hannover*, Neapolim, alluit. infra quam, prope pagos Ducatus Luneburg, Bothmar & Alden, nobilium ſedes, uno ſupra Retham milliari, in Alleram illabitur, atque inde Verda, Epiſcopi ſede prætervecta, Viſurgi tandem miſcetur. *Deiſter*, non

non fluvius sed sylva est, & mons ingens, in Comitatu Schaumburgensi exurgens, & Calenbergam arcem versus aliquot milliaria porrectus. Alius vero est Vnster fluvius, supra Goslariam ex Hercynia promanans, qui Hildesiam & Sarsted oppidulum; sesquimilliari Hildesia distans, allabitur, nec procul inde à Leina fluvio absorbetur. *Allera* vero, in Diœcesi Magdeburgensi, prope arcem Egensted, sedem Aschenburgiorum oritur, & Wolffsburgum seu Welforum, clarissimæ familiæ Barteslebiorum arcem, & Cellam aulæ Ducum Luneburgensium, & Verdam Episcopi sedem, præterlapsus; quatuor supra Bremam milliaribus se in Visurgin exonerat, & nomen magno perdit in amne minor.

Duces Brunsvicenses.

I. Otto Primus dictus Puer titulum Ducis à Friderico II Imperatore consequutus, ad Brunsvicensem Ducatum augendum ornandumque animum applicuit, emptis partim, partim ab Imperatore dono acceptis agris permultis. Luneburgensibus leges & jura dedit. Obiit anno 1252. Vxorem habuit Mechtildem filiam Alberti Marchionis Brandeburgici: filias quatuor, Helenam, Alberti I Saxoniæ Ducis uxorem: Elisabetham nuptam primum Henrico Lantgravio Hassiæ, postea Guilielmo Hollandiæ Comiti, electo Romanorum Regi: Agnem Wenceslai conjugem Rugiorum Principis; & Machtildem Henrici Senioris Ducis Anhaltini.

II. *Albertus Magnus* divisa post obitum patris ditione factus est Brunsvicensis Dux; vir fuit belli amans. Condidit Hartburgam & Otterspergam. Obiit anno 1279, sepultus est Brunsvigæ. Vxores ei fuere, prior quidem Elisabetha, filia Henrici II, Ducis Brabantiæ: posterior vero, Alexia filia Aldobrandi II, Marchionis Estensis ex Anna Scaligera. Frater Alberti Ioannes, Dux fuit Luneburgensis. Is urbi jura, leges, immunitates dedit.

III. *Albertus Pinguis* Gottingam initio habuit: post obitum vero fratris Guilielmi etiam Brunsvigam, diu admodum prudenterque rexit, charus suis, obiitque anno 1319. Vxor ei Rexa Vandalorum Ducis filia. Ab Henrico porro profecti sunt Duces Brunovicenses Grubenhagii. Ab Alberto vero Pingui usque adhuc sequitur perpetua series Ducum.

IV. *Magnus* Alberti filius uxorem duxit Agnem filiam Henrici, Marchionis Brandeburgici, qui *sine terra* dictus est, auctusque per uxorem oppidis Sangershausen, Potersberg, Lechstaet, & Lansperg, aliisque aliquot.

V. *Magnus Torquatus*, Brunsvicensis & Luneburgensis Dux, nomen ex eo habuit, quod argentea catena insignis semper incederet. uxor ei fuit Catharina filia Waldemari, Marchionis Brandeburgici.

VI. *Henricus* Dux Brunsvicensis, ac sequentium Ducum caput, Princeps fuit singulari virtute. Obiit anno 1416; uxor ejus prior fuit Sophia, filia Vratislai Ducis Pomeraniæ; posterior Margareta, filia Hermanni Lantgravii Hassiæ. A fratre Henrici Berkhardo profecti sunt Duces Luneburgenses, quorum illustre nomen etiam nunc viget floretque.

VII. *Guilielmus Victoriosus*, à septem prœliis, quibus victor evasit, ita dictus fuit. Hic patruo suo Bernhardo Torquati filio ex pacto concessit Ducatum Luneburgensem, servato sibi Brunsvicensi; vixit annos nonaginta: uxor ei Catharina, filia Friderici primi, Electoris Brandeburgici.

VIII. *Guilielmus Iunior*, uxorem habuit Elisabetham filiam Botonis, Comitis Stolbergici. Obiit ipse anno 1495.

IX. *Henricus Senior*, Henrici Senioris frater, Guilielmi filius, Princeps bellicosus. Obiit autem in Frisia in obsidione arcis Otthæ, ictus globo tormentario anno 1514. Situs est Brunsvigæ ad S. Blasium. Vxor ei fuit Catharina filia Erici II, Ducis Pomeraniæ. Ericus vero Junior uxores habuit Sidoniam filiam Henrici, Ducis Saxoniæ; & Dorotheam filiam Francisci, Ducis Lotharingiæ.

X. *Henricus Iunior*, Senioris filius, natus est anno 1484. Adultus maximam occupavit Episcopatus Hildeshemiensis partem. Suppetias tulit Georgio Saxoni, & Philippo, Lantgravio Hassiæ, in tumultu Rustico. Obiit anno 1568. Vxor ei prior filia Henrici, Comitis Wittenbergici; posterior Sophia, filia Sigismundi, Regis Poloniæ. Fratres ejus functi sunt Ecclesiasticis dignitatibus. Christophorus & Georgius, fuerunt Archiepiscopi Bremenses; ille ab anno 1551 ad annum usque 1558. Hic ab anno 1566 deinceps. Fridericus fuit Episcopus Mindensis. Ericus Commendator Teutonicæ Domus. Guilielmus Commendator Mirovienfis.

XI. *Iulius* natus anno 1528, & à patre infulis destinatus, post obitum fratrum majorum Ducatum suscepit. Academiam Helmestadii erexit, anno 1576, quæ ab ipso felici augurio *Iulia* dicta, æternam servat virtutis ejus laudem. Ad hunc etiam devoluta sunt bona Erici Iunioris, qui sine prole extinctus est anno 1584. Porro Iulius post vitam laudabiliter actam, obiit tandem anno 1590. Vxor ei fuit Hedwigis, filia Ioachimi II, Electoris Brandeburgici.


XII. *Henricus Iulius*, postulatus vivente patre Episcopus Halberstadensis, & ejusdem post mortem successor, è posteriore conjuge Elisabetha, Friderici, Regis Daniæ filia, filios sustulit Fridericum Vlricum anno 1591, Christianum anno 1599, Bello Palatino-Bohemico Ducem clarissimum, & Rudolphum, anno 1602.

XIII. *Fridericus Vlricus*, Patri succedens, obsedit Brunsvicum, irrito conatu. Obiit hic Princeps sine prole, 11 Augusti anno 1634: & in ipso linea Brunsvicensis, scilicet à Wilhelmo Victorioso descendens, finita est: succedentibus agnatis Luneburgensibus: quorum Seniori Augusto, qui antea Dannebergæ resederat, pars Ducatus Brunsvicensis, illa quæ Guelferbytana dicitur, cessit; pars altera, cui Calebergensis appellatum nomen, filiis Georgii, Saxoniæ Inferioris generalis, obtinetque illam hodie

XIV. *Georgius Wilhelmus*, Hannoveræ residens, redditam scilicet ipsi à fratre majori Christiano Ludovico, cum huic Luneburgensis, parte Cellensi, Ducatus obvenisset.

ARCHIEPISCOPATVS MAGDEBVRGENSIS.

Termini.



Rchiepiscopatus Magdeburgensis circa Albim fluvium maxime situs, & inter decem Episcopatus, quos in Saxonia Carolus Magnus instituit, celeberrimus, ab Oriente Saxoniam & novam Marchiam Brandenburgensem, à Septentrione veterem Marchiam, ab Occidente Brunsvicensem Ducatum, à Meridie vero, Halberstadiensem Episcopatum & Anhaltinum Principatum respicit.

Archiepiscopatus.

Primum Stydæ sedem habuit, in Comitatu Dominorum de Schwaleworch, qui nunc de Lippia appellantur, ac postea translatus est ad Watersleve, ac tandem per Ottonem I Imperatorem, anno 930 *Magdeburgum* ad Albim, flagitante id uxore Editha. Hæc enim locum istum, quod esset dotalitius, quodque ipsa amœnitate & commoditate ejus delectaretur, dilexit. Precibus ergo contendit ab Imperatore marito, ut sibi urbem illic condere liceret: neque id difficulter impetravit. Mulier ergo in agro dotali urbem conditura, unde potuit commodius nomen petere quam à sexus sui flore? Vocavit igitur Magdeburgum à virgine, plane ac si dicas παρθενόπολιν, & signum urbi dedit, virginem in arce stantem cum serto virginali. Vrbem quoque ipsam impetratis ab Ottone privilegiis ornavit, effecitque ut negotiatores in Albi flumine prærogativas multas haberent. Instituit quoque nundinas, & Episcopalem sedem transtulit de *Watersleve*, uti supra dictum, ubi eam pater ante collocarat, in novam hanc urbem, impetravitque ei à Pontifice jus Archiepiscopatus, ut esset omnium Vandalicarum urbium Metropolitana, haberetque sibi subjectas Ecclesias Mersburgensem, Misnensem, Citzensem, Havelbergensem, & Brandeburgensem. Ipsa vero Imperatrix Editha post obitum (sic enim jusserat) sepulta est Magdeburgi, in cœnobio Benedictinorum, anno 948. Cœperat quidem Carolus Magnus locum illum, quod commodus esset mansioni suæ, & figendæ sedi belli, ornare, itaque & B. Stephani templum illic condidit, quod postea una cum oppido ab Hunnis vastatum est, & arcem fecit, quam Witekindo donavit: & Burggraviatum illic constituit, & Rulandi statuam ingentem erexit, quæ etiamnum in foro conspicitur. Cathedrale templum Mauritio dicatum votivum est. Episcopatus in Archiepiscopatum ab Ottone mutatus est. Anno 1566, cum supremum Collegium Magdeburgense, penes quod eligendi potestas est, abolita Catholica, Augustanam amplecteretur religionem; nec jam Archiepiscopum Pontifici Maximo addictum, sed suæ religionis Principes expeteret; Administratorem Primatus & Archiepiscopatus designarunt Ioachimum Fridericum, Ioannis Georgii Electoris Brandeburgici filium, eo tempore, unicum, præscriptis à Collegio supremo Ecclesiæ cathedralis Magdeburgensis conditionibus & articulis certis, ab ipso & patre Ioanne Georgio Electore Brandeburgensi approbatis, & jurejurando electi Episcopi confirmatis. Quibus, se collegii supremi, & reliqui cleri, ac Provincialium, Regalia, privilegia, statuta, consuetudines, bona, possessiones, jura & libertates clementer ac fideliter tueri ac defendere, nec quidquam inde decerpere, alienare, vendere, permutare velle, sine peculiari supremi collegii consensu promittit. Inprimis vero, salinarum bona ad mensam Archiepiscopi destinata, nulli conferet, donabit, vendet, aliave ratione alienabit. Arces Archidiœcesis & prædiorum ædificia sarta tecta servabit. Nihil sibi in Prælatos, Canonicos, & alios ecclesiasticos eorumque ministros juris sumet, nisi quantum antiquitus receptum est, ac si quid adversus illos actionis habebit, coram collegio supremo proponet & transiget. Canonicorum hæreditates ab intestato vel ex testamento relictas, nulla ratione vindicabit, sed collegio, veteri more disponendas relinquet. Nulli civitati vel privatis, nova privilegia inscio vel non assentiente collegio dabit. Beneficia ecclesiastica cum vacabunt, mense ordinario, Collegia, sicut antiquitus receptum est, suis electis conferent, & possessionem, Archiepiscopo non impediente, tradent. Qui omni diligentia curabit, ne beneficia extinguantur, profanentur, vel in alios usus insolentes convertantur. Prælaturas & dignitates vacantes ab Archiepiscopo conferri solitas, intra mensem, Canonico habili, & in legitima possessione majoris præbendæ existenti & capitulari deferet. Nullas exactiones novas, non præsciente & assentiente supremo templi collegio & archidiœcesis ordinibus, instituet, ac imponet. Cum comitia ordinum Provinciæ indicenda erunt, supremum collegium, de capitibus proponendis & tempore indictionis, ante deliberabit. Pecuniam ad dissolvenda Archidiœcesis debita, in proximo conventu Calbensi, ab ordinibus promissam, in nullos alios usus quam in conventu decretum est, converti mandabit. De cujus pecuniæ administratione, delecti ex ordinibus, in supremo collegio, adhibitis Archiepiscopi consiliariis, rationes reddent. Omnia vasa argentea, literas originales, & alia ad Archiepiscopi mensam pertinentia, juxta tenorem Inventarii fideliter servabit. Collegii supremi, sede vacante, acta, & collationes, ratas habebit. Nullam munitionem novam

novam ædificabit, nec bellum ullum movebit, nec fœderi ulli se, absque collegii & provincialium consensu implicabit. Refragante actionibus Archiepiscopi collegio, nulla à Cæsare vel Pontifice decreta aut confirmationes obtinebit, quæ etiam impetratæ nullius momenti erunt. Gubernationem & Cancellariam, de consilio Collegii, ita instituet, ut justitia omnibus æqualiter, nulla intercessionum à cognatis vel peregrinis Principibus ratione habita, administretur. Omnes transactiones, decreta comitiorum provincialium, & alios contractus, consensu Collegii antea initos, principali fide servabit & exequetur. De oppido & præfectura Eglen, quod à Cardinali & Archiepiscopo Alberto supremum Collegium emit, evictione prestabit Collegio vel aliis, & Camera Archiepiscopi literis promissos reditus tempestive solvi curabit. Collegii legatis, hospitium & victus in Archiepiscopi arcibus non negabitur. Si Collegium à Senatu & communitate Magdeburgensi, ut antea accidit, ex urbe pelletur, unam ex Archiepiscopi arcibus cum reditibus, excepta Giebichstein, ipsis inhabitandam & fruendam tradet, donec controversiæ componantur. Arces Archiepiscopi aliis oppignoratas redimet, vel à collegio redimi permittet. Servitia nova, intra decennium, monasteriis & aliis subditis imposita, abrogabit, nec collegii subditos servitiis premet. Ministros etiam Collegii, non requisito antea capitulo, captivos duci non permittet. Reditus cœnobii S. Georgii in Salinis ad pios usus convertet. Reliqua monasteria omnia, in præsenti statu conservabit, & rationes annuas de illorum administratione, adhibitis aliquot Collegii personis, sumet. De cœnobiis, quæ ad mensam Archiepiscopi translata sunt, quantum antiquitus singula ad Imperii & Provinciæ onera sublevanda contulerunt, Archiepiscopus delectis ex ordinibus solvet. Præfectis & Iudicibus mandabit, ut reditus annuos, à subditis Archiepiscopi ecclesiasticis & politicis debitos, maturius quam hactenus pendi curent. Sylvas Archidiœcesis non claudet, nec lignationibus immoderatis vastari sinet. In comitiis imperii sessionem suam tuebitur, & in præstatione contributionum imperii, Archidiœcesin gravius quam antiquitus receptum est, onerari non sinet. Capitanei arcibus Giebichstein & Mauritii nulli nisi indigenæ, & de consensu supremi collegii præficiantur: cui collegio etiam jurare juxta antiquam formam, eamque scriptam sigillo confirmatam tradere teneantur. Similiter cæterarum arcium præfecti, intra octiduum juramento se collegio obligabunt. Quo tantisper tenebuntur, donec successor juramentum renovabit. Ad omnes præfecturarum rationes audiendas, Archiepiscopus ex supremo collegio aliquos adhibebit. Ministros collegio pertinaciter adversantes, & domino suo & Archidiœcesi infideles, ex aula & præfecturis removebit: nec sede vacante à Collegio remotos, unquam recipiet. Nullis oppignorationibus feudorum archidiœcesis, consensum, ultra triennium, sine expresso collegii consensu, dabit. Coadjutorem eligere, cum necessitas flagitabit, collegium supremi templi, cum Archiepiscopo poterit. De successione, cum nemine mortalium, collegio non assentiente, tractabit. Facta resignatione ad manus capituli, præfecturas non spoliabit. Negotia gubernationis, debitorum, & alia hæreditariarum ditionum, cum Archidiœcesis debitis & negotiis non miscebit. nec aliter Archidiœcesin possidebit quam antiquitus usitatum est, & beneficiorum, taliumque bonorum ecclesiasticorum natura requirit. Ad quam conditionem forma juramenti subditorum, prioribus Archiepiscopis & Collegio supremi templi, tanquam veris & hæreditariis dominis, sede vacante, præstiti, deinceps etiam dirigetur. Summam pecuniæ à Senatu & communitate Magdeburgensi, Cæsareæ Majestati & Imperio, ratione reconciliationis debitæ Collegio à Cæsare destinatam, sine ullo Archiepiscopi impedimento, Collegium accipiet. Quod si de superioribus articulis disputationes cum Collegio incident: duo ex Consiliariis & duo ex Collegio, cum plena potestate rei componendæ arbitri erunt. Inter quos si non conveniet, Collegio alicui Iureconsultorum acta decidenda mittent, & in judicio acquiescent. Quod si Collegium & reliqui Clerici, antiqua consuetudine & ordinatione Episcoporum, plus juris quam in his articulis expressum est, habebunt, id quoque firmiter & inviolate eis servabit. Cumque diœcesis Halberstadiensis, à Magdeburgensi sejuncta sit, de consilio Collegii aulam contrahet, ne nimia frequentia novis debitis contrahendis occasionem præbeat.

Postremo, cum futuris temporibus Electoris Brandeburgensis dignitas, & ditionum Brandeburgicarum administratio, ad Ioachimum Fridericum, velut legitimum successorem perveniet: omni Archidiœcesis Magdeburgensis administratione abstinebit: omniaque jura, quæ in ea habuit, omnino extincta & abolita erunt. & sine ulla recusatione vel mora, in Collegii supremi, sicut sede vacante fieri solet, potestate erunt: quod alium Archiepiscopum vel Administratorem, sine ullius impedimento, eliget. Nec juramentum, ab ordinibus, officiariis, & subditis Archidiœcesis sumptum, ulterius quenquam obligabit, sed vigore hujus transactionis ipso facto cassum & irritum erit.

Et sic quidem cum Archiepiscopis transactum: anno autem 1631, ex Cæsarea voluntate à Generali Comite à Tilly obsessa urbs, post fortissimam aliquot mensium defensionem tandem vi capta, & proh dolor! pulcherrima hæc urbs, totius Germaniæ ornamentum, tota incensa, exusta, deleta est, cum horribili templorum, domuum, hominumque strage; superfuisse certe ex tanta multitudine civium soli quadringenti feruntur, quibus deinde reædificanda relicta est.

Oppida. Reliqua Magdeburgensis Archiepiscopatus oppida sunt: *Stasfurt* ad Budam fluvium situm, unde illi proprium antea nomen *Statio Portus ad Budam*, quod mutatione temporum & populorum in *Stasfurt* mutatum fuit. *Saltza*, inter Magdeburgum & Barby situm oppidum, à salinis nomen accepit, quæ ibi frequentes; ultimis bellis aliquoties direptum est: *Offensleben*; *Lebus*, *Hundesburg*,


MAGDEBVRGENSIS
ARCHIEPISCOPATVS.
Milliaria Germanica communia.
Septentrio
Meridies
Occidens
Oriens
DUCATUS BRANDEBURGENSIS PARS.
EPISCOPATUS MAGDEBURGENSIS.
BRUNSVICENSIS PARS.
STIFT HALBERSTADT.
COMITAT BARBY
ANHALT FURSTENTHUMB
SAXONIÆ SUPERIORIS PARS.
Magdeburg
Halberstatt
Helmstadt
Schoningen
Stendel
Tangermund
Gardeleben
Arneburg
Havelberg
Sandow
Rathenow
Plawe
Alt Brandeburg
Gentin
Barby
Quedelburg
Osterburg
Seehausen
Amstelædami
G. Blaeu excudebat

56.

desburg, *Drielcb*, *Crosig*, *Calbe*, ad Salam fluvium prope Barby, fertili in solo situm, cui arcem addidit Archiepiscopus Theodoricus ad annum 1367. Anno 1382 Archiepiscopus Ludovicus Marchio Misniæ hic aulam habuit; qui cum tempore Bacchanalium in curia saltationi nocturnæ adesset, ex incuria stramen aliquod ignis arripuit; sed nullius momenti hæc res erat, nisi præ trepidatione omnibus ad scalas accurrentibus, illæ multitudini non pares corruissent: quo casu Archiepiscopus cum duobus aliis oppressus est: *Biliz*; *Wolmerstett*, ad Albim situm cum arce oppidum, ubi Ora eidem confluit. Anno 1642 incendio deletum est; *Wansleben*, cum arce, quæ sæpius oppidum discrimini exemit, hostium viribus acerrime resistens.

Vires. Ex reditibus fertur Archiepiscopus ad minimum 50 millia thalerorum annua accipere. Nec ignoravit hoc Ioannes Georgius Elector Saxoniæ, qui secundo sibi natum filium Augustum anno 1626 Coadjutorem Archiepiscopi constituit, qui deinde anno 1638, decedenti Archiepiscopo successit. Titulus quoque Primatis Germaniæ, Archiepiscopo Nortberto ab Imperatore Lothario concessus, etiamnunc usurpatur. Ante quidem, ut reliqui omnes Episcopatus, Romanæ Religioni hic Archiepiscopatus addictus; anno demum 1553 sub Archiepiscopo Sigismundo Brandenburgico Lutheri dogmata assumpsit, quod successor ejusdem Ioannes Fridericus Brandenburgicus ibidem confirmavit; exinde alii aliqui fuerunt, qui Calvini opinionem amplexi sunt.

Comitatus Barby. Complectitur præterea hic Archiepiscopatus Comitatum *Barby*, cujus caput urbs *Barby*, ad Albim fluvium, non longe à Salæ confluente, sita est, cum adjuncta arce, quæ Comitum semper sedes fuit; anno 1636 à Bannerio Suecorum Generali vi occupata & direpta est.

ARCHIEPISCOPORVM MAGDEBVRGENSIVM SERIES.

1 ADelbertus Treviris evocatus factus est primus Archiepiscopus Magdeburgensis anno 968, unctus à Præsule Moguntino.

2 Giselarius electus anno 981 sub Ottone II. Vir bellicosus 30754 Slavos Diœcesin Havelbergensem, Brandeburgensem, & Gizensem diripientes, fudit, adjutus à Principibus Saxonicis. Eum Otto III Simoniæ accusavit, quod præter Magdeburgensem Archiepiscopatum in se quoque transtulisset Episcopatum Merseburgensem.

3 Dago anno 1004 magna accessione auxit Episcopatum. Templum Cathedrale absolvit. Cæsar Otto III summo frigore & nive alta solenni processione nudis pedibus reliquias Mauritii ex cœnobio Bergensi intulit in Ecclesiam, & in altari deposuit, simulque provinciam Gebichensteyn, quæ ad Halam est, Archiepiscopo dedit.

4 Gualterus electus an. 1014, sedit hebdom. octo.

5 Gero constitutus ab Ottone III, anno 1016. Hic Marchionem Brandeburgicum excommunicavit, mœniaque ab Ottone I cœpta perfecit: mortuus est anno 1024.

6 Hunfridus Henrici Imp. Diaconus. Hic templa B. Petri, Pauli & Nicolai è fundo exstruit.

7 Engelhardus Henrici III Imp. Diaconus, electus anno 1052, obiit anno 1063.

8 Wernerus à Cæsare constitutus, periit ad flumen Vnstrotum, quum fugeret ex prælio Henrici IV cum Rudolpho Suevo, an. 1080.

9 Hardevicus Francus.

10 Henricus, anno Christi 1102.

11 Adelgotus Comes à Loë.

12 Rutgerus, electus à Capitulo anno 1119.

13 Nortbertus. Hic Lotharium Imp. in Italiam sequutus, facundia sua admirabili & prudentia dissidentes inter se Pontifices Innocentium II & Anacletum composuit. Ex quo titulum Primatis Germaniæ adeptus, eundem ad sequentes Archiepiscopos Magdeburgenses transmisit.

14 Conradus Comes Quernfurtensis.

15 Fridericus frater Timonis Comitis Wetini, anno 1143.

16 Wichmannus Comes à Seburg in Bavaria. Hic primus monetam majorem cudisse fertur.

17 Ludolphus electus anno 1194, Philippum Imperatorem juvit adversus Ottonem Brunsvicensem, quem Pontifex Cæsarem salutarat.

18 Albertus Comes Kirbergensis. Hic Pontificis Romani jussu excommunicavit Ottonem Cæsarem, cum eo signa contulit, prælioque inferior vix fuga elapsus est. Paullo post captus, & Gronbergam abductus, liberatus est à civibus Magdeburgensibus & Burg-gravio Burckardo, nobili domino in Quernfurt.

19 Burckardus, defunctus anno 1237.

20 Hildebrandus, qui oppida Crosig, Lebus & Biliz Capitulo adjunxit. Bellum gessit adversus Ottonem Marchionem Brandeburgicum, quem captum mulctavit 1600 argenti marcis.

21 Rudolphus à Dingelstet, Comitatum Alvensleben Diœcesi adjecit.

22 Rupertus, Comes Mansfeldensis à Pontifice inauguratus Iudæos festo Tabernaculorum oppressit, & 60 millia marcarum argenti ipsis extorsit. Zorbecum Capitulo subjecit.

23 Conradus Baro à Sternberg in Bohemia, anno 1268.

24 Guntherus, Comes Sualenberg, sedit an. 1.

25 Bernardus, Comes à Welpe.

26 Ericus Marchio Brandeburgicus anno 1283, oppugnavit Harlingpurgum, sed captus, vix tandem à Senatu ipso redemptus est 500 argenti marcis. Idem Lusatiæ Marchiam fratri suo vendidit. Sub hoc quoque tradidit Albertus III, Elector Saxoniæ & Burg-gravius Magdeburgensis, Burggraviatum civibus, marcis argenti 3000. Factum id anno 1294.

27 Burcardus à Blanckenburg, electus anno 1295.

28 Henricus Princeps Anhaltinus, electus anno 1304.

29 Bur-

29 Burcardus à Schrapelau, homo vanus, contentiosus, & inquies, Magdeburgum obsedit: postea relicta obsidione fœdifragus damna urbi intulit: captus, dimissusque violata sacramenti religione civitatem excommunicavit. Tandem iterum captus dum conatur evadere, in fuga occisus est, anno 1326.

30 Heideccus ab Erpe anno 1327, dum Romam abit pallium petiturus, in itinere mortuus est.

31 Otto Hassiæ Lantgravius Episcopatum egregie auxit.

32 Theodoricus, qui bellum gessit adversus Gerardum Episcopum Hildesheimensem, quo, quamvis vexillum S. Mauritii intulisset in prælium, succubuit.

33 Albertus, Comes à Sternberg, anno 1368. Hic vendidit Lusatiam Cæsari sex millibus marcarum.

34 Petrus de Bruma.

35 Ludovicus Marchio Misniæ, anno 1381. Hic ut Archiepiscopatum Moguntinensem obtineret, voluit administrator Magdeburgensis vocari. Idem anno 1382, dum choreas agitat, in curia orto subito incendio periit.

36 Fridericus ab Hoim, paucos menses præfuit.

37 Albertus, Comes à Quernfurt; qui anno 1383 civium ope expugnavit Bircavium; quod quia multum nocebat Reipublicæ, destructum penitusque exustum est. Sed absente Præsule invasit Diœcesin hostiliter Rudolphus Saxoniæ Dux: quocirca conjunctis viribus Ecclesiastici & Politici ditionem Saxoniæ Ducis depopulati sunt. Post pugnam desiderati sunt multi. Archiepiscopus domum reversus suos redemit, nulla habita civium ratione. Male id habuit Senatum; qui persoluto pro suis lytro significavit Capitulo, se tueri ipsum, si quid periculi nasceretur, non posse. Orta est postea contentio de pascuis, & decimis. Excitata quoque seditio; sed interventu Guntheri Comitis Swartzenburgici, & Ioannis Comitis Quernfurtensis, omnia tandem composita sunt.

38 Guntherus Swartzenburgicus anno 1403, bellum gessit adversus Principes Anhaltinos, ad quod bellum civitas 100 armatos equites expedivit. Circumsedit quoque Koten, oppidum Anhaltinæ ditionis, sed destitit, interponente autoritatem suam Saxoniæ Duce. Expugnavit & solo æquavit Harburgum; cepit arcem Plavensem & Hundelufftum. Anno 1431 civitas à Sigismundo Imperatore jus illud consecuta est, ut nemo civis cujuscumque conditionis, separatim vel conjunctim ad tribunal Cæsareum, vel ad judicium Cameræ citetur; neque ad aliud quam ad Episcopi judicium civile, hoc est, ad Quæstorem & Scabinos veteris urbis Magdeburgensis vocetur, nisi forte denegata cuiquam sit justitia; quo solo casu ad Cæsarem provocare licet. Per idem tempus grassantibus Hussitis cepere Senatores consilium muniendæ urbis, significata primum re Archiepiscopo, rogantes, ut quum unis ipsi quoque mœnibus habitarent, suo sumptu partem illam quam tenebant, munirent. Displicuit ea res Præsuli, qui insidiis suis apertam atque expositam urbem malebat. Cives nihilominus quod cœperant, gnaviter urgebant. Archiepiscopus ubi se nihil profecisse videt, serio mandat, ut munitionem eo præsertim loco factam, quæ ipsorum juris non erat, demoliantur. Cives id recusant, parati aliàs in rebus honestis & æquis morem Capitulo gerere. Exasperati Capitulares collectis thesauris suis urbem deserunt, & Capitulum vacuum relinquunt. Respublica eos in jus vocat, caussamque totam Concilio Basileensi, quod tunc habebatur, dijudicandam relinquit. Interea Magdeburgenses contra adversariorum injurias quibus expositi erant, evocant Ioannem Marchionem Brandeburgicum, Henricum Brunsvigæ Ducem, & vicinas civitates, Halam, Brunsvigam, Quedliburgum, Ascheslebiam, Zervestam, auctique viribus capiunt arcem Tucham, tum Calbam, Statfurtum, Saltzam, Otterlebiam. Præsul contra in Concilio Basileensi, anno 1434 obtinet edictum à Pontifice & Cæsare, quo jubebantur Magdeburgenses omnia quæ Capitulo ademissent, restituere, munitionem protinus demoliri, & Archiepiscopo obedientiam ac reverentiam præstare. At illi partis divites, haud multum morabantur proscriptionis fulmen. Tandem tamen interponentibus autoritatem suam Principibus, compositum est certamen, solutumque vinculum excommunicationis.

39 Fridericus, Comes Bichlingensis. Hic anno 1445 suscepit reformationem monachorum in cœnobio B. Pauli.

40 Ioannes Dux Bavariæ. Hic civitati locum illum dedit, in quo sunt fossæ, inter veterem & novam urbem, versus Albim, usque ad portam quæ *Krockenthor* appellatur.

41 Ernestus Saxoniæ Dux anno 1476 electus, cum quatuor 1000 equitum urbem ingressus est. Postea etiam anno Christi 1479 administrator Halberstadensis factus est.

42 Albertus Marchio Brandeburgicus, qui urbem deducentibus bis mille equitibus ingressus, anno 1513, à suffraganeis suis Merseburgensi, Brandeburgensi & Lebusiensi solemniter inauguratus est. Lutheri dogmata hic doceri cœperunt anno 1524. Anno vero 1539, Archiepiscopus ipse Albertus subditis civitatibus & Nobilitati in Diœcesi Magdeburgensi & Halberstadiensi liberam professionem religionis permisit.

43 Ioannes Albertus Marchio Brandeburgicus adiit dignitatem anno 1545, quo tantum dissidium inter Capitulum & civitatem ortum est, ut Canonici trepidi cum thesauris & mundo omni apparatuque Ecclesiastico aufugerint, & annos tres cum dimidio extra urbem emanserint, sollicitantes interea Cæsarem ut civitatem proscriberet; Principes vero, ut junctis viribus eam oppugnarent. Proscripta ergo est civitas anno 1547 Augustæ in Comitiis, iterumque biennio post, additis ad priorem caussis aliis, una quod se Ioanni Friderico Electori junxissent contra Cæsarem: altera, quod repudiassent formulam *Interimisti-*

cam. Mauritius Saxo cui mandata fuit exſecutio decreti Imperialis, annum totum & ſex hebdomadas urbem obſedit, à 4 die Octobris anni 1550, ad tertium uſque Novembris anni 1551.

44 Fridericus Marchio Brandeburgicus electus anno 1552, eopſe mortuus eſt.

45 Sigiſmundus Marchio Brandeburgicus electus anno 1553. Hic Auguſtanam Confeſſionem primus in templum Cathedrale invexit. Obiit anno 1566, Halæ.

46 Ioachimus Fridericus, Marchio Brandeburgicus, poſtulatus adminiſtrator ſucceſſit 1566, templum Cathedrale quod jam annis pene 20 clauſum fuerat, aperuit. Anno 1577 ceſſit Auguſtus Dux Saxoniæ & Elector omni jure, quod in Diœceſin & urbem Magdeburgenſem eouſque prætendebat. Exceptus eſt tantum titulus Burg-gravii Magdeburgenſis, cum poſſeſſionibus quibuſdam eo pertinentibus: quæ ſibi & hæredibus ſuis reſervavit. Sed Ioachimus Fridericus Archiepiſcopus, præter morem, Cognata ſua, Domina Catharina Brandenburgica, Ioannis Marggravii filia, in uxorem Cuſtrini ducta, anno 1570, Archiepiſcopatus adminiſtrationem nihilominus ſibi reſervavit. teſte Hiſtorico Iacobo Auguſto Thuano, lib. 45. Hiſtor. Succeſſit tandem Parenti ſuo Iohanni Georgio in Electoratu Brandenburgico; at ipſi, filius

47 Chriſtianus Guilielmus, in Archiepiſcopatu Magdeburgenſi, Poſtulatus Archiepiſcopus ſuffectus eſt: qui, conjugali toro itidem inito, Archiepiſcopatui præfuit ad annum uſque 1631; quo currente, & quidem Magdeburgo à Cæſarianis occupato, ipſe captus, Neapolim Auſtriæ deductus eſt: ubi tandem religionem mutavit. In ejus locum

48 Auguſtus, filius Iohannis Georgii, Saxoniæ Electoris, natus anno 1614, die 13 Auguſti, jam pridem, ineunte anno 1628, à Collegio Capitulari in Archiepiſcopum electus fuit: Coadjutor jam anno 1625 factus: cui etiam Archiepiſcopatûs adminiſtratio à Cæſare Ferdinando II fuit confirmata, ex conventione Pacis Pragenſi.



EPI-

HALBERSTADIENSIS EPISCOPATVS.



ALBERSTADIVM putat Irenicus esse Ptolemæi φεύγαρον, sed opinionis suæ caussam nullam adfert: & tamen sequitur ipsum Appianus vir doctissimus. Illud constat, Carolum Magnum, qui ad debellandos domandosque Saxones vim simul externam, & pietatis studia conjunxit, ut non tam sibi populos, quam Christo Ecclesiam inter Paganos colligere crederetur, anno 780 Osterwici magnificum templum B. Stephano sacrum condidisse, & loco nomen boni ominis dedisse *Selingenstadii*, præfecto etiam Episcopo Hildegrino Catalonensi Gallo. Sed quum locus ille minus placeret, transtulisse inde sedem Episcopalem ad confluenteis amnium Albis & Oræ, atque ex eo nomen urbi inditum initio Alborestadium, quod postea transiit in Halberstadium: est autem situ admodum oportuno; nam, præter aquarum commoditates, tanta est agrorum ubertas, ut segetum culmi equitem superent altitudine. Accedit ad hæc nitor & elegantia platearum, ædificiorum splendor, amplitudo fori, & collegiatum Canonicorum sodalitium. Fuit autem in hac Ecclesia diu admodum observatus ritus quidam singularis peccatorem ab Ecclesia excludendi sub Quadragesimam, & resipiscentem admittendi circa festum Paschatis. Eum verbis Raphaëlis Volaterrani describere operæ pretium fuerit. Singulis annis, inquit, eligitur è plebe quidam, qui personam pœnitentis & confitentis agat. Is in capite jejunii Quadragesimalis ad templum adducitur, cultu lugubri, quique pœnitentem deceat, capite obvoluto. Idem post sacrum deinde ejicitur, perque totos dies 40 nudis pedibus vias urbis terit, templorum moles circumit, nec cum quoquam sermones miscet. Canonici cibum illi præbent. Non indulget sermoni nisi post mediam noctem, idque in plateis. At in die qui Dominicæ cœnæ dicatus est, reducitur ad templum, & à Sacerdote non absque longis ceremoniis absolutus, stipem à reliqua plebe accipit. Hunc, inquit, Adamum vocare solent. Hæc ille. Porro ritus iste ex decreto quodam Concilii Agathensis profectus est, planeque cum eo capite consentit: Citatur autem is à Gratiano Distinctione 50. Sic autem sonat: In capite Quadragesimæ omnes publice confitentes ante fores Ecclesiæ se repræsentent Episcopo civitatis, sacco induti, nudis pedibus, vultu in terram prostrato, reos se esse ipso habitu & vultu proclamantes. Ibi adesse debent Decani, id est Archipresbyteri, Presbyteri parœciarum, Presbyter pœnitentium, qui eorum conversationem diligenter inspicere debent, ut secundum modum culpæ pœnitentiam per præfixos gradus injungant. Post hæc Episcopus in Ecclesiam eos introducat, & cum omni clero septem Psalmos Pœnitentiales in terram prostratus cum lachrymis pro eorum absolutione decantet. Tunc resurgens ab oratione, juxta quod canones jubent, manus eis imponat, aquam super eos benedictam spargat, cinerem prius mittat, deinde cilicio capita eorum cooperiat, & cum gemitu & crebris suspiriis eis denunciet, quod sicut Adam projectus est de Paradiso, ita & ipsi de Ecclesia pro peccatis suis abjiciantur. Post hæc jubeat ministris, ut eos extra januas Ecclesiæ expellant: Clerus vero prosequatur eos cum responsorio, *In sudore vultus tui* &c. Vt videntes sanctam Ecclesiam pro facinoribus suis tremefactam atque commotam, non parvi pendant pœnitentiam. In sacra autem Domini cœna rursus ab eorum Decanis & Presbyteris Ecclesiæ liminibus repræsententur. Ex hoc igitur decreto Agathensis Concilii fluxit mos ille qui in Ecclesia Halberstadensi diu admodum obtinuit. Adservantur autem Halberstadii diplomata Caroli Magni, data anno 804, quibus ejus Episcopatus termini circumscribuntur.

SERIES EPISCOPORVM.

1 HIldegrinus Catalonensis patre Dietgrino, matre Lieburga editus, ex Episcopo Catalonensi factus primum Episcopus Salingenstadianus, postea Halberstadensis anno 780, præfuit Ecclesiæ annos 47, obiit anno 827, sepultus in monasterio Werdensi ad Ruram fluvium, quod ipse fundavit. Ejus frater Luderus fuit primus Episcopus Mimigardevordensis: sic vocabantur qui nunc Monasterienses dicuntur.

2 *Thiagrinus* vel *Dietgrinus*, Hildegrini ex fratre nepos, constituitur ex Corbiensi Abbate Episcopus Halberstadensis ab Ludovico Pio anno 827. Obiit anno 841. Situs est in Werdensi cœnobio.

3 *Haymo*, cujus extant Commentarii in scripta Prophetica & Apostolica. Obiit anno 853. Situs est in summo templo ejus urbis. Fuerat monachus Fuldensis.

4 *Hildegrinus* II prioris ex sorore nepos: electus anno 853, ob. an. 887. Sepultus est in cœnobio Werdensi apud suos consanguineos.

5 *Evelpus* præfuit annos 9, obiit anno 896. Ejus monumentum est in Ecclesia cathedrali.

6 *Sigismundus* ex Hirsaugiensi monacho factus Episcopus ab Arnulpho Imp. anno 896, præfuit annos 30, obiit anno 926.

7 *Bernhardus* Burg-gravius Magdeburgensis electus in Episcopum anno 926, excessit anno 974. Hic in gratiam suæ sororis condidit cœno-



EPISCOPATVS
HALBERSTAT.
Septentrio
Meridies
Occi dens.
Ori ens.
DVCATVS LVNÆBVRGENSIS
DVCATVS BRVNSVICENSIS PARS
DVCATVS PARS
MARCHIONATVS BRANDEBVRGI PARS.
ARCHIEPISCOPATVS MAGDEBVRGENSIS PARS.
EPISCOPATVS HALBERSTADT
BARBI COMITATVS.
PRINCIPATVS ANHALTINVS
HALLÆ EPISCOPATVS PARS.
MANSFELD COMITATVS.
THVRINGIÆ PARS.
AVF DEM HARTZ
Braunschweig
Wolffenbuttel
Magdeburk
Halberstadt
Quedlinburk
Goslar
Northausen
Kalba
Halla
Sendell
Barbi
Akem
Burk
Milliaria Germanica Communia
Amstelædami apud Joannem Blaew

57.

bium Hadmersheymense, cui Abbatissam præfecit sororem suam.

8 *Hildewardus*, Comes Warlovianus, factus Episcopus anno 974, præfuit annos 22.

9 *Arnoldus* præfuit annos 27, obiit anno 1023.

10 *Brantho* ex Abbate Fuldensi factus Bambergæ ab Henrico Imp. Episcopus Halberstadensis, præfuit an. 13, defunctus est an. 1036.

11 *Burcardus* Comes à Voburg electus anno 1036, præfuit annos 23: excessit anno 1059.

12 *Bernardus* Bucho ex Goslariensi Præposito, electus in Episcopum anno 1059. Periit in seditione civili sagittæ jactu, anno 1088. Sepultus est Ilsenburgi.

13 *Dietmarus*, electus anno 1088, præfuit tantum dies 16.

14 *Harrandus*, quem alii Stephanum vocant, præfuit annos 13, obiit anno 1101.

15 *Reinhardus*, postquam vacasset sedes annis sex, electus est anno 1107, præfuit annos 15; pugnavit contra Henricum V Imperatorem ad silvam Welphonis, ubi exercitum Cæsaris fudit & profligavit. Obiit anno 1122. Sepultus est Halberstadii.

16 *Otto*, electus anno 1123, sed ob Simoniam ab Honorio depositus. Iterum ab Innocentio II restitutus, & ab eodem iterum exauctoratus anno 1133.

17 *Rodolphus*. Hic condidit templum B. Virginis ex adverso templi B. Stephani: ob. an. 1149.

18 *Vdalricus*, electus anno 1149. Hic gessit bellum cum Henrico Leone Duce Brunsvicensi infeliciter: urbs enim capta atque incensa est: cives cum clero quum se in templum Cathedrale recepissent, ut se illic ab hoste & igne tutos præstarent, omnes in favillam redacti sunt, quum templum ipsum igni correptum fuisset.

19 *Theodoricus* præfuit annos 13, ac templum è cineribus excitavit.

20 *Bartholdus* electus an. 1195, præfuit an. 7. Obiit anno 1209.

21 *Conradus*, electus anno 1202, resignavit anno 1209.

22 *Fridericus* Burg-gravius Kirchbergensis, electus anno 1209, præfuit annos 21. Extinctus est anno 1231.

23 *Ludolphus* Comes à Schladem, electus anno 1232, præfuit annos 13, obiit anno 1245.

24 *Meinhardus*, electus anno 1245.

25 *Ludolphus* Comes à Schladem præfuit an. 2.

26 *Wolradus* Kransfelderus, electus anno 1261, præfuit annos 9.

27 *Hermannus* Comes à Blankenberg, obiit anno 1281.

28 *Albertus* Comes Anhaltinus, electus anno 1281, præfuit annos 44.

29 *Albertus* Dux Brunsvicensis, electus anno 1327, obiit anno 1358.

30 *Ludovicus* Lantgravius Thuringiæ & Marchio Misniæ, electus anno 1358, translatus ad Archiepiscop. Bambergensem, anno 1366.

31 *Albertus*, egregius Philosophus, sed infœlix miles, victus à Gebhardo Episcopo Hildesheim. obiit anno 1390. De hoc usurpatum Proverbium, *Victa est Logica à Rhetorica.* Erat enim Gebhardus facundus Ecclesiastes.

32 *Ernestus* Comes ab Honsteyn, electus anno 1390, abdicatus anno 1399.

33 *Rudolphus* Comes Anhaltinus, præfuit an. 7, obiit anno 1406.

34 *Henricus* Baro de Werberge, præfuit an. 4, adiit Episc. an. 1409, obiit an. 1411.

35 *Albertus* Comes de Werningenrode, præfuit annos 7, defunctus anno 1418.

36 *Ioannes* ab Hoym, electus anno 1418, obiit anno 1435.

37 *Burcardus* Baro de Werberge, præfuit annos 23, defunctus anno 1458.

38 *Gebhardus* de Hoym, electus anno 1458, præfuit annos 21, resignavit sponte anno 1472.

39 *Ernestus* Saxoniæ Dux, Archiepiscopus Magdeburgensis, factus Administrator Halberstadensis: sedit annos 34, desiit vivere anno 1513.

40 *Albertus* Marchio Brandeburgicus, Archiepiscopus Magdeburgensis, Germaniæ Primas, antea Ernesti adjutor; post ejus excessum Episcopus Halberstadensis electus anno 1541.

41 *Ioannes Albertus* Marchio Brand. Friderici Anspacensis filius.

42 *Fridericus* Marchio Brand. Ioachimi II Electoris filius, electus anno 1552. Extinctus eopse anno.

43 *Sigismundus Friderici* frater natus annos 14, extinctus anno 1566.

44 *Henricus Iulius* infans Bimulus, Iulii Brunsvicensis Ducis filius, ea conditione lectus, ut gubernatio 12 annos perpetuos esset penes Capitulum, & designato Præsuli quotannis certa pecuniæ summa persolveretur, reliquum ad usus necessarios collegii reponeretur. Anno 1591 cum Capitulo egit, ut Lutherana religio in Cathedrali ecclesia doceretur.

45 Successit Patri minimus natu filius *Henricus Carolus* anno 1613, qui sexto ætatis suæ anno moriens, locum dedit fratri

46 *Rudolpho*, qui insequenti anno 1616 decessit. Hunc secutus est frater

47 *Christianus*, bellis Germanicis satis notus, non tamen felix. Obiit anno 1626. Surrogatus est illi

48 *Leopoldus Guilielmus*, Archidux Austriæ, sub quo Cœnobia & Ecclesiæ Catholicis redditæ sunt, donec insequenti tempore belli Suecici Episcopatus à Suecis occupatus, Lutheranæ religioni restitutus est: qui tandem pace Osnabrugensi in Ducatum commutatus, & Electori Brandenburgico concessus, remanentibus in statu integro Capitulo & Canonicatibus.

Vrbes.

Res gestæ memoratu dignæ.

EPISCOPATVS HILDESHEIMENSIS.



Vrbes.

Nter Germaniæ Episcopatus Hildesheimensis est, ad Ducatum Brunswicensem pertinens, in quo urbes hæ eminent, Brunswicum, Halberstadium, & Hildesheim. Etenim Carolus Magnus, qui Imperium in Germaniam, & cum Imperio religionem Christianam intulit, diversis locis fundavit Ecclesias & Episcopatus, ut ex iis coloniæ postea aliò pietatis ducerentur. Fecit id quoque, ad convertendos Saxones inferiores, *Elzii* pago amœnissimo, ad confluentes Sabæ & Lyxii pisculentorum amnium, qui locus, à mansione Caroli, Aula regia dictus est, ubi etiam Ecclesiam B. Petro consecravit. Translatus est autem ab Imperatore Ludovico Pio Caroli filio Aulicensis Episcopatus trans flumen Lynium, in locum, qui à cœlitus demissa nive *Hilgenschne*, vel *Hildeschne* olim vocatus fuit. Nunc vero mutata paulum terminatione *Hildesheim* appellatur. Hic conditum est ab Imperatore templum B. Virgini sacrum. Civitas initio duplex fuit, postea junctis partibus facta est una. Turris templi aureo tecto superbit. Patria est Ludolphi Coloniensis Mathematici peritissimi, qui Lugduni in Batavis obiit. Sedes est Episcopalis, Episcoporum plurimorum serie & dignitate clara. Ea autem hæc est:

Origo nominis Hildesheim. Civitas primaria Hildesheimium.

Series Episcoporum Hildesheimensium.

1 *Guntharus primus Episcopus, à Ludovico Pio constitutus est anno Domini* 814, *quo obiit Carolus Magnus. Hujus opus est templum illud Cæciliæ duabus turribus conspicuum, proximum templo Cathedrali. Obiit Guntharus anno Domini* 835, *situs in sacello arcis à se constructæ.*
2 *Remibertus paucis mensibus præfuit.*
3 *Ebo Gallus, dejectus Archiepiscopatu Rhemensi, quum confugisset ad Ansgarium Archiepiscopum Hamburgensem, ab eo promotus est ad Episcopatum Hildesianum, anno* 835: *præfuit annos* 12.
4 *Adelfridus Monachus Corbejensis sedit annos* 18.
5 *Marquardus præfuit annos* 3, *trucidatus à Normannis, qui Saxoniam, Westphaliam, Belgicam vexarunt.*
6 *Wigebertus electus anno* 880, *obiit anno* 884.
7 *Waldobertus obiit anno* 903.
8 *Gebhardus electus anno* 903, *præfuit annis* 25, *obiit anno* 928.
9 *Diedhardus electus anno* 928, *obiit anno* 936.
10 *Ochwinus Abbas Pergensis, sedit annos* 28.
11 *Osdachus divitis Augiæ Monachus sedit annos* 40.
12 *Gerardus sedit annos* 3, *obiit anno* 1007.
13 *Bernhardus Comes de Sommerburch sedit an.* 31.
14 *Dithmarus Conradi Salici Imp. Sacellanus.*
15 *Anselmus sub Henrico* III *Imp. ob. anno* 1054.
16 *Echilo Præpositus Goslariensis, obiit anno* 1079.
17 *Vdo sedit annos* 35.
18 *Bertholdus sedit annos* 15, *obiit anno* 1129.
19 *Bernardus Comes Rottenburgius, sedit annos* 23.
20 *Bruno sedit annos* 7.
21 *Hermannus sedit annos* 16, *obiit anno* 1175.
22 *Adelgadus Goslariensis sedit annos* 15.
23 *Berno annos* 8, *defunctus anno* 1198.
24 *Conradus anno primo resignavit.*
25 *Habordus annos* 9, *obiit anno* 1208.
26 *Sifridus ex Monacho Fuldensi, sedit annos* 11.
27 *Conradus* II *sedit annos* 24, *obiit anno* 1243.
28 *Henricus sedit annos* 20, *defunctus anno* 1263.
29 *Ioannes annos* 4.
30 *Otto Dux Brunswicensis, sedit an.* 19, *obiit an.* 1286.
31 *Sifridus sedit annos* 30.
32 *Henricus præfuit annos* 8, *obiit an.* 1324.
33 *Otto Comes de Woldenberge, obiit an.* 1334.
34 *Ericus Schouwenb. & Henricus Brunsw. in schismate positi.*
35 *Ioannes sedit annos* 3, *& resignavit an.* 1363.
36 *Gerardus de Monte sedit annos* 33.
37 *Ioannes Comes de Hoya sedit annos* 26, *obiit* 1424.
38 *Magnus Dux Saxoniæ inferioris annos* 28.
39 *Bernardus Dux Brunsw. sedit annos* 7, *obiit* 1459.
40 *Ernestus Schouwenb. sedit an.* 11, *obiit an.* 1470.
41 *Hermannus & Henmingus in schismate.*
42 *Bertholdus sedit annos* 12, *obiit an.* 1503.
43 *Ericus Dux Inferioris Saxoniæ, sedit annum* 1, *& resignavit.*
44 *Ioannes Erici frater.*
45 *Valentinus à Totleben.*
46 *Balthasar Merckel, Orator Caroli* V *Cæsaris.*
47 *Otto.*
48 *Valentinus à Totleben.*
49 *Nicolaus ab Obergen.*
50 *Ernestus Dux Bavariæ.*
51 *Ferdinandus, Dux Bavariæ, Archiep. Colon. obiit* 1649.
52 *Maximilianus Henricus, Archiep. Colon. nunc, anno* 1661, *præest.*

Res gestæ memoratu dignæ.

Vdo Episcopus XVII supradictus, Comes fuit Alvenslebius, estque constitutus ab Henrico IV Imp. Ejus magna fertur in Cæsarem fides. Nam quum Cæsarem oppugnaret Ecbertus Marchio Misniæ, intulit quoque Vdoni bellum; captumque per tormenta eo adegit, ut traditu-



EPISCOPATVS
HILDESIENSIS
DESCRIPTIO NOVISSIMA
Authore Ioanne Gigante D.Med. et Math.
Mill. Saxon. magna, quor. 10 constituunt gradum
Milliaria Germanica communia.
Milliaria Saxonica mediocria.
Horæ intineris pedestris.
LVNENBVRG.
BRAVNSCHWEIG
KALENBERG.
Diester Sylva
SCHWALB amplißima.
SCHAVWENBVRG
Hannover
Braunschweig
Wulffenbuttel
WVLFENBVTTEL.
HALBERSTADT.
Oosterwyck
Hildesheim
Hils mons
Sylva Hercinia
Harts Waldt
GRVBENHAGEN
WERNIGERODA
Bructerus mons vulgo Blocksberg
Hartzburg
Sollinck
Sylva
GOTTINGEN amplißima
DAS EICHSVELT
PADERBORN
Lippe Comitatus pars
STERNEBERG
PYRMONT
Hameln
Rinteln
Stadthagen
Schounburg
Oldendorp
Occidens
Oriens

58.

rum se Hildesheimium promitteret. Quum vero id postea præstare Episcopus neque posset, neque vellet, cingit Marchio urbem obsidione, & ut ad ditionem cives adigat, obsidem unum palam obtruncat. Vbi nec hoc modo urbe potiri posset, majores copias comparat, certus extrema quæque tentare. Forte dum rerum ita satagit, defessus ad molam suam Isenbutelum, non procul Brunswiga cum paucis divertit, & molitorem ad petendum ex vicino oppido potum emittit. Sed molitori in via occurrunt equites Cæsariani, qui re cognita, protinus se ad pugnam accingunt. Concurritur. Finis certaminis is fuit, ut confoderetur à Cæsarianis Ecbertus. Ita Hildesheimium obsidione, Episcopus è carcere liberatus est.

Anno 1364 Episcopus fuit Gerardus Baro à Berg, qui cum Magno Brunswicensium Duce graves inimicitias gessit. Ac juvabant Magnum socii potentes, Dietricus Archiepiscopus Magdeburgensis, Albertus Halberstadiensis, tum Principes Anhaltini, Gebhardus Comes Mansveldicus, aliique. Hi pro se quisque invadunt Diœcesin, diripiunt omnia, longe lateque incendunt, vastant. Gerardus vero Episcopus magno animo suos in aciem producit: pugnatum est acerrime. Gerardus non solum Brunswicensem Ducem, sed etiam Episcopum Halberstadiensem aliosque supra centum viros primarios cepit, mille quingentos cecidit. Vnus Dietricus Magdeburgicus sexies mille marcis suos redimere coactus est. Hoc illud est prælium, ex quo natum fuit proverbium: *Logica victa est à Rhetorica*, quo significabatur, Albertum Halberstadiensem Episcopum à Gerhardo Hildeshemio superatum esse: ille enim disputator erat sublimis, iste orator vehemens.

Anno 1519 Ioannes Saxoniæ Dux ex familia Lawenpurgensi, 44 Episcopus Hildesheimius, bellum intulit Henrico Duci Brunswici. Stetere ab Episcopo contra Brunswicensem Henricus Dux Luneburgensis, Comes Schonburgensis, & alii. Ab Henrico Brunswicensi Franciscus Episcopus Mindensis. Erat autem tunc multo quam nunc est potentior Hildesheimius, ut qui septem sub se Comitatus haberet, Wiezenbergam, Sladem, Poppenburgum, Peynam, Oldenburgum, Lewensteinum, & Hunsruccum. Episcopus collectis copiis suis invadit diœcesin Mindensem, eamque incendiis & rapinis vastat. Obierat autem tunc Cæsar Maximilianus. Ericus cum videret se Episcopi impetum sustinere solum non posse, auxilia à vicinis Principibus Georgio Duce Saxoniæ, & Gulielmo Lantgravio Hassiæ petiit & accepit. Sed orta inter Saxones & Hessos dissensio res conturbavit. Saxones enim Leonem, quem in signis & scutis militaribus gestabant Hessi, per convitium dicebant esse canem. Nec tulit convitium animosa gens; quumque videret, fieri minimo negotio posse, ut ipsi etiam in castris committerentur inter se, maluit redire domum, quam sociorum sanguine fœdare militares manus. Mox prælio commisso Episcopus Brunswicensem vincit, cæsis ter mille & ultra ex parte Brunswicensium. Postquam vero ad fastigium supremi in Germania honoris pervenisset Carolus V, protinus imperiali edicto mandatum est utrisque, ut positis armis jure agerent, & controversiam Cæsari dirimendam darent. Et quia constabat Episcopum Hildesheimium violasse publicam pacem, proscriptus est cum omnibus sibi subditis; estque ea proscriptio paulo post iterata. Hildesheimenses proscriptionem illam eludebant sarcasmis, parum liberalibus convitiis ipsum quoque Imperatorem petentes. Brunswicensis autem auctoritate nixus Cæsarea, pedestribus & equestribus copiis diœcesin Episcopi invasit, arcesque sex protinus expugnavit. Nobiles vero, qui in aliis arcibus erant, territi cum Principibus transigunt, & tredecim arces sibi oppignoratas tradunt, ea lege, ut ipsi quidem in arcibus maneant, sed ut sese in fidem & clientelam dent Brunswicensem, & præterea appendant 28 millia florenorum. Postea electus est in Episcopum à Canonicis Balthasar Merkelius, Caroli V Orator.

Anno 1542 Senatus ab Episcopo & Canonicis dissidens, religionis mutationem instituit, ad formulam Augustanam.

Fluvii. Irrigant Hildesheimensem diœcesin fluvii, Innerest, Netta, Brocgrave, Lamura, quos omnes Leina absorbet, ast Emmeram Visurgis, qui omnes originem primam debent Visurgi.


Districtus. Districtus sunt, Artzen, Gronde, Erichsborg, Westerhoven, Levenborg, Widela, Woldenberg, Lutter, Wintzenborg, Marienborg, Steurwaldt, Peina, Steinbrugge, Coldingen, Halterborg, Poppenborg, Lowenstein & Waldenstein.

In districtu *Artzen* est urbecula *Hamelen*, de qua historiam miram & memorabilem adscribam ex literis Arnoldi Freitaghii Medici ad Ortelium. Ejus verba hæc sunt: *Incidi nuper in Saxonem & Saxoniæ Historicum. Is narrabat, ante annos trecentos triginta Hamelii in Ducis Erici ditione accidisse, ut cum fors murium lues in ea urbe vehementer grassaretur, circulator quidam eò veniens, suam civibus operam in abigendis muribus offerret; erat hoc iis, utpote quibus tutum nihil ab hoc animantium genere erat, gratissimum. Ille pactus cum civibus, pulsu tympani omnes ex urbe educit. Petit promissum salarium. negatur. egreditur urbem minitabundus, atque post anni decursum revertitur, suoque per urbem pulsato tympano, eadem, qua antea mures, civium liberos satis magno numero educit ad vicinum quendam collem, ibique statim, cum omibus quos eduxerat, disparet. Puella quædam è puerorum numero à longe, seu ex itinere defessa substitit, domumque reversa narrat sciscitantibus quid vidisset, quod cum ludione pueri collem subiissent. Quisque igitur suos repetitum pueros eò se, sed frustra, confert. Neque ab eo tempore sciri potuit, quid de pueris factum esset. Hæc cum legissem, rem judicavi aut fabulam, aut, uti vere est, obstupescendam. Inter confabulandum feci hujus apud alios mentionem, affirmant omnes. ajuntque annum, diemque & numerum exeuntium consignatum esse Senatus Hamelensis annalibus: hodieque adhuc apud eos in more positum esse, ut in contractibus pactisque, quæ scripto consignantur, & antiquioribus literis scribuntur, scriptum inveniatur hac verborum formula,* Von unser Kinder außgang / *id est, ab egressu liberorum nostrorum. Ajuntque, plateam seu vicum, per quem educti sunt pueri, in hujusce rei memoriam* die Bungloese Straß *nuncupatum, ac ibidem nefas esse pulsare tympanum, &c.*

CIR-

CIRCVLVS WESTPHALIÆ.

Vnde dicta.



Nde nomen Westphalia acceperit, non una est omnium sententia. Sunt qui à Vesta dea *Vestaliam* dictam arbitrantur, quod ea hic olim culta fuerit; unde & Westphalos quasi Vestalios dictos esse volunt. Aliis tamen placet ab Occidentali plaga sic dictos. Qui enim, inquiunt, ultra Visurgim fluvium Orientalem plagam occupant, *Oostvali* Saxones nominantur, ab *Oost*, Oriente, & *Valen*, quod lingua Saxonica pullum equinum significat, quem in militaribus signis habuerunt. At abolito isto nomine mansit Saxonum appellatio. Sic Westphali, qui cis Visurgim versus Occasum habitant, à *West*, Occidua plaga, ita dicti. Alii denique à campo *Velt* potius, quam à *Valen*, Westphalos dictos arbitrantur. Vt ut sit, certum est, illos jam annis amplius nongentis sic nominari.

Prima Westphaliæ acceptio.

Porro illud notandum, Westphaliæ nomen tripliciter sumi. Primo pro universa regione, quæ ab Ortu habet Visurgim, ad Meridiem Hassiæ montes, ad Occidentem Rhenum, ad Septentrionem Frisiæ paludes. Atque hoc sensu Septimus Imperii Circulus *Westphalicus* vocatur, qui tribus ordinibus constat: I, Ecclesiastico; II, Principum, III, Civitatum liberarum. In primo sunt Episcopi Paderbornensis, Leodiensis, Vltrajectinus, Monasteriensis, Cameracensis, Osnabrugensis, Verdensis, Mindensis. Abbates, Werdensis, Stablonensis, S. Cornelis-Munster, Echternacensis, Corbejensis, Herfordensis. Abbatissa una, Essensis. In ordine Principum secularium sunt, Dux Cliviæ, & Comes Marchiæ, Dux Iuliacensis & Montensis, Marchio Badensis, Comes Embdanus sive Frisiæ Orientalis, Comes Sein, Dillenburg, Comes Vernenberg, Comes Manderscheid, Comes Weida & Ringelberg, Comes Meursensis, Dominus Bronckhorst, Comites Steinfurt, Bentheim, Dortmund, Oldenburg, Dominus Bidburg, Comites Hoya, Diepholt, Scaumburg, Domini Spiegelberg, & Vanenberg, Comites Arenberg, Dierenberg, Lippensis, & Dominus in Somer-auss. Civitates liberæ sunt Colonia, Aquisgranum, Vesalia, Marcodurum, Cameracum, Tremonia, Susatum, Duysburgum, Hervordia, Brakel, Wartburg, Lemgovia & Werden. Ac hujus quoque Westphaliæ populi veteres dicuntur fuisse Teutoni, Busacteri, Chamavi, Angrivarii, Longobardi, Dulgumnii, Angili, Chauci & Cherusci.

Circulus Imperii.

Secunda acceptio;

Secundò sumitur Westphalia, pro intima prioris parte, quales sunt Monasteriensis Episcopatus, similiter Paderbornensis, & Osnabrugensis, cum locis vicinis, quorum incolæ hodie communiter Westphali audiunt, (quod nomen Montenses & Clivii Cis-Rhenani aversantur,) habent hi suas tabulas peculiares.

Tertia.

Tertio sumitur pro speciali Ducatu, de quo videnda propria.

Populi Veteres.

Habitarunt hic olim (ut de Teutonibus, qui ab hoc littore Balthico, ubi sedes eorum antiquissimas Ptolemæus collocat, cum Cimbris in Galliam profecti, Teutoburgo, quod Tacitus in Westphalia potuit, nomen dedisse existimantur, non dicam) Busactori, seu, ut Tacitus, Bructeri, Chamavi, Angarii, Dulgumnii, Angili, Chauci, Cherusci, & Cayci.

Domini.

Cum Imperator Barbarossa proscripsisset Henricum Leonem Ducem Saxoniæ, & Bavariæ, qui postremus universam Saxoniam & Westphaliam, ab Albi usque ad Rhenum tenuit, Philippus Coloniensis Archiepiscopus magnam Westphaliæ partem Leoni ademptam occupavit, & titulum Ducis Angariæ & Westphaliæ, Imperatoris auctoritate assumsit. Bernhardus Anhaldinus, Alberti Vrsi filius, superiorem Saxoniam ad Witebergam, cui Electorum dignitas adjuncta est, possedit. Cujus (Bernardi) nepos Albertus, post annum 45, Ducis etiam Saxoniæ titulum, Ottoni puero, nepoti Leonis, in bello adversus Danos, à Lubecensibus, eorumque sociis capto, extorsit. Cujus Alberti agnati, Duces Saxoniæ Lauenburgenses, hodierna die titulum veterem Ducum Saxoniæ, Angariæ & Westphaliæ servant. Quam occidentem versus, Lippiæ & Rheno interjectam, amplissimum videlicet Comitatum Marchiæ, cui Tremoniensis etiam civitas & ditio inclusa est; & Ducatum Bergensem; & citra Lippiæ & Amasis fontes Comitatum Revensburg, Limburg, & Vlote, Dux *Iuliacensis*: multa sparsim Archiepiscopus Coloniensis; quædam Padebornensis; & Comites Waldecenses, possident. Reliquæ, orientem versus, à ripa Lippiæ ferè ad Visurgin (Bremam alluentem) Westphaliæ maximam partem, Monasteriensis Episcopus; aliquam Osnabrugensis & Mindensis, tenent. Cætera Comites de Lippia, Bentheim, Teclenborg, Ridberg, Pirmundt, Diephold, Hojæ, Oldenborch, Delmenhorst, in ditione & potestate habent. Qui Comites plerique, à Carolo Magno Episcopis initio adjuncti, judicum vices, quod & nomen *Greven* Germanicum denotat, gerebant.

Qualitas soli.

Soli etiam Westphalici ubertas & bonitas multis in locis eximia est. Etsi enim in eo tractu, quem mercatores sæpissime transeunt, regio vastior & incultior est: tamen ad Visurgin, & circa Susatum, Hervordiam, Paderbornam, Warburgum, Hoxariam & passim alibi, fertilibus agris, ac ubique ferè lætissimis pascuis, glandiferis sylvis, iisque non incultis abundat. Versus Rhenum & montes Hassiæ, etiam ferri, cupri, plumbi


CIRCVLVS WESTPHALICVS, Sive GERMANIÆ INFERIORIS.
Milliaria Germanica communia
Occidens
Oriens
Septentrio
Meridies
GERMANICVM
MARE
De Noordt Zee.
Zuyder Zee
BRABANTIÆ PARS
FRISIÆ PARS
TRANSI SALANA
GRONINGA
EMDEN COM
OLDENBORG COMITATUS.
BREMENSIS EPISCOPATUS PARS.
Ferdensis Episcopatus pars.
HOYA
COMITATUS
COM. DIEPHOLT
VECHTE
OSNABRVGENSIS EPISCOPATUS
MONASTERIENSIS EPISCOPATUS
Stift Minden
Ravensperg
WESTPHALIA DVCATUS
WALDECK
DVCATVS IVLIÆ
DVCATUS BERGHÆ
DVCATUS BRAUNSWYCK
LUNÆBURG DUCAT. PARS
ZUTPHEN
CLIVIA
COMIT
Lingen
Bentheim
Twente
Comitatus
Tecklenburg
Lemgow
Schauwenberg
Paderborn
Corvei
Hamborg
Harborg

59

plumbi & aliorum metallorum, ad Corbachium etiam auri venas non incelebres habuit. Et terræ bonitatem omniumque rerum ad victum pertinentium copiam, frequentia hominum eam incolentium, & oppida plurima, ac urbes amplæ & populosæ, Monasterium, Osnabruga, Susatum, Minda, Tremonia, Hervordia, Paderborna, Lippia, Lemgovia, Wesalia, & cætera, recta descriptione & splendore ædificiorum, & civium multitudine ac humanitate, paucis in Germania cedentes, ostendunt. Ne Palæstina quidem, quam Deus terram melle & lacte fluentem nominat, omnibus in locis pari fertilitate fuit. Multò feracior vini, olei, balsami, frugum, & aliorum terra nascentium fuit Galilæa & Peroa, quam Iudæa: præsertim ea parte, qua montes Arabicos spectat, in qua panibus hordaceis vesci vulgus & aquam bibere solebat. Quare nec Westphaliæ vitio verti potest, quod, cum regio amplissima sit, & latissime pateat, alicubi amœnior ac fœcundior, alicubi incultior & horridior sit.

Gentis elogium, indoles.

Gens Westphalica, constantiæ & gravitatis amans, ut difficulter initio ab avita religione abduci, & ad Christi agnitionem converti potuit; ita deinceps semel datam Christo fidem, non solum constantissime servavit, verum etiam latè in reliquam Saxoniam, Daniam, Sueciam, Vandaliam & alias regiones propagavit. Præcipuam Nobilitatis Westphalicæ fuisse virtutem in ea militia, qua Ioannes Megapolitanus, ob pietatem & sacrarum literarum scientiam Theologus dictus, amplissimam gentem Livonicam Christo adjunxit, inde perspicuum est, quod ante annos paucos adhuc, amplissima Livoniæ pars, Westphalorum nobilium imperio parebat.

Ingenia Westphalorum ad litteras, disciplinam, virtutem, doctrinas & alias honestas artes idonea esse, demonstrant tot tantique viri virtute & doctrina excellentes, ecclesiæ & rerum publicarum gubernatores, quos innumerabiles natio Westphalica orbi dedit.

Iudicia & leges.

Carolus Magnus, cum Westphalos videret libertatis amantes, jugum Imperii ægre ferentes, & nihil non molientes, ut, excussa Episcoporum & Regum Romanorum dominatione, pristinum libertatis decus reciperent, viros aliquot honestos, sapientes, & industrios secreto delegit, eosque hac potentia armavit, ut quoscunque certo cognoscerent seditionis cupidos & authores esse, sine longiore disputatione statim multarent. Quæ judicia, etsi, ad reprimendos turbulentorum hominum seditiosos conatus, sapienti deliberatione instituta fuerant, cum multa tamen injusta per eadem fierent, per totam Westphaliam jampridem obsoleverunt; & quamvis Scabini illi etiamnum in nonnullis perpaucis tamen oppidis supersint, judicia tamen nulla clam, sed omnia palam citatis & auditis denunciatis, peragi solent. Et magistratus oppidorum ubique judicia tam civilia quam criminalia exercet, nec Scabinis de cujusquam sanguine, nisi ordine judiciali, cognoscere licet. Ita ut forma gubernationis politicæ honesta, & in civitatibus, judicia, legibus & jure, non minus quam in reliqua Germania, æquissima constituta sint.

WEST-

WESTPHALIA
DVCATVS.



Ertio, uti dictum in generalis Westphaliæ descriptione, sumitur Westphalia pro speciali Ducatu, de quo hîc agitur, & cujus topographiam in Tabula videre est. *Termini.* Ab Oriente habet Comitatum Waldecensem, à Meridie juga Hassiæ, ab Occidente *Merckischland*, à Septentrione Episcopatum Monasteriensem & Paderbornensem. Olim diu Wedekindo Saxoniæ Regi, ipsiusque posteris paruit. Quis vero post Carolum Magnum rerum status per Westphaliam, quis rerum summæ hac quoque parte præfuerit, an tota Pontificibus paruerit, non reperitur in Annalibus. *Domini.* Equidem in Orientali Saxonia erant seculares Domini, qui rerum tenebant gubernacula: primo quidem Reges de stirpe Caroli Magni, sub quibus tamen Duces Saxoniæ de genere Witikindi paulatim magis magisque increvere, usque ad Henricum Primum Regem Romanorum, à quo tres ordine Othones, deinde etiam Marchiones Saxoniæ, nati ex Henrico Duce Bavariæ, fratre primi Ottonis. Westphalia vero, quæ est Occidua Saxonia, quos habuerit Principes seculares illa tempestate rem cum Episcopis administrantes, omnino non legimus. Sequenti tamen ætate Henricus Dux Leo, & ante eum avus illius Luderus Dux Saxoniæ, inde Imperator, Westphaliam tenuisse leguntur. Nam cum ab eodem Henrico per sententiam Frederici I Imperatoris destitueretur, Ducatus hic Westphaliæ Archiepiscopo Coloniensi cessit, servantque eundem titulum Duces Saxoniæ Inferioris de genere Comitum de Anholt.

Arnsberg Comitatus. Includit hic Ducatus hoc tempore Comitatum *Arensberg*, & Angariæ Ducatus reliquias, cujus limites difficulter explicari possunt, cum de Angariæ nomine nihil reliquum sit, nisi pagus *Engern* in Comitatu Ravenspergensi, ubi sepulchrum Widikindi adhuc in choro conspicitur, quamvis ossa cum ornamentis quibusdam jamdudum dicantur Hervordiam translata. Sepulchro hi inscripti sunt versus:

Ossa viri fortis, cujus sors nescia mortis,
Iste locus claudit: euge bone spiritus, audit.
Omnes mundantur, hunc Regem qui venerantur,
Ægros hic morbis Cœli Rex sanat & Orbis.

Arnspergicus autem Comitatus, quando ad Episcopatum Coloniensem devenerit, non una est Historicorum sententia. Crantzius in Metropoli scribit lib. 6. Quod cum multis de causis anno 1164, Henricum Comitem ibidem obsedissent Episcopi Coloniensis, Paderbornensis, & Monasteriensis, atque idem Henricus Saxoniæ Dux, Leo dictus, ejectus esset castro, ita receptus fuerit in gratiam, ut post obitum suum consignaret Ecclesiæ Coloniensi Comitatum. Atque ab eo tempore putat Crantzius Colonienses Archipræsules totam illam ditionem antiquissimæ istius nobilitatis tenuisse. Coloniense vero Chronicum perhibet, Godefredum ultimum Comitem de Arnsperge contulisse donatione inter vivos eundem Comitatum Ecclesiæ Coloniensi, cum castris, fortalitiis, terris & dominiis, hominibus ministerialibus & vasallis, & cum omni patrimonio & attinentiis (verba sunt istius sæculi) dicti Comitatus. *Arnsbergum.* *Arnsbergum* situm ad Ruram, arcem editiore monte adjunctam habet, gratum, commodumque Episcoporum Coloniensium domicilium, ut quod jucunda simul utiliaque venationis exercitia, piscium item copiam ex præterlabente Rura præbeat. *Oppidula minora.* Sunt & alia oppidula, *Hovestadt* ad Lupiam, *Geseke*, *Ervete*, *Aenruchte*, *Molheym* ad Monam, *Nieuhuysium* ad eundem, & *Neim*: *Hullinckhoven*, *Olinckhusen*, *Herstberg*, *Brilon*, *Meschede* ad Ruram: *Sunderen*, *Oldendorp*, *Fredeborg*, *Medebach*, &c. Notata quoque loca reperias *Wedinckhusen*, quasi Wedekindi arces, ac domus, vestigia prisci ævi. Non longe à *Brilon*, prope *Broeckhuysen*, in petræ summitate, fons scaturit limpidissimus. Ad Occidentem, prope urbeculam *Balve*, antrum est vastissimum, incogniti recessus.

Regionis indoles. Tota regio fere est montosa, nisi ubi Lupiam respicit, quo loci in amœnissimam & fertilissimam planiciem desinit. Omnia vitæ necessaria, licet non in omnibus locis, copiose habet. Frumentum in planitie, pascua & prata in convallibus, ligna & feras in montibus altis, copia incredibili.

Flumina. Fluvii hujus regionis & fontes, vix numerabiles, magno murmure strepituque prætereuntes reficiunt, quorum fluminum princeps Rura, qui omnes reliquos propemodum absorbet, & Rheno, non procul Duysburgio infert. Reliqui sunt *Lena*, *Mona*, *Rora*, *Alma*, qui Lupiæ, & *Dymela*, qui Visurgi miscentur, aliique anonymi. Omnes optimis delicatissimisque piscibus abundant.

Fodinæ. Insuper metalla habet omnis generis, *aurum*, *argentum*, (licet ob aquarum copiam fodinæ non lucrosæ, ideoque neglectæ) *cuprum*, *ferrum*, *plumbum*, *vitriolum*, *alumen* & *sulphur*. quibus addo *marmor*, & lapides omnis generis, imprimis quibus tecta constant, vulgo **Schifferstein**.

Metropolis. Metropolis *Werla*, pingui solo & felici sita, salinis celebris, curiâ insignis. Nobilitas antiqua & copiosa, gens robusta, ingeniosa, cuivis cœlo assueta, selectos præbet milites. Vicinos habet *Marck*, *Munster*, *Lippe*, *Paderborn*, *Waldeck*, *Hessen*, & Comites Westerwaldiæ.

WESTPHALIA Ducatus

Auctore Ioh. Gigante Medico et Mathematico.

SEPTENTRIO.

MERIDIES

OCCIDENS

ORIENS

Stifft Munster.

Soestichsch Boerde.

Ager hic Susatensis a Ducatu Westphaliæ avulsus Anno 1444.

PADER BORNENSIS EPISCOPATUS PARS.

WESTPHALEN.

MERKISCH LANDT.

WALDECK COMITATUS.

HASSIAE PARS.

Milliaria Germanica communia.

Horæ itineris.

Civitates

Pagi

Arces

Monasteria.

Guilielmus Blaeuw excudit.

60.

MONASTERIENSIS EPISCOPATVS.



Egio Westphaliæ satis ampla, gregibus, quam hominibus alendis benignior est; sylvis horrida, ac paludibus crebris fœda, veterem illam Germaniam referre videtur. Episcopatibus & Comitatibus frequentibus distinguitur. *Episcopatus.* Episcopatus sunt Monasteriensis, Paderbornensis, Mindensis, Osnabrugensis, Verdensis. *Termini.* Monasteriensis ab oriente Osnabrugensem spectat Episcopatum, à Septentrione Comitatum Steinfurtensem & Benthemiensem: ab occidente Cliviam, Zutfaniam, & Twentanos: à meridie Marchiæ Comitatum.

Qualitas. Tota regio amnem Lippiam & Frisios interjacet; insigni planicie, paucis in locis exceptis, ubi in colles veriùs quam montes assurgit, ut circa Baamberg, qui lapides cum marmore certantes abundè suppeditat. Omnia vitæ necessaria habet, exceptis metallis. Imprimis excellit pascuis, unde tantum boum pinguium numerum quotannis exteris suppeditat, uti & porcorum, qui glandium ibidem ubertate felici proventu, magis quam ullo alio vicino loco, saginantur.

Fluvii. Fluvios habet, *Amasin*, qui totam ditionem pertransit, & non procul Monasterio fit navigabilis, *Lippiam*, aliosque minores, ut *Stever*, *Berckel*, *Vechte*, *Aa* (cujus nominis sunt quinque vel sex diversi) *Weerse*, *Bever*, *Hessel*, *Lutter*, *Dinckel*, &c. *Divisio.* Dividitur in Australem & Septentrionalem; *Australis* à Lippia incipit usque ad angustias illas *Pars Australis.* circa *Buren*, ubi inter Comitatum Benthemensem, & Baronatum Lingensem ultra iter duarum horarum, vel circiter, latitudo sese vix extendit. Carolus Magnus domitor Saxonum, & Romanorum Imperator, in his partibus, instituit Episcopatum, quem vocavit Mimingerodensem, vel, ut alii interdum vocant, Mimingardefurdensem Is vero à Monasterio illic exstructo appellationem mutuavit, & abolito vetere nomine dictus est Monasteriensis. Monasterium illud *Monasterium Civitas.* condidit in honorem B. Mariæ Virginis Hermannus Episcopus, fueruntque ejus tanta protinus incrementa, ut in eximiam urbem & totius Episcopatus metropolin evaserit. Sita est illa loco amœnissimo, plano, ad utramque Alphæ ripam situm, ædificiis tam sacris quam profanis splendidum. Parochias præter summum templum habet septem; portas octo, quinque Collegia amplissima, Scholam quoque litterarum & artium, satis celebrem, ut & Cœnobia item multa tam virorum quam Virginum, è quibus Abbatia emicat, Mariæ vallis dicta, ab Hermanno I an. 1041 fundata, spectantur quoque quatuor ampla fora, in quorum uno curia est rotundis subnixa columnis, multisque exornata sculpturis: infra hanc cella vinaria publica omnibus largiter modico pretio vina & cerevisias diversi generis subministrat. In foro piscatorio visitur Domus Collegialis, das Gildenhauß / quæ spatiosa ut & perpulchra est. Civium ædes & domicilia nitida & ex Bambergensi lapide (ita locus appellatur, ubi effodiuntur, uno mill. Monasterio distans) constructa in anteriori parte plerumque columnis imposita sunt, ita ut subtus deambulare liceat. Nundinis præterea sex urbs satis clara, quarum tres extra, tres vero intra urbem celebrantur: in iis aliquem lædere ad sanguinis missionem capitale est. In Iudiciis vero ratio duplex: Iurisdictio Ecclesiastica tota penes Episcopum est, & eatenus quoque civilis, quatenus altera pars sub Episcopi jure est. Cives vero cum civibus si quid litigent, ad Magistratum urbis caussa cognoscenda defertur; cui judex nomine Episcopi adjungitur: si vero pars litigans appellet, causam ad Cameram Spirensem referunt, à qua deciditur.

Dissensiones circa religionem. Qua natura, qua arte est munitissima, præsertim post furores Anabaptistarum, qui sub Episcopo Francisco, Comite de Waldeck, anno 1533 ingentes ob religionem tumultus excitarunt. Primus eorum author fuit Bernardus Rotmannus, qui extra urbem ad S. Mauritium quum doceret, doctrinam Ecclesiæ Romanæ probatam, applaudente plebe, refutabat. Eum populus rerum novarum avidus in urbem recepit. Nec privata ejus institutione contentus, petiit à Senatu templum. Interea loci venit in urbem ex Hollandia sarcinator quidam Leidensis, Iohannes, homo vanus, ambitiosus, audax, quique in patria Anabaptistarum doctrinam sequutus, Doctoris animum ac confidentiam sumpserat. Venit quoque eodem Hermannus Stapreda, qui Rotmanni collega factus, cœpit ab ipso dissentire, & in parvulorum baptismum invehi. Hoc interdiu & publice, Ioanne privatim & nocte, plebis animos impellentibus, magna ad sectam facta est accessio: Senatus jam tunc imminentem nubem prævidens, quum crederet capitibus semotis cætera facilius componi posse, jubet authores ab urbe proficisci. At illi porta una egressi, alia regressi sunt, magno animo adserentes, sibi à Deo mandatum, ut causam veritatis serio agerent. Vbi hoc non successit, alia via Senatus rem tentat. Evocat in Curiam Doctores Euangelicos & Anabaptisticos, ratus, penes illos, si committerentur, fore victoriam. Quum convenissent, Rotmannus desertis partibus, aperte Anabaptistis se jungit, & infantium lavacrum exsecratur, frustra eum increpante collegâ Buschio. Præter opinionem accidit hoc Senatui; rebus tamen pacandis fit Senatusconsultum, quo jubentur Anabaptistarum doctores urbe quamprimum excedere, dato



MONASTERIENSIS
Episcopatus.
Auctore Ioh. Gigante Medico et Mathematico.
OCCIDENS
ORIENS
MERIDIES
SEPTENTRIO
Bourtange desertum ob paludes et aquas in: accessum ustiles glebas quas Torff vulgo vocant, abunde accolis suppeditans vndiquaque.
Fort van Burtange
Dullaert.
Coevorden
Nider-Graffschaft.
Ober Graffschaft.
BENTHEIM.
Northorn
LINGE.
Lingen
Meppen
Embs landt
Hummelinck.
Cloppenborgh
Quakenbrugge
Wilshusen
Oldenburg
Delmenhorst
Dummer Lacus.
Diepholt
COM: DIEPHOLT.
OSNABRUGENSIS EPISCOPATUS.
Osenbrugge
TECKLENBURG COM.
Tecklenburg
RAVENSBERG COM.
Ravenberg
Limburg
Hunteborg
Vechte
Warendorp
Beckem
Hamm
Werne
Dulmen
Coesfelt
Horstmar
Borken
Bockholt
Vreeden
Bredeford
Grol
COM: ZUTPHANIENSIS.
Oldensel
Wesel
Dorsten
Halteren
Lembeck
RECKLINGHUSEN.
Soest
WESTPHALIAE PARS
Lippe
Langenberg
Widenbrugge
Rheda
RHEDA
Stromberg, Olim Burgraviatus Imperij
Cliviæ Duc: pars.
Comit. Marchiæ
GENSIS COMITATUS
Miliaria Germanica Communia
Horæ itineris.
Ciuitates
Pagi
Arces
Monasteria
Apud Guiljelmum Blaeuw.

61

dato illis commeatu, quo tuto possent per Episcopi fines proficisci. At illi abdidere se apud suæ doctrinæ sectatores, professi, Deo potius parendum quam hominibus. Crescebat interea numerus Anabaptistarum, & bacchantium more alii alios ad eandem sententiam protrahebant, nullo facto disputandi modo. Quod ut vidit Senatus, jubet omnia templa, uno excepto, claudi: erat enim periculum, ne pars altera, quæ tunc minor esse cœperat, ab Anabaptistis pelleretur. Horum ergo doctrinæ elidendæ, Senatus etiam ab Hassiæ Lantgravio petiit, ut eruditi aliquot viri mitterentur. Missi sunt Theod. Fabritius, & Ioannes Melsingerus: quorum hic statim, sive quod desperatas jam res videret, sive quod sibi diffideret, sponte rediit: alter non ante cessit, quam ab adversariis suis urbe ejectus est. Subornatus interea est ab Anabaptistis quidam, qui, quasi numine adflatus, per compita & vicos discurrit, exclamans, pœnitentiam agite & rebaptizamini: sin minus, jam ira Dei vos obruet. Multi ergo, vel quod iram Dei metuerent, vel quod sibi bonisque suis, crescente furentium turba, consulerent, morem iis gerebant. Sub exitum Decembris, quum jam prodiissent è latibulis suis occulti doctores, facto agmine Anabaptistæ forum occupant, machinas bellicas educunt, Curiam quoque invadunt, magno clamore vociferantes, ut qui rebaptizatus non esset, interficeretur. Alii contra, in locum quendam urbis natura munitum sese conferunt, atque ex eo in Anabaptistas forum tenentes armis rem agunt. Tandem conventum est, cautumque ut quisque suam religionem sequeretur. Sed Anabaptistæ, ut in futurum suis rebus consulerent, atque in posterum non pares, sed superiores essent, per Rotmannum & Bernardum Knipperdolingum in vicina oppida mittunt litteras, quibus omnes ejus sententiæ consortes monent, ut relictis fortunis suis, statim ad ipsos properent: ita oppleta urbe peregrinis Anabaptistis, oppidani, quippe in re lauta erant, subduxerunt sese ei, quam prævidebant, tempestati. Hæc facta sub initium anni 1534. Debilitatis autem alterius partis viribus, deligunt Anabaptistæ Senatum suæ factionis: creant Consules, & in his Knipperdolingum: templum suburbanum Mauritii incendunt: urbem spoliant: eos, qui suæ sectæ non erant, expellunt, bonaque ipsorum occupant. Quum autem Episcopus jam urbem cœpisset obsidione cingere, evenit multis qui urbem deserebant, ut ab Episcopi copiis cæderentur. Ita coacti etiam sunt in urbe quidam furoribus Anabaptisticis applaudere. Quæ in urbe à fanaticis tempore obsidionis gesta sunt, longum esset narrare, estque res in omnium ore atque oculis. Nihil fuit indignius, quam quod sceleribus flagitiisque suis profani homines divinum quoque nomen & religionem obtenderent. Semel meliorem partem cœpit impetus vindicandi sui, & furiosum bacchantium gregem opprimendi, sed captis quinquaginta, & post multa tormenta occisis, desperatum est postea. Hoc tempore adsumpsit sibi Ioannes Leidensis titulum Regis, & se pro Rege, ut potuit, gessit, uxore etiam primaria (nam plures habebat) Reginæ nomine habituque ornata, quam tamen postea, quod minus probasse ipsius actiones visa esset, ipse obtruncavit. Tandem post multas calamitates atque insanias anno 1535, die 27 Iunii, noctu sub horam undecimam copiæ Episcopi, cui se junxerant Coloniensis Præsul Hermannus, & Dux Clivensis, cum Lantgravio Hassiæ, silentio ad urbem accedunt, & ducente quodam perfuga per fossam ad vallum enituntur. Inde patefactis portis admissoque exercitu capiunt urbem. Rex vinctus cum sociis ad vicinos Principes circumducitur, ac tandem anno 1536 candentibus forcipibus discerpitur. Hic exitus fuit factionis Monasteriensis.

Anno 1648 desideratissima illa Pax inter Hispaniæ Regem & Ordines Fœderati Belgii percussa, ut & inter Imperatorem Romanum, Regnum Sueciæ & Regem Galliæ, inchoata, & Osnabrugæ conclusa, maximo cum omnium Christianorum gaudio. Anno 1659 ab Episcopo obsessa, succurrentibus Belgii Fœderati Ordinibus liberata est, usque dum anno 1660 iterum diuturna & molestissima obsidione cincta, intercedente Cæsaris authoritate an. 1661 cum Episcopo transigere coacta fuerit, qui duo urbi castella imponere studet, quo melius eam posthac in officio continere queat.

Oppida. Civitates reliquæ sunt versus Orientem, *Warendorpium*, à Varo ita nominatum, populosum, ad Amasis ripam, lætis pascuis abundans, lini & lanæ textura; *Alen* & *Beckem* agri bonitate; *Telligt* loci amœnitate laudabiles. Versus meridiem sunt *Weerne* & *Dulmari*, quarum utraque pascuis, uti & *Haltern* agri bonitate, & nautarum statione nota. Versus Occasum Coesfeldia est fontibus & rivulis speciosa, agro & pratis optima: Hanc sequitur *Borken* Alphæ fluvio imposita: quam excipit *Bucholtzium* loco postrema, ordine prima, fertilitate, pulchritudine, multitudine incolarum, eorumque industria, & opificiis nulli cedens. Ab altera parte *Vreeden* antiquissimo Nobilium Virginum collegio, & pannorum lineorum textura famosum. Versus Septentrionem superest *Rhena*, mercatura, navigiis, salinis, fluvii amœnitate & agri bonitate insignis. *Mores.* Gens regionis candida, industria, syncera, mercaturæ dedita, opificiis insignis, perantiquam habens Nobilitatem, robusta, civilis, audax, & ad omnia apta. Vicini sunt *Osenbrugge*, *Ravensberg*, *Rhede*, *Lippe*, *Westphalen*, *Marck*, *Cellen*, *Cleve*, *Zutphen*, *Twent*, *Bentheim*, *Linge* & *Tecklenborg*.

Pars Septentrionalis. Septentrionalis pars, ab angustiis intra *Bentheim* & *Lingen* incipit, & secunda Amasi descendens ad Frisios, Oldenborgenses & Diepholtianos sese extendit. Regio tota plana, arenosa, sabulosa & paludosa. Melior pars in Vechtensi districtu & ad ripas fluviorum. *Fluvii.* Fluvii præter Amasin, *Hasa* ex Osnabrugensi territorio proveniens, uti & *Honta*, quæ lacum *Dummer* transiens, tandem in Oldenborgensem Comitatum descendit, ubi navigabilis facta Visurgim ingreditur infra Bremam aliquot leucis; cæteri ignobiliores.

Civitates. Civitates habet *Meppenam* cum arce, ad confluentiam Amasis & Hasæ, loco peropportuno sitam, cum duos habeat fluvios navigabiles. Proxima est *Haselunna*, bonis piscibus & optima cerevisia, quæ longe lateque effertur, celebris.

Hinc

Hinc *Vechta* & *Cloppenburgum* riguis pratis & antiquis castris, notabiles. Tandem *Wilshusium* superest, Hontæ ripis imminens, antiquissimo Canonicorum Collegio famosum, loco fertili & amœno. In hac regione notabiles sunt antiquitates, ex congestis lapidibus portentosæ & inusitatæ magnitudinis. Extant circa *Buren*, *Lorype*, *Cloppenborg*, *Steenveelt* & alibi. Videntur gentilium Heroum quorundam fuisse sepulchra. Nuper scrutati sunt aliqui effossa arena, & præter ossa terream supellectilem, ut cochlearia, pocula, patinas, nummulos, similesque quisquilias invenerunt. Nobilitas antiqua & multa in primis in Vechtensi districtu; incolæ vulgares robusti, laboriosi, agro colendo & effodiendis glebis (vulgò *Torff*) tota æstate occupantur, in primis in *Saderlandia*, quas in Frisiam, pro foco instruendo, navibus important, & aliis mercibus permutant.

Qualitas. Mirum est, in æternis quasi istis paludibus, tam promptum igni pabulum inveniri; accenditur enim, postquam solaribus radiis inaruit instar sulphuris, cujus odorem refert, unde verisimile bituminosum aliquid glebis istis contineri. Imo adhuc magis mirum integras arbores, imprimis piceas, & tædas aliquando ex iisdem paludibus erui, quas diluvii tempore incolæ obrutas fuisse sibi persuadent, cum alias in tota regione nuspiam ulla hominum memoria similes extiterint. Pascuis abundat, frumentique ad necessitatem imprimis secalis, phagopyrii & avenæ, lætioribus locis etiam hordei & tritici boni ferax.

Abundat regio feris omnis generis, piscibus & avibus, imprimis ardeis, quarum incredibilis numerus circa *Osterwech* & reliquis locis *uf dem Hummelinge*.

Oves etiam habet, parvulas quidem, uti & cætera animalia, sed delicatarum & sapidarum carnium. Iurisdictionem spiritualem Ecclesia Osnabrugensis sibi vendicat, quæ etiam quibusdam locis concurrit in temporalibus, ut in *Damme* & *Niekerken*. Vicini sunt *Bentheim*, *Drente*, *Westerwalde*, *Oostfrieslandt*, *Oldenburgh*, *Delmenhorst*, *Hoja*, *Diepholt*, *Minden*, *Osenbruck* & *Linge*.

EPISCOPORVM MONASTERIENSIVM SERIES.

1. SAnctus *Ludgerus* nobilis Frisius, discipulus S. Gregorii, Canonicus Osnabrugensis, præfuit annis 24. Obiit *Billerbecæ* 26 Aprilis, sepultus in Monasterio Werdensi à se fundato, anno Christi 809.

2 *Gerfridus* S. Ludgeri agnatus, 30 annis præfuit, sepultus ibidem anno 839.

3 *Altfridus* ejusdem familiæ, 10 annis præfuit, obiit 22 Aprilis, sepultus ibidem anno 849.

4 *Lubertus*, vel ut alii, *Hubertus* triennio tantum præfuit, obiit anno 852.

5 *Bertoldus* triennium attigit, mortuus an. 855.

6 *Wilhelmus* I, Pastor in *Catzenhusen* invitus ad Episcopatum trahitur à *Ludovico* Imperatore. Sacellum S. Clementis ædificavit, quamdiu vixerit, ignoratur.

7 *Richardus* è familia Regum Angliæ & Hyberniæ, procul à patria, & mundi illecebris Deo servire volens, invitus Episcopatum accipit, cui ad mortem usque laudabiliter præfuit.

8 *Rumoldus* pauperum patronus, interfuit *Concilio Triburiensi* tempore Arnolphi Imperatoris, anno 897.

9 *Hilleboldus* Ecclesiam valdè exornavit, peste mortuus.

10 *Dodo* exemplaris fuit vitæ, de cujus obitu nihil certi traditur.

11 *Suederus* Canonicus veteris Ecclesiæ fuit, ubi etiam sepultus.

12 *Theodorus* è monacho Leisbornensi dicitur Episcopus factus, sepultus ad S. Clementem.

13 *Sigfridus* è Corbejensi Monasterio, optime præfuit, multa ornamenta contulit, quæ Anabaptistarum furore perierunt.

14 *Hermannus* I Ecclesiam B. Virginis trans aquas ædificavit, & in præsentia Henrici Tertii Imperatoris consecravit, ubi etiam sepultus. Hoc tempore antiquum nomen *Milingard* paulatim exolevit, & utraque civitas *Monasterium* dici cœpit, jubente & volente Imperatore.

15 *Robertus* æternis & temporalibus bonis Ecclesiam ditavit.

16 *Fridericus* I Marchio Misniæ è suo patrimonio fundavit insigne collegium *S. Mauritii extra muros*, in quo sepultus anno 1088.

17 *Erpo* è familia Friderici Antecessoris, cum Duce Bullionæo miles interfuit gloriosæ expeditioni in terram sanctam, sepultus in templo S. Mauritii.

18 *Theodoricus* à Winzenburg præesse cœpit circa annum 1097. Hoc tempore *Godefridus* & *Otho* fratres Germani, Comites Cappenbergenses, ordinem Præmonstratensium amplexi, arcem suam in Monasterium converterunt; & præterea sex collegia è bonis suis, tria virorum, & totidem virginum fundarunt, & sufficienter dotarunt.

19 *Burchardus* ab Holthe Ecclesiam altis mœnibus cinxit, S. *Michaëlis* & S. *Gregorii* sacellum extruxit, Dulmaniensem civitatem ædificavit & munivit.

20 *Egbertus* multa reparavit incendiis superioribus deperdita, Ecclesiam Nottelensem consecravit, anno 1130.

21 *Wernerus* amore vitæ solitariæ in collegio Cappenbergensi ætatem transegit, ubi in choro sepultus.

22 *Fridericus* II, pro ædificando summo templo multa collegit, sed morte præventus in Sacello S. Clementis sepelitur.

23 *Ludovicus* I, Comes in Tecklenburg, multas immunitates & bona S. Paulo dedit, præfuit diu & bene.

24 *Godschalcus* Saxo non tam familia, quam multis virtutibus clarus.

25 *Hermannus* II, Comes in Catzen-Ellenbogen, Friderico Imperatori militavit contra Mediolanenses, anno 1162. Vnde titulum Principis Imperii primus reportavit. Fundavit collegia *S. Ludgeri* & *S. Martini*, dotavit insigne illud collegium in Marienfelt, ubi in choro quiescit. Præfuit annis triginta circiter.

26 *Otho* I, Comes in Bentheim, contra infideles pugnavit feliciter in terra sancta.

27 *Theodoricus* II, Comes de Isenburg, primum lapidem posuit summi templi, die B. Mariæ Magdalenæ, anno Christi 1225.

28 *Ludolphus* ab Holte fæliciter bella gessit, castrum Wolbekam sibi & suis exstruxit.

29 *Otho* II, Lippiæ Comes multa bona Ecclesiæ adjecit, obiit 1256.

30 *Wilhelmus* II, ab Holte, septennio præfuit.

31 *Gerhardus* Collegii Beckemensis fundator, civitates *Alen & Beckem* mœnibus cinxit, summum templum absolvit & consecravit, fundamenta Collegii fratrum minorum jecit, sepultus in choro majoris Ecclesiæ.

32 *Eberhardus* à Dieſt, pacifice gubernavit, mortuus anno Christi 1301.

33 *Otho* III, Comes in Rietperg, Præpositus Paderbornensis, de inimicis suis triumphavit, mortuus anno 1308 die S. Galli.

34 *Conradus* Comes de Monte, à Clemente V depositus.

35 *Ludovicus* II, Hassiæ Landgravius, deposito Conrado successit, bello & pace clarus, diutissime, ad annos propemodum 50, & laudabiliter regnavit. Hoc tempore collegium S. Ioannis Hierosolymitani cœpit, anno 1311. Obiit 1357.

36 *Adolphus* Marchiæ Comes, Episcopus Monasteriensis primum, post Coloniensis Antistes, septennio præfuit.

37 *Ioannes* I, à Virnenborg, uno anno præfuit, Trajectum translatus postea & tandem depositus.

38 *Florentius* à **Wevelickhoven** / quindecim annis laudabiliter gubernavit, postea Trajectensis Episcopus factus, obiit ibidem anno 1379.

39 *Potho* à **Pothstein** Boëmus, ad Caroli Quarti instantiam electus, qui cum linguæ & morum ignarus esset, mature Episcopatum, magno tamen ære gravatum, reliquit, & ad suos rediit.

40 *Henricus* I, dictus *Wulff*, anno Christi 1381, Episcopatum adeptus, undecim præfuit annis. Hoc tempore, videlicet anno 1383, ingenti & miserabili incendio tota pene civitas, à S. Servatio ad S. Georgium usque in cineres redacta, subsequente statim maxima peste, quæ ultra 4000 brevissimo tempore sustulit è medio. In hujus rei memoriam solemnis illa processio, quæ feria secunda ante festum S. Margarethæ celebratur, instituta. Obiit anno 1392.

41 *Otho* IV, Comes ab Hoja, periculosa, sed fælicia bella gessit pro Ecclesia, cui annis triginta duobus præfuit. Mortuus in castro Bevergern anno Christi 1424. Hisce temporibus collegium *Fontis Salientis* cœpit, confirmatum postea à Martino V, & Eugenio IV, Pontificibus.

42 *Henricus* II, Comes à Mörsa, frater Archiepiscopi Coloniensis, castrum Stromberg ædificavit, equo lapsus misere obiit, anno Christi 1450. Strombergæ sepultus.

43 *Walramus* Comes à Mörsa, Henrici frater, nunquam quiete Episcopatum possedit, propter Ericum ab Hoja competitorem. Hinc celebris illa pugna circa Monasterium *Vaarle*, ubi multi succubuerunt, Fridericus Dux Luneburgensis, & quidam Comes Schaumburgensis cum multis aliis capti. Dissidium hoc duravit usque ad mortem Walrami, 1457.

44 *Ioannes* II, Dux utriusque Bavariæ, Princeps pacificus, prudenter sublato dissidio, alta tranquillitate & pace novennium præfuit. Postea Archiepiscopus Magdeburgensis factus, ibidem moritur, anno Christi 1475.

45 *Henricus* III, Comes **de Schwartzenburg** / 30 annis & bene præfuit, Clerum reformavit. Hoc tempore cœpit pulcherrima illa Carthusia in *Wedderen*, à quodam ditissimo nobili dicto *Keppel*, cujus unicus filius à parte Caroli Burgundi in obsidione Novesiana perierat. Mortuus anno Christi 1496.

46 *Conradus* II, Comes in Rietperg, Episcopus Osnabrugensis ædificavit castrum Iburg, reformavit *Rulle & Quernheim*, mortuus anno 1508.

47 *Ericus* I, Dux Saxoniæ, quatuordecim annis quiete gubernavit. Obiit anno Christi 1522.

48 *Fridericus* III, Comes in Wiedah, reservata annua pensione, resignavit.

49 *Ericus* II, Dux Brunsvicensis in Grubenhagen, Episcopus Osnabrugensis, nihil memorabile gessit, altero post electionem mense vita functus.

50 *Franciscus* Comes à Waldeck, difficillimis temporibus feliciter gubernavit. Hoc tempore *Ioannes Leydensis* sartor, Anabaptistarum furore in Regem electus, ingentes turbas concitavit, quas anno Christi 1535, die S. Ioannis Baptistæ urbe capta, & punitis reis, prudenter sustulit. Obiit Wobecæ, sepultus in summo templo, anno 1553.

51 *Wilhelmus* III, dictus Kettler, quinquennium attigit, postmodum ultro resignavit, anno 1557. Supervixit usque ad an. 1582. Sepultus Cosfeldiæ.

52 *Bernhardus* à Rasfelt, è Cellario summi templi Episcopus factus, multa instauravit, & postquam novennio præfuisset, ultro cessit anno 1566. Sepultus in summo templo anno 1574.

53 *Ioannes* III, Comes ab Hoja, Princeps doctissimus & multarum linguarum peritus. Primò fuit Præses Cameræ Imperialis, postmodum Osnabrugensis Monasteriensis Antistes, tandem etiam Paderbornensis Administrator. Statuta reformavit, Ahusiæ mortuus, & in summo templo sepultus anno 1574.

54 *Ioannes Wilhelmus* Dux Iuliæ, Cliviæ & Montium administravit Episcopatum annis undecim. Postmodum resignavit, & uxorem duxit. Mortuus sine prole anno 1609.

55 *Ernestus* Dux utriusque Bavariæ, Archiepiscopus Coloniensis, Episcopus & Administrator Monasteriensis, Leodiensis, Frisingensis, Hildesiensis &c. electus anno 1585, viginti septem annis, difficillimis temporibus præfuit, Princeps doctus & multarum linguarum peritus. Primum lapidem posuit collegii Petrini Societatis Iesu. Obiit anno 1612, Arensbergæ, sepultus Coloniæ in summo templo.

56 *Ferdinandus* Dux utriusque Bavariæ, Archiepiscopus & Elector Coloniensis, Episcopus Leodiensis, Coadjutor Paderbornensis, Administrator Hildesiensis &c. Anno 1612, Monasteriensis fit Antistes, & 11 Aprilis publico omnium bonorum gaudio, solennibus & consuetis ceremoniis introducitur. Decedit anno 1650, 13 Septembris.

57 *Christophorus Bernardus* è *Baronibus de Gahlen*, Suffr. Capit. & omnium nobilium Statuum applausu in Successf. Ferd. eligitur an. 1650. 26. Oct. Qui Princeps post varias cum urbe Monasterio dissensiones, tandem ei reconciliatus est anno hoc currente 1661, & res tota feliciter composita, ut superius jam diximus.

PADER-

PADERBORNENSIS EPISCOPATVS.



Populi antiqui. DEvictis Westphalis, Carolus Magnus quatuor Episcopatus instituit, Monasteriensem, Osnabrugensem, Mindensem, & Paderbornensem. Hunc olim inhabitasse Busactores majores, Chemas, Angrivarios, perhibet Bilibaldus Pircheimerus patritius Norimbergensis, & Consiliarius Caroli V Imperat. Adscribam verba: *Cæterum inter Chaucos parvos atque Suevos incolebant Busactores majores, & sub his Chemæ, & deinde Angrivarii, quorum reliquiæ hodie quoque supersunt. Episcopus Coloniensis se Ducem Angrivariorum appellat. Nunc autem Oostphali & Westphali ibi degunt, & Monasterienses. Est & Paderbornensis & Bremensis ibi Episcopatus.* Civitates idem Busactorum esse ait: *Mediolanum,* Munster; *Teuderium,* Paderborn; *Siatuanda,* Osenbruck; *Tulisurgium,* Brunswick.

Termini. Terminatur autem ad Ortum Ducatu Brunswicensi, Hassiæque confiniis, à Meridie Comitatu Waldecensi, ab Occidente Ducatu Westphaliæ particularis, & Reckenbergensi territorio: ad Septentrionem Lippiæ Comitatu. *Nomen unde.* Nomen habet à celeberrimis *Padi Westphalici* fontibus, (*Born* fontem significat & scaturiginem) qui in media civitate Paderbornensi copiosissima scaturigine diversis locis, ad pedes Ecclesiæ Cathedralis erumpunt, & gratissimo murmure labentes, diversas insulas constituunt. *Origo.* Originem habet à Carolo Magno, qui, post devictum Wedekindum, pro majori incremento religionis Christianæ, Ecclesiam hanc fundavit, & data, pro insigni, rubra cruce, præfectura Dringenbergensi dotavit, anno Christi 780, Burckhardo Episcopo Herbipolensi administratione usque ad Hatumarum primum antistitem quindecim annis relicta. Eandem Diœcesin, Erico Duce Brunswicensi extincto, Hermannus Comes à Weda Archiepiscopus Coloniensis administrare cœpit: idque hac factum occasione. Anno 1527 cum in urbe Paderborna, vernali convivio, quod more ibi usitato celebrari solet, ministri Canonicorum choreas cum civium uxoribus & filiabus ducere liberius & inverecundius viderentur, juvenes civium offensi eos objurgant, & mox in templum digressi, occupato petulantius choro, per ludibrium cantiones sacrificulorum imitantur, mox libros lacerant, & sacris improperant. Cui petulantiæ ut occurreret Episcopus, urbem bis mille aureis mulctat, & immunitatibus quibusdam privat, Senatumque & cives adigit, ut nunquam se Lutheranam religionem admissuros in urbem promitterent. At mortuo Erico cives duobus templis Ministros

præficiunt. Quo suo malo permoti Canonici, ne longius hæc res serperet, potente sibi Episcopo opus esse judicabant. Itaque Hermannum Coloniensem Archiepiscopum hac conditione eligunt, ut Lutheranismum jam in urbe publice invalescentem exigeret, ac aboleret. Hic mille equitum manu, Georgio Duce Brunswicensi, Adolpho Schauburgensi Coadjutore suo, Simone Lippiensi, & Ottone Ritbergensi, aliorumque Comitum, nobiliumque manu stipatus, Paderbornam die Dionysii ingreditur, &, ubi fidelitatis juramento cives adstrinxisset, tres concionatores novos comprehendi, & addito præsidio, Ansbergam avehi jubet. Aberrante vero ob pluviam auriga, in pagum urbi Susato parentem perducti sunt, ubi à civibus Susatensibus agniti Susatum deducti sunt, & præsenti periculo exemti. E civibus vero cum sedecim mortis reos pronunciasset novus Episcopus, jamque ii in forum essent producti, ut supplicio afficerentur, carnifex rei indignitate permotus, capitalem sententiam adversus innocentes (ex more ejus loci carnifices mortis libellum pronunciant) recitare noluit, gladiumque Magistratui reddidit. Interea matronæ virginesque in foro compitisque ejulantes, pansis palmis coram Episcopo, è curia cum suis prospectante, procidentes veniam damnatis deprecantur. Intercedunt mox Consiliarii. Tandem Episcopus misericordia motus eos in carcerem reduci jubet, & postea vitæ iis securitate donata, pecunia multatos, integrum annum captivos in suis quemque ædibus manere, Catholicam Romanam vero religionem in omnibus templis restitutam, unicam & solam deinceps servari mandat.

Soli fertilitas. Regio non ampla, sed fertilissima. Imprimis frumenti nullius non generis feracissima est, ovium quoque & vervecum (quod Galli & Brabanti norunt mercatores, quotannis istuc & ad vicina loca confluentes) porcorum, aliorumque animalium tam sylvestrium, quam domesticorum incredibili multitudine luxurians. *Fontes.* Fontes & rivuli plures quam trecenti, qui omnes delicatissimi saporis piscibus abundant. Excipiuntur pauci aliqui, medicatum & acidulum saporem habentes, ut circa *Driburgum & Brakel.* Sunt quoque fontes hic indolis stupendæ, ut qui vulgo dicitur *Bulderborn*, fluxum & refluxum habens instar Oceani, non procul à pago *Alden Bekem.* Item fluvii diversi, ut circa *Lechtenouwe*, qui terra absorpti, post aliquot milliaria iterum erumpere creduntur Paderbornæ & alibi. *Fodinæ.* Fodinas habet ferri laudati, plumbi, lapidum, & salinas diversis locis: quin etiam nuper marmor ostentare cœpit, & alicubi arenulas auri.

Regionis partes. Mediam regionem intersecat dorsum mon-

 tium


PADERBORNENSIS
Episcopatus
DESCRIPTIO NOVA
Ioanne Gigante Ludense D.Med.et Math.auth.
Septentrio
Meridies
Occidens
Oriens
COMITATUS PARS
Paderborn
Lippsprinck
Warborg
Dringenborg
Brakel
Borcholte
Beverungen
Corvei
Horn
Comitatus pars
Amstelodami Guiljelmus Blaeuw excudit.
Milliaria Germanica communia.
Horæ Itineris.

tium à *Stad-Berg*, ad oppidum *Horn* uſque, quod in duas illam partes æquales dividit, *Ciſmontanam* & *Tramontanam*. Ciſmontana plana fere eſt tota, fertiliſque, niſi ubi tandem in ericeta deſinit, in territorio Delburgenſi. Tramontana inæqualis & prærupta, fœcunda tamen agris & paſcuis. Fluvii Ciſmontani ſunt, Amaſis, Padus, & Alma. Amaſis in profunda hic valle, lenta, ſed copioſa ſcaturigine, ſolo arenoſo caput attollit, pererratiſque omnibus Monaſterienſium finibus, ubi Orientalem Friſiam permeavit, Dullarto ſe miſcet, ac Embdam alluens ſpacioſo oſtio mare ingreditur. Padus & Alma à Lupia recipiuntur. Lupia hic quoque copioſo fonte oritur prope urbem *Lipſprinck*, qui Nienhuyſium adiens, & porro Epiſcopatum Monaſterienſem pervagatus, prope Veſaliam Rheno miſcetur. Tramontani ſunt Emmera, Neeta, & Dymela, Viſurgi ſe ingerentes, cum multis aliis minoris famæ. Metropolis regionis eſt Paderborna, agri fœcunditate, loci amœnitate, cereviſiæ bonitate, & Academia nulli cedens. Præter hanc civitates plures viginti, è quibus potiores cis montes *Soltkotten* ſalinis optimis, *Lipſprinck* fontibus Lippiæ, *Buren* ſede antiquiſſimæ familiæ nobiles. Trans montes præcipua eſt *Warburgum*, olim Comitatus, ubi ſumen totius regionis ad ripam Dymelæ. Sequuntur *Borrentryck*, *Peckelsheym*, *Borcholte*, *Beverunge*, *Brakel* & *Steinheim*, omnes fertiliſſimi agri. Poſtrema loco, non ordine, *Lugda*, amœniſſima valle inter paſcua & prata, ad Emmeræ ripam collocata, unde non procul acidulæ Pyrmontanæ, longa experientia ad multos morbos commendatæ. *Sualenborg* & *Oldenborg* olim peculiares fuerunt Comitatus, qui nunc certis conditionibus, diverſis tamen, Epiſcopo Paderbornenſi, & Comiti Lippienſi conjunctim ſubjiciuntur. Vicini Paderbornenſium ſunt, Dux Brunſwicenſis, Abbas Corbejenſis, Haſſus, Waldeck, Dux Weſtfaliæ, Lippiæ Comes, Rietperg, Ravensberg & Pyrmont. In hoc tractu creduntur cæſæ legiones Romanorum Duce Quinctilio Varo, ab Arminio Cheruſcorum Duce.

Fluvii. *Metropolis.* *Vrbes aliæ.*

EPISCOPORVM PADERBORNENSIVM SERIES.

1 SAnctus *Hatumarus* Saxo, à Carolo Magno Francorum Rege Epiſcopus nominatus, anno Chriſti 795. Summum templum incendio vaſtatum inſtauravit, quod Leo Tertius Pontifex conſecravit. præfuit annis novem, mortuus anno 804.

2 *Baduradus* Saxo Canonicus Herbipolenſis, ſtructuram ſummi templi perfecit, reliquias S. Liborii per Menolphum Archidiaconum obtinuit, qui poſtea monaſterium in Bödeke fundavit. Præfuit annis 48, obiit 852.

3 *Luthardus* à Vandalis fidei cauſa martyrio affectus anno 877. Soror ipſius fuit S. Walpurgis, nobilis Collegii in Heerſe fundatrix.

4 *Biſo* Hervordienſe Collegium exſtruxit, quod paulo poſt Vngari devaſtarunt, obiit 902.

5 *Theodoricus* novem annis præfuit, obiit 911.

6 *Vimannus* novemdecim attigit, mortuus anno 930.

7 *Dudo* pace & bello vigintiquinque annis clarus, obiit anno 955.

8 *Volcmarus* auream crucem ab Otthone II, Imperatore, accepit, mortuus anno 981.

9 *Rotharius* multa privilegia à Sylveſtro Papa & Otthone III, Imperatore, obtinuit, mortuus anno 1009.

10 *S. Meinwercus* Geldriæ Comes, ſummum templum, quod adhuc ſupereſt, conſtruxit, Collegium in *Buſtorp*, Monaſterium *Abbinckhoff*; Collegium virginum ad S. Crucem Hervordiæ fundavit & liberaliter dotavit. Padebornam mœnibus cinxit, Hervordienſe Collegium ab Hungaris vaſtatum inſtauravit, Comitatum Warburgenſem aliaque temporalia ab Imperatore obtinuit. Obiit anno 1036, ſepultus in Abbinckhoff.

11 *Rotho* Baro in Büren, Abbas Hirsfeldenſis, præfuit ſedecim annis, mortuus 1052.

12 *Imadus* Pleſſiæ Comes viginti ſeptem annis præfuit. Hoc tempore incendio magna civitatis pars periit. Obiit 1077.

13 *Poppo* ab Holthe Præpoſitus Bambergenſis, multa inſtauravit, ſeptennio elapſo vita functus anno 1084.

14 *Henricus* I, Comes in Waldeck, coëlectus Henrico ab Aſſeloh, qui Archiepiſcopus Magdeburgenſis factus tandem acquievit, obiit anno 1126.

15 *Bernhardus* I, à Dieſeden, monaſterium *Hardehuſen* & *Gerden* fundavit, Conradum Comitem Arnſpergenſem prælio vicit, ſummum templum jam quarto igne vaſtatum inſtauravit. Mortuus anno 1159.

16 *Evergiſus* Canonicus Paderbornenſis ſeptendecim annis præfuit, obiit 1176.

17 *Siſridus* præpoſitus Paderbornenſis decennium attigit, mortuus 1186.

18 *Bernhardus* II, à Dieſeden, multa à Wedekindo Sualenbergenſi Comite redemit, obiit 1202.

19 *Bernhardus* III, multa privilegia ab Honorio Papa obtinuit, mortuus anno 1221.

20 *Olivarius* doctus & diſertus Princeps, biennio præfuit, Cardinalis titulo S. Sabinæ factus, reſignavit anno 1223.

21 *Wilibrandus*, Comes ab Oldenborg, viſitavit terram ſanctam, Epiſcopus Trajectenſis factus, reſignavit anno 1225.

22 *Bernhardus* IV, viginti novem annis gubernavit, mortuus anno 1254.

23 *Simon* I, à Scartenberg, præfuit annis viginti, obiit 1274.

24 *Ottho*, Comes in Rietperg, rebelles domuit, & bene triginta annis gubernavit, mortuus anno 1304.

25 *Guntherus* Comes in Sualenberg, coëlectus Theodorico de Itteren, cui reſervata annua penſione volens reſignavit anno 1308.

26 *Theodoricus* I ab Itteren, duodecim annos regiminis explevit, obiit anno 1320.

27 *Bernhardus* V, Lippiæ Comes, motus Paderbornenſes prudenter compeſcuit, arcem Dringenbergenſem & Beverungenſem exſtruxit, lites

lites cum vicinis pacifice sustulit. Præfuit annis viginti, mortuus anno 1340.

28 *Baldewinus* Comes in Stenvorde, Episcopatum valde ampliavit & auxit. Senio confectus Abbatem Corbejensem Henricum in Coadjutorem adsumpsit. Præfuit annis viginti, obiit anno 1360.

29 *Henricus* II, dictus Spegel, primus Suffraganeo usus, obiit 1378.

30 *Simon* II, Comes in Sternberg, Decanus summi templi, mortuus anno Christi 1389.

31 *Robertus* Dux Montium è Passaviensi Paderbornensis fit Episcopus; ubi sexennium attigit, obiit 1394.

32. *Ioannes* I, Comes ab Hoja, Comitatus Ebersteinensis partem Episcopatui adjecit, postea Episcopus Hildesiensis electus anno 1399.

33 *Bertrandus* Ferrariensis Italus, elapso biennio ad suos rediit, anno 1401.

34 *Wilhelmus* Dux Montium quatuordecim annis præfuit, post uxore ductâ resignavit anno Christi 1415.

35 *Theodoricus* II, Comes de Morsa, Archiepiscopus Coloniensis, Episcopus Halberstadensis & Paderbornensis, quadraginta octo annis gubernavit, mortuus anno 1461.

36 *Simon* III, Lippiæ Comes, triginta quinque annis præfuit, & propter morbum successori resignavit anno 1498.

37 *Hermannus* I, Hassiæ Landgravius, Archiepiscopus Coloniensis decennium magna laude explevit, vita functus anno 1508.

38 *Ericus* Dux Brunsvicensis, Episcopus Monasteriensis viginti quatuor annis præfuit, mortuus anno 1532.

39 *Hermannus* II, Comes de Wiedah, Archiepiscopus Coloniensis, resignavit anno 1547.

40 *Rembertus* à Kersenbrock, viginti annis & uno laudabiliter gubernavit, mortuus anno 1568.

41 *Ioannes* II, ab Hoja, doctus Princeps, Episcopus Monasteriensis & Osnabrugensis, præfuit annis sex, obiit anno 1574.

42 *Salentinus* Comes ab Isenburg, Archiepiscopus Coloniensis, magna laude triennium implevit, postea familiæ causa uxorem ducens sponte resignavit anno Christi 1577.

43 *Henricus* II, Dux Saxoniæ, Archiepiscopus Bremensis, equi lapsu læsus moritur anno 1586.

44 *Theodorus* à Furstenberg triginta duobus annis præfuit magna laude. Dotavit Ecclesiam, fundavit Collegium Societatis Iesu, aperuit Academiam anno 1616, instauravit & de novo extruxit *Nienhuß* & *Wevelsburg*. Obiit plenus dierum an. 1618, 4 Decembris.

45 *Ferdinandus* Elector Coloniensis, natus anno 1577 ex Wilhelmo Duce Bavariæ & Renata Francisci I, Ducis Lotharingiæ filia, ad Electoratum dein & Ecclesiam Coloniensem an. 1612 admotus, quatuor Episcopatus Leodiensem, Monasteriensem, Hildeshemiensem & Paterbornensem per annos fere octo & triginta, in gravissimo illo Germanico bello constantissime gubernavit. Obiit anno 1650 Arnsbergæ, quo se paulo ante recreationis caussa contulerat.

46 *Theodorus Adolphus à Reck*, suffragiis Capitularium eodem anno solennibus ceremoniis in Episcopum Paderbornensem inauguratus est, obiit anno 1661.

DIOECESIS CORBEIENSIS.

Corbejense Collegium fundavit Ludovicus Imperator, dictus Pius, anno Christi 817. *Fundatio.* Etsi vero post expugnationem castri *Brunsberg* Carolus, Imperator, jamdudum locum destinaverat, Saxonum tamen rebellione factum, & bellorum varietate, quo minus intentionem hanc piam optimus Princeps assequi potuerit. Post mortem igitur filii successoris authoritate, monachi ex *aurea Corbeja* (quod monasterium est ordinis S. Benedicti, in Galliis à Clodoveo Rege anno 663 constructum) in antiquam Saxoniam missi, trans Visurgim, in amplissima illa sylva, quæ hodierno *die Solling* nuncupatur, fundamenta posuerunt novi Collegii, quorum adhuc rudimenta supersunt, sed loci incommoditate, certisque calamitatibus moti, mature sententiam mutarunt, & ad Occidentalem Visurgis ripam, ubi nunc extat, transtulerunt, anno Christi 822. In amœnissima igitur planicie locum idoneum nacti ædificarunt, & nomen monasterii, unde recesserant, novello huic Collegio imposuerunt. Primus loci Abbas fuit S. Adelhardus, qui tamen ante operis perfectionem vita functus, cui Ludovici Imperatoris frater Warinus successit, & præclare cœpta ex animi sententia perfecit. In tantum autem crevit loci devotio, ut paucis annis in amplissimum evaserit seminarium Christianæ fidei, & toti Saxoniæ Apostolos & Episcopos dederit complures. Immo mare quoque transiit ad insulas Septentrionis, quarum plures, ut Rugiensem, ad suave Euangelii jugum perduxit, & multis annis possedit. Evolvantur catalogi Episcoporum utriusque Saxoniæ, & semper interesrunt monachi Corbejenses. Regio etsi non ampla, fertilis tamen & bona, imprimis ubi Visurgim attingit, omnibusque vitæ necessariis instructissima. Montes glandiferis arboribus, valles pascuis, plana frumentis optimis abundant; quibus navigabilis fluvius, quod superest devehens, quod deest advehens, merito annumeratur. Fluvii, præter Visurgim Westphaliæ *Fluvii.* limitem, sunt *Neeta*, ex Paderbornensi territorio defluens, *Grove*, *Schelpe*, & *Saamer*, qui omnes pisces optimos præbent, & Visurgi miscentur. Principalis totius Diœcesis locus est *Hoxariensis*, *Metropolis.* quatuor habens parochias, mercatura, incolarum numero, navigio, piscatione, ponte, limpidissimis rivulis, agro fertilissimo, multis præferenda. Nobilitas antiqua hic & multa: Parochiæ extra civitatem duodecim circiter, inter quas insigne virginum Collegium in *Valle Dei*, vulgo *Brenckhusen*. Habet & extra Diœcesim Præposituras, ut in *Monte Martis* & *Kemnaden*. Abbas est Princeps Imperii, Vasallos habens Principes, Comites, & nobiles quamplurimos. Patroni & Advocati sunt duo *Brunswick* & *Hessen*; vicini tres, *Brunswick*, *Paderborn* & *Lippe*.

ABBATVM CORBEIENSIVM SERIES.

1 SAnctus *Adelhardus* ex aurea Corbeja in Saxoniam ablegatus quinquennio præfuit, mortuus anno 822.

2 *Warinus* Galliæ Regis frater, mortuus anno 856.

3 *Adelgarius* coadjutor Bremensis Ecclesiæ factus ibidem obiit 909.

4 *Danckmarus* vix annum præfuit, obiit 890.

5 *Avo* quadriennio Abbas fuit, mortuus anno 893.

6 *Bavo* I, Historicus fœlix suorum temporum, moritur 904.

7 *Godschalcus* vita functus anno 913.

8 *Bavo* II, decennium præfuit, mortuus anno 923.

9 *Volcmarus* I, Otthoni Imperatori familiaris, moritur anno 958.

10 *Bavo* III, Præposituram Groningensem acquisivit, mortuus anno 964.

11 *Gerbernus* post quatuordecim annos regiminis moritur 978.

12 *Ludolphus* viginti annos præfuit, obiit anno 998.

13 *Deuthmarus* S. Henrici Imperatoris familiaris, obiit anno 1003.

14 *Hosed* novennio præfuit, quo tempore civitas Corbejensis, quæ postea Hoxariam translata, incendio periit, obiit 1022.

15 *Walo* post duodecim annos deponitur, 1034.

16 *Diethmarus* secundum vidit incendium, mortuus 1046.

17 *Ruthardus* post quadriennium depositus fit Abbas Hirsfeldensis, ubi moritur anno 1046.

18 *Arnolphus* à Falckenberg post quinque annos fit Episcopus Spirensis.

19 *Saracha* electus anno 1055, hoc tempore Hoxariensis civitas ædificari cœpta. Obiit anno 1071.

20 *Wernerus* cum Osnabrugensi lites habuit, moritur 1082.

21 *Fridericus* depositus post biennium, anno 1085.

22 *Marquardus* anno 1088 Osnabrugensis fit Antistes.

23 *Erkenbertus* viginti octo annis præfuit, mortuus 1116.

24 *Volckmarus* II, moritur anno 1122.

25 *Adelbertus* moritur anno 1127.

26 *Henricus* I, uno tantum anno præest, moritur 1128.

27 *Henricus* II, triennium implet, obiit anno 1131.

28 *Wichboldus* à Conrado III, & Friderico I. Impp. multa privilegia Ecclesiæ suæ impetravit, & Comiti Ebersteinensi castrum Forstenberg primo in feudum dedit, 1174.

29 *Conradus* post triennium moritur, anno salutis 1177.

30 *Wedekindus* Spegel ædificavit castrum Kogelberg, obiit 1196.

31 *Diethmarus* II, à Stockhusen, historias suorum temporum scripsit. Obiit 1200.

32 *Hugoldus* fuit in Comitiis Herbipolensibus, mortuus 1229.

33 *Hermannus* I. Rugravius in Dassel, obiit 1259.

34 *Thimo* duodecim annis gubernavit, quo tempore Hoxaria à Paderbornensi Episcopo capta & desolata. Obiit anno 1271.

35 *Henricus* III, nobilis dominus in Homburg, moritur anno 1299.

36 *Rupertus* ædificavit arcem Tonenburg, mortuus anno 1305.

37 *Theodoricus* à Dalwig, castrum Forstenow exstruxit, mortuus 1321.

38 *Henricus* IV, dictus Spegel, fit Episcopus Paderbornensis 1360.

39 *Reinerus* à Dalwig pugnavit contra Brakelenses, moritur 1365.

40 *Ernestus* Dux de Sale deponitur. Occubuit anno 1367.

41 *Bodo* Comes in Pyrmont moritur anno Christi 1372.

42 *Theodoricus* II, post biennium depositus.

43 *Arnoldus* Wülff viginti sex annis præest, moritur 1400.

44 *Wilbrandus* ab Hallermont fit Episcopus Mindensis.

45 *Theodoricus* à Runst septendecim annis præfuit.

46 *Mauritius* Comes in Spegelberg, Hassiæ Landgravium in protectorem eligit anno 1434, moritur 1446.

47 *Arnoldus* à Malsburg moritur 1472.

48 *Hermannus* II, à Stockhusen, moritur anno 1479.

49 *Hermannus* III, à Bemelborg, moritur anno 1504.

50 *Franciscus Ketler* moritur anno 1547.

51 *Casparus* ab Hörsel moritur anno 1555.

52 *Reinhardus* à Bockholtz multa instauravit. Obiit 1585.

53 *Theodoricus* IV, à Berninckhusen Calendarium reformavit, mortuus 1616.

54 *Henricus* V, ab Aschebroeck, electus statim post obitum Theodorici die S. Bartholomei Apostoli.

D E-

DESCRIPTIO OSNABRVGENSIS EPISCOPATVS.

Termini.



Monasteriensi Diœcesi Occidentem & Orientem versus adjacet Episcopatus Osnabrugensis, Mindensi vero ad Ortum, in veteri Bructerorum regione, quæ nunc ad Westphaliam pertinet. Et habet Bructerorum nominis terminationem urbs, ut & aliæ in eo tractu complures. Civitas insignis est, à Comitibus de *Engern* exstructa, auctore Hermanno. Alii à Iulio Cæsare hanc urbem inceptam esse perhibent, ut Annales Saxonum. Ferunt hanc à pellibus bovinis dictam, quibus urbs hæc fuerat circumdata, quasi dicas *Ossenburgum*. Sita est in valle amœnissima, irrigaturque Hasa flumine. Tempore Caroli Magni insedit loca ista Widekindus Saxonum regulus, quo devicto Ecclesiam illic in honorem B.Petri, & sanctorum Crispini & Crispiniani excitavit Carolus: deditque ei Episcopum Wisonem cum ingentibus latifundiis, & Schola Græca ac Latina: sicut ex instrumento donationis liquet, quod nos ad verbum descripsimus:

Metropolis.

Episcopatus institutio.

Diploma Caroli Magni.

In nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Carolus Imperator Augustus Romanum gubernans Imperium, Dominus & Rex Francorum & Longobardorum, necnon Dominator Saxonum. Notum sit omnibus sanctæ Ecclesiæ fidelibus, nostrisque præsentibus & futuris, quod nos ob nostræ mercedis augmentum, Wisoni Episcopo Osnabrugensi, suæ Ecclesiæ, quam nos primam in omni Saxonia in honorem S. Petri principis Apostolorum & Sanctorum Martyrum Crispini & Crispiniani construximus, quoddam nemus vel forestum intra hæc loca, *Farnewenckel, Rustenheym, Angaria, Osningsnethe, Dersshosset, Egesterfelt*, innumera collaudatione illius regionis potentum, cum omni integritate in porcis sylvestribus, cervis, avibus & piscibus, omnique venatione, quæ sub banno usuali ad forestum deputatur, ad similitudinem foresti nostri Aquisgrani in silveta Osningi, in perpetuum pietatis usum donavimus, ea videlicet ratione, quod si quispiam hoc idem nemus nostro banno mutatum sine prædictæ sedis Episcopi licentia, studio venandi, vel aliud agendi unquam introierit, sciat, se tam divinæ quam regiæ ultionis vindictam incursurum, necnon pro delicto sexaginta solidos nostri ponderis, quos nobis pro banno violato statuimus debere, redditurum. Insuper vero eidem Episcopo ejusque successoribus perpetuam concedimus licentiam, libertatem, & ab omni regali imperio absolutionem; nisi forte contingat, ut Imperator Romanorum & Rex Græcorum, conjugalia fœdera inter filios eorum contrahi disponant. Tunc Ecclesiæ illius Episcopus cum sumptu à Rege vel Imperatore adhibito, laborem simul & honorem illius Legationis adsumet. Et ea de causa statuimus, quod in eodem loco Græcas & Latinas Scholas in perpetuum manere ordinavimus: nec unquam clericos utriusque linguæ gnaros deesse confidimus, &c. Aquisgrani in Palatio.

Decanatus.

Diœcesis Osnabrugensis Decanatus sunt sedecim, nimirum ipsius Civitatis Osnabrugensis, in quo Parochiæ 13, quarum duæ nunc Commendatæ. Iburgensis Decanatus habet Parochias 10; Widenburgensis 8; Furstenaviensis 16; Vordensis 13; Gronebergensis 10; Emslandiæ primarius 10; Secundarius itidem 10; Cloppenburgensis 13; Vechtensis 14; Wildeshusanus 8; cum aliis ex Comitatibus Oldenburgensi & Diepholtano, in Principatu Frisiæ Orientalis Decanatus 11, & aliæ omnes nunc Commendatæ. Decanatus Ritbergensis 4 habens Parochias; Decanatus Lingensis 14, ad tempus ab hac Diœcesi authoritate Apostolica separatæ. Decanatus Tecklenburgensis 7, & unam in oppido Tecklenburg, omnesque alias nunc Commendatas. Decanatus Ravensburgensis 16, similiter omnes nunc ad tempus Commendatas; & Decanatus Limburgensis 5, omnes similiter Commendatas.

Oppida minora.

Fluvius. Lacus.

Sunt & hic oppidula minora: *Forstenowe, Vorde, Witlage, Melle, Iburg*, & ad lacum Dummerium *Hundeborgh*. Mediam regionem, uti & metropolim, intersecat *Hasa* fluvius, cujus fons ad meridiem non longe à *Brinck* pago oritur. Montibus, & vallibus, amœnissima sunt loca, pascuis & ericetis amplissima, falconum prope lacum jam dictum aucupio jucundissima. Paludes quoque & stagna habet. In confinibus vides ad Occidentem Comitatum *Tecklenborg*, ad meridiem Comitatum *Ravensberg*.

EPISCOPORVM OSNABRVGENSIVM SERIES.

1 Sanctus *Wiho*, ex Frisia à Carolo Magno evocatus, vir genere, doctrina, sanctitate vitæ, zeloque animarum illustris, sedit annos 32, obiit anno 804.

2 *Meingardus*. De hoc nil nisi nomen posteritati relictum, annos explevit regiminis 29, vitam cum morte commutavit 833.

OSNABRVGENSIS EPISCOPATVS.
Auctore Ioanne Gigante.

Reverendissimo et Ill.mo Principi ac Domino D.no FRANCISCO GVILIELMO Episc. OSNABRVGENSI S. ROM: IMP: PRIN: Comiti in Wartenberg etc. Principi suo longe clementissimo humillime offert IOANNES GIGAS MED. DOCT.

Amstelodami, Guiljelm. Blaeuw Excudit.

DVMMER LACVS

Hic pascua & ericeta amplissima.

Duae hic parochiae Damm et Nienkercken mixtum habent Iurisdictionem cum Monasteriensibus hoc tempore.

Hic capiuntur Falcones optimi

OSENBRVGGE

DISTRICTVS RECKENBERGENSIS.

Septentrio. Meridies. Occidens. Oriens.

Miliaria Germanica Communia

63.

3 *Gosivinus*, Monachus S. Benedicti Fuldæ, præfuit 32, mortuus 866.

4 Sanctus *Gosbertus* Martyr, Suecus, discipulus S. Ansgarii, Apostoli Sueciæ, occisus pro religione Catholica à Barbaris, rexit 8, excessit 874.

5 *Egbertus*, sive *Eginhardus*, recuperandis decimis, Episcopatui ablatis, solicite intentus, gubernavit 10, vita functus 884.

6 *Egilmarus*. Ei redduntur alienatæ decimæ; & quinque aliæ Ecclesiæ ab Arnulpho Imperatore adjiciuntur: gubernavit 33, mundo emigravit 918.

7 *Dodo* I. Is obtinuit confirmationem privilegiorum, Ecclesiæ Osnabrugensi datorum, sedit 16, mortuus 934.

8 *Drogo*. Illustria impetrat ab Othone I, Imperatore, circa cudendam monetam, instituendos mercatus & nundinas, privilegia, præfuit 35, obiit anno 969.

9 *Ludolphus*, Othonis I, Imperatoris, consanguineus, rexit 26, vita functus 983.

10 *Dodo* II, Othoni II & III, Imperatoribus valde gratus, administravit 13, excessit 996.

11 *Gunthardus*, sive *Guntradus*, aliis *Guntherus*; quem noctu sancti Martyres *Crispinus* & *Crispinianus* ad acceptandum Episcopatum animant, gubernavit 4, fato cessit 1000.

12 *Wacholphus*, Polyonymus Historicis, qui etiam ipsum *Warnandum*, *Wedilolphum*, *Wannonum* dicunt, sedit 2, obiit 1002.

13 *Diethmarus*, ex Canonico S. Mauritii extra muros Monasterienses, factus Decanus Aquisgranensis, tandem Episcopus Osnabrugensis, fundavit Ecclesiam S. Ioannis Baptistæ, librisque suis Bibliothecam donat; & oculis tandem capitur, præfuit 21, mortuus 1023.

14 *Meinerus*, sive *Mencherus*, sive *Menincherus*, gubernavit 5, vita functus 1028.

15 *Gosmarus*, rexit 9, excessit 1038.

16 *Elvericus*, vel *Elevericus*, vel *Alverus*, gubernavit 15, vita functus 1052.

17 *Benno* I, vel *Brenno*, aliis etiam *Bernardus*, rexit 16, excessit 1068.

18 Beatus *Benno* II, miraculo natus sterilibus parentibus, ex Præposito Hildesimensi Episcopus Osnabrugensis, à S. Annone consecratus; Fundator Cœnobii Iburgensis, & Montis sanctæ Gertrudis; privilegiorum egregius vindex, glires sacris obnunciationibus devovit, qui intra 280 annos, tota Diœcesi conspecti non sunt, rexit 20, vitam cum morte commutavit 1088.

19 *Marquardus*, Monachus & Abbas Corbeiensis, fit Episcopus; sed loco & honore motus, annos explevit regiminis 5, vitam cum morte commutavit 1093.

20 *Wido* seu *Wiho* II. Sub quo Civitas Osnabrugensis conflagravit, præfuit 8, mundo emigravit 1101.

21 *Ioannes* I. De hoc nil nisi nomen, sedit 9, obiit 1111.

22 *Godschalcus*, Nobilis Dominus de Dipholte, præfuit 8, mortuus 1119.

23 *Diethardus*, ab Imperatore & suo Capitulo strenue defensus contra competitorem, gubernavit 18, vita functus 1137.

24 *Vdo*, turres Ædis Cathedralis ædificavit, & Cœnobium S. Gertrudis absolvit, rexit 4, excessit 1141.

25 *Philippus*, Comes Cattimelibocus, præter alia præclara facinora, instituit duo virginum Monasteria, Osede & Quernheim, rexit 32, vita functus 1173.

26 *Arnoldus*, annos administrationis explevit 2, vitam cum morte commutavit 1175.

27 *Gerhardus* de Lippia; qui, quod, reformato Cœnobio Herssebrock, gestis contra vicinos Principes bellis, motisque litibus gravibus, relicta Sede Osnabrugensi, factus sit Archiepiscopus Bremensis, incerto habet calculo annos supputatos. Sub illo vixit Osnabrugi vir sanctus, *Reinerus* nomine.

28 Sanctus *Adolphus*, illustris genere, ex Canonico Coloniensi Monachus Cisterciensis in Vetere campo; inde vocatus Episcopus, Cantoriam instituit, Thesaurariam auxit; liberalis in Capitulum, Ecclesiæ ministros ac leprosos; clarus miraculis, præfuit 24, fato cessit 1224.

29 *Engelbertus* I, Comes de Isenburg, postulatus, sed à Papa, ob cædem S. Engelberti, rejectus, & in Synodo Leodiensi damnatus.

30 *Conradus* I, confirmat fundationes ac privilegia Monasteriorum Iburg, Bressenbrock, Rulle, & Osede, sedit 9, obiit 1233.

31 *Engelbertus* II, Comes de Teckleburg, Ecclesiam contra fratris sui violentiam gloriose defendit, præfuit 11, mortuus 1244.

32 *Bruno*, Comes de Teckleburg, pacificus, multas composuit controversias, gubernavit 8, vita functus 1252.

33 *Wedekindus*, Comes de Waldeck, cum laude præfuit, rexit 7, excessit 1260.

34 *Bolwinus*, seu *Boldowinus* de Rus./le, fundavit & ampliavit Ecclesiam Widenbrugensem, annos præfuit 10, vitam cum morte commutavit 1270.

35 *Conradus* II, Comes de Ritberg, rexit 28, fato cessit 1298.

36 *Ludovicus*, Comes de Ravensberg, prælia contra hostes Ecclesiæ suæ feliciter gessit; pietate & religione insignis, gubernavit 14, mundo emigravit 1312.

37 *Engelbertus* III, de Wenge, construxit Castrum Witlage, præfuit 11, mortuus 1324.

38 *Godefridus*, Comes de Arensperg, Capellæ Episcopalis sancti Martini in nova Civitate fundator. Sub hoc Iudæi infecerunt puteos, sedit 26, obiit 1350.

39 *Ioannes* II, dictus Hoedt, Doctor SS. Canonum, à Papa Clemente V confirmatus, Regalibus à Carolo IV donatus, maximas inter turbas præfuit, rexit 16, excessit 1366.

40 *Melchior*, Dux Brunswicensis, excluso Theodorico à Marca, ad Episcopatum Osnabrugensem provectus, ab eodem ad Suerinensem transfertur, rexit 10, fato cessit 1376.

41 *Theodoricus* sive *Diethericus* de Horn; subactis tandem Diœcesis hostibus, expugnatoque Cloppenburgo, Curiam in urbe sua Episcopali fundat; in Ecclesias beneficus, sedit 28, obiit 1402.

42 *Henricus* I, Comes de Holsatia, resignat, præfuit 2, mortuus 1404.

43 *Otho*,

43 *Otho*, Comes de Hoya, gubernavit 20, vita functus 1424.

44 *Ioannes* III, Comes de Diepholte, pugnatis variis pugnis pro decimarum & limitum suorum defensione, accepto in urbe telonio, propinato sibi veneno moritur, rexit 13, excessit 1437.

45 *Ericus* I, Comes de Hoya, resignat, præfuit 3, fato cessit 1440.

46 *Henricus* II, Comes de Moerse; fuit etiam Administrator Monasteriensis, sedit 10, obiit 1450.

47 *Albertus*, Comes de Hoya, postulatus, sed non confirmatus à Papa, nec à Cæsare, cessit triennio pòst.

48 *Rudolphus*, Comes de Diepholte, administravit 1, excessit 1454.

49 *Conradus* III, Comes de Diepholte, reformavit Monasteria S. Benedicti, & laudabiliter præfuit, annos 28, excessit 1482.

50 *Conradus* IV, Comes de Ritberg; qui reformat Monasteria Quernheim & Rulle. Sub illo cives, duce Lententuen, tumultuantur adversus Clerum; sed graviter luunt injuriam, sedit 26, obiit 1508.

51 *Ericus* II, Dux Brunswicensis ex Grubenhagen, Princeps apprime Catholicus; qui commotos ad seditionem, ac Lutheranismi libertatem postulantes cives, animose compescuit, & rebelles florenorum sexies mille aureorum pœna mulctavit, præfuit 24, mortuus 1532.

52 *Franciscus* I, Comes de Waldeck, sacris Ordinibus initiatus, consecratur Episcopus in Marienfeld. Fuit etiam Episcopus Monasteriensis; ubi Anabaptistas rebelles domat; nec non Episcopus Mindensis. Inductus postea in Lutheranismum, à summo Pontifice & Imperatore monitus resipiscit, & Catholicus moritur. Sub hoc præcones novi, Osnabrugum aliunde accersiti, scholas, Ecclesias, concordiam Statuum perturbant. Facessere tandem jussis eis, restituta in integrum religione Catholica & Ecclesiis, puniuntur ab Imperatore, ob violatam religionem & jurisdictionem Ecclesiasticam, cives Osnabrugenses, gubernavit 21, vita functus 1553.

53 *Ioannes* IV, Comes de Hoya; qui etiam fuit Episcopus Monasteriensis & Paderbornensis, Iudex quoque Cameræ Spirensis; Princeps religiosissimus, prudentiæ laude clarissimus, doctrina magnus, linguarum variarum expertissimus; in promovendo sacrosancto Concilio Tridentino (quod etiam primus in sua Diœcesi promulgavit) studiosissimus; pacis amantissimus; in tractatu illo Passavico, in Germania cum heterodoxis inito, laboravit plurimum, & Ecclesiæ Catholicæ ac religioni profuit maxime, rexit 21, excessit 1574.

54 *Henricus*, Dux Saxoniæ, Administrator, fit etiam Episcopus Paderbornensis, & Archiepiscopus Bremensis; ubi, lapsus cum equo, obiit annos explevit regiminis 11, vitam cum morte commutavit 1585.


55 *Wilhelmus*, Nobilis de *Schenckinck*, ex Beveren, quinta post electionem die, non confirmatus, obiit 1585.

56 *Bernardus*, Comes de Waldeck, præfuit 5, mortuus 1590.

57 *Philippus Sigismundus*, Dux Brunswicensis, Administrator; nec à Papa, nec à Cæsare confirmatus; cæterum bonus Princeps. administravit etiam Verdensem Episcopatum, & Præposituram Halberstadiensem. Sub hoc, anno 1613, Civitas Osnabrugensis media conflagravit, rexit 33, excessit 1623.

58 *Itelius Fridericus*, Comes de Hohenzolleren, S. R. E. Cardinalis, titulo sancti Laurentii in panis perna; pietate ac prudentia præstans; qui religioni avitæ, paci inter Principes Germaniæ reducendæ, & publicis Imperii negotiis studuit plurimum, gubernavit 2, vita functus 1625.

59 *Franciscus Guilielmus*, Comes de Wartenberg, postulatur Episcopus, 26 Octobris 1625; inter motus bellicos Imperii, variam expertus fortunam. Præficitur etiam Ecclesiis Mindensi & Verdensi. Anno 1629, fit Coadjutor Episcopi Alberti Ratisbonensis; cui succedit 13 Aprilis 1649. Etiamque hodie, cum laude & zelo præest; non ita pridem ad S. R. E. Cardinalitiam evectus dignitatem.



COMITATVS BENTHEMENSIS, ET STEINFVRTENSIS.



ENTHEMENSIS Comitatus Westphaliæ conterminus est. Qua septentrio & oriens est, Episcopatum respicit Monasteriensem; ab occidente Lingensi Comitatu & Drentia terminatur; in occidente regionem Transisulanam & Twentiam habet. In decem milliarium longitudinem, & trium latitudinem extenditur.

Oppida ejus sunt Neuhausia, Northornia, Benthemia, & Schuttorfia. Multa complectitur castella, pagos & vicos.

Amnes præcipui sunt Aa & Dinckela.

Regio plana est, excepto agro oppidi Benthemensis & Neuhausensis.



Omitatus STEINFVRTENSIS admodum exiguus est, longitudinis nimirum quatuor milliarium, & latitudinis sesquimilliaris. Ab oriente est Comitatus Benthemensis. Pars quædam Monasteriensis Episcopatus inter hunc & Benthemensem Comitatum jacens, eos separat.

Vnicum hic est oppidum, Burchsteinfortium; pagi tres, Lara, Holtzhausia, Burchorstia, & aliquot vici.

Aa fluvius fontem suum huic Comitatui debet, eumque medium intersecat.

Parebat nuper Dominis Arnoldo Iusto & Wilhelmo Henrico, qui etiam Comites audiunt Teklenburgici & Limburgici.

Comitatus Bentheim, et Steinfurt.

Auctore Ioanne Westenberg M. Doct. et Math.

Oriens

Occidens

Septentrio

Meridies

LINGE COMITATUS

MONASTERIENSIS EPISCOPATUS

BENTHEIM COMITATUS

STEINFURT COMITATUS

EPISCOPATUS MONASTERIENSIS PARS

TRANS ISALANIÆ TWENTE PARS

Meppen

Linge

Rhene

Bentheim

Ochtrup

Borch Steinfort

Horstmar

Scopink

Nienborg

Gronowe

Ahus

Ottensen

Stadlon

Vreden

Enschede

Oldenzeel

Otmarsen

Degnecam

Nienhus

Northorn

Twist

Moras

Coevorden

Notarum Explicatio

Vrbes

Pagi

Arces

Monast. Virg. nob.

Cœnobia

Villæ

Hora itineris

Milliaria Germanica

Guilielm. Blaeu excudebat.

64



OLDENBVRGVM COMITATVS.

Qui populi olim hic sedes habuerint.



Egionem hanc olim Chauci tenuere, quos duplices commemorat Plinius, & Ptolemæus, Majores & Minores. Majores sunt, qui Bremensem Episcopatum incolunt, Visurgim & Albim interjecti. Minores Embdani & Oldenburgenses. Siquidem inter Amasim & Visurgim etiam Ptolemæus illis sedes constituit, cujus hæc verba: *Chauci minores ad Visurgim amnem extenduntur, at majores Chauci ad Albim usque.* Plin lib. XVI, cap. I, ita eos describit: *Sunt vero & in Septentrione visæ nobis gentes Chaucorum, qui Majores Minoresque appellantur. Vasto ibi meatu, bis dierum noctiumque singularum intervallis effusus immensum agitur Oceanus, æternam operiens rerum naturæ controversiam, dubiumque, terræ sit, an in parte maris. Illic misera gens tumulos obtinet altos, aut tribunalia structa manibus, ad experimenta altissimi æstus casis ita impositis, navigantibus similes, quum integant aquæ circumdatæ, naufragis vero, cum recesserint, fugientesque cum mari pisces circa tuguria venantur. Non pecudem his habere, non lacte ali, ut finitimis, ne cum feris quidem dimicare contingit: omni procul abacto frutice. Ulva & palustri junco funes nectunt, ad prætexenda piscibus retia, captumque manibus lutum ventis magis, quam sole siccantes, terra cibos & rigentia Septentrione viscera sua urunt. Potus iis non nisi ex imbre servato scrobibus in vestibulo domus.*

Soli fertilitas.

Hæc olim Chaucorum facies. Ea quantum nunc ab illa mutata est? Non frumenti, non aliarum frugum mentionem facit Plinius; jam ubi major ubertas? Frugiferarum arborum olim impatiens: nunc omne fere genus arborum producit. Non pecudem habebant, non lacte alebantur: ubi jam major copia, & quis potior cibus? agrum siquidem planum & pascuis fœcundum naturæ beneficio obtinent, cujus quidem quam glutinosæ & pingues sint glebæ, quam læta pascua, quam numerosi armentorum & pecudum greges, vix verbis explicari potest. Docet id exquisiti delicatique saporis, butyri & casei copia, quæ uberrimo incolarum quæstu & emolumento maximo ad varias regiones & per universam Germaniam defertur. Quin etiam boum aliquot myriades in pascuis oberrare videntur, qui soli graminumque beneficio adeo impinguescunt, ut exteræ etiam nationes iis potissimum delectentur. Postremo si cum feris non dimicarint, hodie certe aliter docet nobilium frequens venatio. Est ergo solum hujus tractus adeo dives, ut sibi sufficere, nec aliarum regionum ope egere videatur.

Horum Chaucorum non ignobilis pars sunt Oldenburgenses, quem Comitatum ab ortu terminat Archiepiscopatus Bremensis & Visurgis: ab meridie Episcopatus Monasteriensis, ab Occidente Comitatus Emdanus, ab septentrione Iadæ æstuaria, ostiumque Visurgis. Continet vero ditio ipsa provincias Stedingiam, è regione Bremæ, Delmenhorstæ arci subjectam, Stadlandiam in V, Butiadiam in VII parochias distributam, & huic subjectam Ieveriam, Frisiæ partem cum XXIII parochiis. In medio Morimios habet.

Limites.

Nominis origo.

Nominis originem deducunt aliqui ab eo, quod Dux Waldebertus, Witekindi, Saxoniæ regis, nepos, qui circa annum Christi 850 vixisse fertur, *Altbergim*, sive *Oltburgim*, Comitis Lesmonæ, (hodie Leshemæ) unicam filiam, uxorem habuerit; cujus honori & amori arcem *Altenburgum*, sive *Oldenburgum*, proximè civitatem *Wildeshausen*, in Ammerlandia exstruxerit; qua & Vrbs, & Comitatus ipse hanc nominis appellationem sortiantur. Vndè Albertus Crantzius in sua metropoli, l. III, c. XV, scribit hunc Comitatum esse ex omnium vetustissimis. Qui vel ipsum Witekindum, tum Saxoniæ Ducem (Caroli Magni tempore viventem) inter hujus Comites nominat, lib. II, cap. XXX. Irenicus tradit urbem *Oldenburgum* à Carolo instauratam, Ecclesiamque illic in honorem S. Ioannis Baptistæ dedicatam consecratamque ab Adalgargo Episcopo. In eo autem eum errare puto, quod hanc civitatem inter Vandalicas numeret, juxtaque mare eam describat. Hæc namque alia est ab illa in Wagria, Holsatiæ regione. Laurentius Michaëlis putat Ambrones (quos quondam cum Cimbris in Italiam profectos, & à C. Mario cæsos tradit Plutarchus) hinc originem habuisse, eorumque nomen adhuc exstare apud gentem, quam *Amerlander* appellant. Idem de Alanis Saxonibus sentit, quos ad stagnum Alanum in hoc tractu, & ab utraque parte fluminis Alaniæ usque ad arcem Oriam habitasse credit, hodieque *Leugener*, id est, Alani, & *Averlenger*, quasi Vltralanos vocari.

Oldenburgum Metropolis.


Vrbs vero ipsa vallo fossisque & egregiis propugnaculis non perfunctorie munita, Hunta fluvio dividitur. Spectanda præbet templa sancto Lamberto, Spiritui S. & S. Nicolao sacra; & arcem magnificam, quæ Comitum sedes: curiam porro, Domum novam, Cancellariam, Armamentarium, Domum Capitularem, & in ea non spernendam Bibliothecam. Pons quoque Huntæ injectus est, ad cujus extremitatem domus satis pulchra, relaxandi animi ergo, exstructa est.

Oppidula.

Sunt & alia hujus Comitatus oppidula minora, *Westerstede, Nieuborgh, Bockeren, Wivelstede, Wardenborgh*, *Delmenhorst* Comitatus, *Ovelgunna*, &c. & ultra Visurgim *Deesdorp*. *Ieveriam* quoque Frisiæ partem huic Comitatui adjudicat Tabula.

Fluvii.

Irrigat regionem quam maxime Visurgis, qui latus


OLDENBVRG
COMITATVS
Milliaria Germanica communia
Milliaria Gallica communia
OCCIDENS
ORIENS
SEPTENTRIO
MERIDIES
MONASTERIENSIS EPISCOPATVS PARS
COMITATVS EMDEN
ARCHIEPISCOPATVS BREMENSIS PARS
Paludes Vastæ
Paludes
Lengen
Iever
OLDENBORG
Loier moer
De Moerrime
Im Wostenlande
Oesenberg
Stedinger landt
Delmenhorst
BREMEN
Visvrgis fl.
De Iade
Den Hoben
Butiadinger landt
Ostivm Visvrgis flvvii
Mellum
Hic quondam arx MELLVM a Comitibus Oldenburgicis ad defensionem Visurgis et Iadæ extructa, postea a mari absorpta
Witte gronden
Amstelodami Guiljelm. Blaeuw excudit.
E. Symonsz Hamersveldt sculp.

latus ejus orientale præterlapſus, ubi *Elsflet* pervenit, verſus interiora Comitatus fluviolum Hontam excipit, qui Morimios Stedingioſque ſeparans recta Oldenburgum adit, ac inde verſus ſeptentrionem reflexus Wildeshuſium petit, & Epiſcopatum Monaſterienſem. Excipit Honta Hornam fluvium, qui prope vicum Mansholt ortus urbem proxime præterlabitur. Præter hos *Iadam* vide. Hic fluviolus quondam minutus, ac vix nomine hoc dignus, primum paluſtribus ortus locis, magnoque è lacu (*Groote meer* in Tabula) cum modico ſpatio agros ſecuiſſet, pluresque in ſe ex corrivatione recepiſſet aquas, in æſtuaria vicina vaſtiſſimæ magnitudinis effluxit: deinde ſævitia maris iis locis creſcente, recurrentibuſque ſæpe tempeſtatibus, publicique cura per diſcordiam neglecta, ruptis ac disjectis aggeribus, aquæ in terras humiles demiſſæ, hæ aliæ poſt alias abſorptæ, ſinus locus primum non magnus factus, poſtremo fluctuum vi, induſtriam humanam ſuperante, ſpacium hoc ingens apertum. Reliquias avulſarum parochiarum vide circa littora *Ellens, Amo, Oldenbrugge, Bant, Dangaſt, Arnegaſt, Iadelet, Wurdelet*.

Ab hoc fluvio populi in Cis-Iadanos, & Trans-Iadanos diſtinguuntur. *Cis-Iadani*, poſt Madam rivum, ex compluribus, quibus olim res eorum floruit, injuria fluctuum ad tres tantum parochias rediere. *Trans-Iadani* in Boream primum ſe efferentes juxta Iadæ æſtuarium, deinde molli flexu littoris in ortum curvati, rurſumque in meridiem flexi, mox recta ſecundum Viſurgis oſtium revertentes ad milliaria IV Germanica magna in Morimios uſque in Comitatu Oldenburgico deſcendunt. Hi in *Butiadas* & *Stadlandos* hodie diſcernuntur. *Butiadæ* tribus milliaribus Germanicis à Borea in Auſtrum pagos XI comprehendunt, ſumma ubique ubertate ſoli: iſti reliquum tribus vicis obtinent, cum arce *Ovelgunna*, ab Oldenburgenſibus bello Saxonico regioni impoſita. *Morimii* Viſurgis accolæ Stadlandos continuo ſequuntur uſque ad Hontam fluvium in Viſurgim exeuntem, non toto ſupra Ovelgunnam milliari. Morimios *Stedingii* excipiunt, quorum caput eſt *Elsfleta*, non procul Hontæ oſtio diſſita. Trans Huntam *Berna*, altiſſima iis in locis turri ac fano famoſa.

Cis-Iadani.

Trans-Iadani.

Præter Viſurgim & Iadam excipit alios minoris famæ fluvios regio hæc, nempe, *Delmam*, qui Delmenhorſtam alluit, *Lætam*, qui in Hontam prope metropolim exit: *Owan*, ad pagum *Tuſchenaim* palude abſorptum, & *Madan*, qui terminus hujus Comitatus ad ſeptentrionem in mare ſe exonerat.

Flumina minora.

Tandem Domum hanc Oldenburgicam ad ſummum Honoris culmen evectam eſſe, fatendum eſt; ut quæ modernos Daniæ Reges Sereniſſimos mundo & regno dederit: hodieque actu regens Oldenburgi, Delmenhorſt, &c. Comes Generoſiſſimus & per-Illuſtris eſt *Anthonius Gunterus*, natus anno 1585, Kalendis Novembribus, horâ nonâ veſpertinâ; anno currente 1661 Comitatum ſuum prudentiſſimè adhuc & feliciſſimè adminiſtrans.



FRI-

FRISIA ORIENTALIS.

Termini.



PRoxima, quæ à Sinu Dullarto, Amasisque exitu versus Visurgim secundum littus se porrigit, regio, Monasteriensium & Oldenburgensium agro à meridie clausa, Orientalis Frisia hodie dicitur, addito Comitatus titulo. *Populi.* Ea populi continentur XI; Reiderius, Translædanus, Mormerius, Longanus, Amasanus, Broecmerius, Auricanus, Nordanus, Harlingius, Wangrus, Ostringius, Rustrus. *Reiderii.* Primi *Reiderii* inter Dullartum & Amasim incolunt, quorum vici cum fanis, si fora annumeres, sunt XX, ceteri ferè totidem: omnes, VII aut VIII demtis, Amasi assidentes in pingui gleba. His trans Amasim adversa in fluminis ripa respondent *Translædani*, *Translædani*, nunc *Averdelingerland*, & Mormerii in Ortum, nunc *Moermerland*, Amasanorum pars in Arctum versi. Translædanos maxime ad meridiem sitos Læda amnis à Mormeriis separat, unde nomen, quod trans Lædam agant. Ager eorum paludibus fere horrens, & frugibus æque ac pabulo malignus vicis habitatur XVII, in quibus fana sunt. *Mormerii.* *Mormerii* non minus VIII passuum millibus ab Amaso in ortum extensi, donec Oldenburgenses attingant, Lædam in meridie, Auricanos ad Boream habent, vocabulum his à soli palustris natura, quo prope tota squallet regio, pauculis modo arenosis campis, quos ad frugem exercent, & magno labore colunt incolæ, intercurrentibus. *Lengani.* *Lengani*, vulgo *Lengen*, Mormeriæ annexi, difficilem admodum omni à latere aditum habent per paludes, quibus, in ambitu tanquam mœnibus circumsidentur. Ager nec latus, nec pecori pascendo idoneus. Viculi X, fanum in meditullio unum, plebs ferox & indomita. Vbi desinunt Mormerii, illic Ager incipit *Amasanus*, *Amasani.* vulgo *Eemsland*, omnium, qui in Orientali Frisia sunt, pulcherrimus haud dubie, & felicissimus, sive soli ubertatem respicias, quæ summa est, sive pagorum multitudinem & speciem, sive hominum mores. Pagi numero paulum infra L; & eorum complures multarum regionum oppidis haud impares: fana illustria, arces virorum nobilium nec paucæ, nec despicabiles. Portus habet plurimos, Oldershemium, Emdanum, Cnoccanum, Grethanum, & Eidelshemium. Origo nominis ab Amasi est, cujus alveo nativo ad Austrum, æstuariis ab occasu & Borea clauditur. Sequuntur *Broecmerii. Auricani.* *Broecmerii*, & quondam pars horum *Auricani*, quorum ager ubi Amasanis cohæret, & proprie nunc Broecmerius est, mediocris ad cultum, nec infrequens vicis, nec opum expers, inprimis vero fanorum magnifica specie supra ruris modum illustris ac memorabilis. Vici omnes plus minus viginti, quibus fana sunt addita: reliquorum etiam modicus numerus. Ad Boream deinceps *Nordani* succedunt, *Nordani.* ipso in littore, agro gaudentes optimo, pabuli segetisque æque feraci. His peculiare est, sparsim potius per villas, quam vicatim habitare, quippe qui præter *Nordam*, regionis caput, quinque solum vicos circum fana collectos tanto spatio complectantur. Nordanos *Harlingii* excipiunt, *Harlingii.* per dena passuum millia longius in ortum tendentes, in quibus vici XVI cum sacris ædibus, oppida duo. Ager quo littori propinquior, eo melior, versus mediterranea sterilescit. Littus fere importuosum, præterquam ad Funixanum emissarium, non procul ab Harlingiorum fine. *Wangri* ad Iadæ latissima æstuaria à *Wangri.* Septentrionibus in meridiem intra terras influentia jacent, planis ubique & uberibus campis. In eo tractu fana sunt cum parochiis XVI, quorum tria ad Cnipenses, reliqua ad Ieveranos pertinent. His meridiem versus Ostringii succedunt, vulgo *Oostringen*, *Ostringii.* haudquaquam pari terræ felicitate, si eam dempseris particulam, quæ sub Codensium nobilium imperio in sinum Iadanum procurrit. Postremi in ortum sunt *Rustri* *Rustri.* in Visurgim usque à Wangris & Ostringiis pertingentes, sed nunc medio Iadæ sinu in partes scissi duas. Patet omnis hæc regio in ora ab Amasis ostio ad Visurgim non minus passuum millibus 50, latitudine introrsum vergente plus quam dimidio minore. In ejus fronte Occidentali *Emda* *Emda.* est, ad Amasim flumen, totius littoris Frisici, à Batavis in Danos porrecti oculus, sive opes ejus spectes, sive ædificiorum pulchritudinem, sive situs commoditatem, sive negotiationum varietatem ac magnitudinem, sive frequentiam ac cultum populi. Amasis, cui adjacet, mercator omnium rerum avidissimus, in Paderbornensi agro caput attollens, pererratis omnibus Monasteriensium finibus, Frisiam tandem permeat, variisque sinuosus flexibus, ubi Dullarto se miscuit, spaciosus exit inter Groninganos & Amasanos, moxque littoribus omnibus liber, per vastum istud æstuarium, quod inter insulas & continentem trium ingentium milliarium spatio se fundit, in Oceanum evolvitur. Ipsum oppidum non adeo vetustum est, quum in antiquioribus monumentis nulla ejus exstet memoria, & ipse ejus dominus non ante annum 1465 titulum Comitis sit adeptus. Eum quippe Fredericus III contulit in Vdalricum: nam antea regio ista in plures partes tributa, diversis Dominis parebat. Situs urbis ad mercaturam ita est commodus, ut nullus in toto littore Saxonico sit commodior, cum in portum, imo ad ipsam urbem ingentes corbitæ onustæ mercibus possint commode appellere, mercesque suas deponere, sine minutarum navicula-

TYPVS FRISIÆ ORIENTALIS.

Auctore Vbbone Emmio.

Amstelodami Guiljelm. Blaeuw excudit.

Commune milliare Germanicum

OCEANI GERMANICI PARS.

RIDERIÆ PORTIONIS facies, ante inundationem, quæ postea sinus maris facta est.

Incidit hæc inundatio circa annum 1277. Decembris 25.

Borcum
Iuist
Norderneie
Baltring
Langeroog
Spikeroog
Wangeroge
Buser diep
Ooster Eems
't Wadt
op 't Wadt
Norder Land
Harlinger Land
Wester marsch
Oster marsch
Norden
Brockmer land
Auricker land
Eemsland
Emden
Wanger land
Oost Frisinger land
Rustringen
Dat Brack
Butjadinger land
Iade flu.
Lengen
Moermer land
Reiderland
Overledinger land
Olden Burgensis Pars Com:
Saderland
Dollert
Groninger land
Amasis fluuius
Amasis fluuius
Ampt te Wedde
66

cularum opera. Sed fuit ea nostra memoria multo quam nunc est opulentior. Nam cum Belgæ sub Albani imperio ex Brabantia, Flandria, Hollandia, Zelandia, & vicina etiam Frisia fugientes comiter illuc reciperentur, benedixit Principis humanitati Deus, & peregrinorum opera ex lateritia pene auream fecit Emdam, vix ut ulla in tota Belgica tunc esset respublica opulentior. Vidisses illuc quotidie ingentem navium numerum appellentem ex Gallia, Anglia, Dania, Suecia, Norwegia, & confini Belgica. Struebantur ædes, effodiebantur Euripi, portus, navalia, recipiendis condendisque navibus. Sternebantur plateæ novæ, ipsa urbs ampliabatur, ut sufficere posset adventanti quotidie multitudini. Sed ex quo divina benignitas Belgas respexit, & ad suos penates concesserunt, qui ante patriam deseruerant, facta est illa aliquando desertior, sed tamen servat adhuc reliquias augustæ illius dignitatis. Arcem habet in ipso portus aditu amplam, propugnaculis firmam, undique aquis marinis cinctam, ad tutelam urbis & navium. Ager vicinus planus est & compascuus, prata ampla, & pascendis armentis apta, quorum illic tam est fœcundum seminium, ut non ei tantum ditioni, sed vicinis etiam gentibus sufficiat. Fuit parentum memoria hæc urbs Anglorum mercatorum sedes, in quam unam pannos suos, quos antea Antwerpiam deportare consueverant, conferebant, ut inde Belgæ, Germanique eos peterent: sed offensi Angli minutiis quibusdam, protinus Emda Hamburgum, hinc Stadam, inde alio commigrarunt. Aliæ præterea sunt civitates hujus regionis: *Norda* inprimis, in agro cognomine, Emdæ ambitu par aut major, pulchritudine, opibus, cultu haud dubie proxima, quanquam mœnium expers, ipsa etiam maritimis dedita rebus, populo frequens, omnium rerum copia ad vitam tuendam per se affluens, fanis quondam conspicua quatuor, mole & forma præstantibus, imperio consulari à multis retro seculis administrata, etiam ante Comitum initia. Deinde *Aurica* haud felici posita loco, inter ericeta & saltus, solis prope nundinationibus ac mercatu pecudum fortunam sustentans suam. Comitum jam sedes est & domicilium. Tum *Ievera* in Ostringiis eidem dedita studio, sine quo nec ipsa fortunam tueri posset. *Esena* porro in Harlingiis: in iisdem *Witmunda* medio propè inter illas itinere, oppidanis munitionibus carens. Et oppida hæc omnia post Nordam arcibus ferè suis, quas in lateribus habent, quam per se sunt illustriora. Fora adhæc egregia, & mercatu celebria quinque. *Wenera*, *Iemgumum*, *Lera*, *Oldershemum*, *Mariæhova*. Arces quoque in agro hoc conspiciuntur plurimæ: quarum clarissima Auricana, oppido suo cohærens, item Esensis, Witmundana, Ieverana, munitissima autem Orthana in confluente Lædæ & Amasis atque in conspectu Leræ, situ admirabili. Stichusa insuper, Friburgum, Ostringicum, Berumana in Nordanis, Grethana in Amasana ora, Pensumana ejusdem in agri medio, ambæ sine vallo terreo, & Ovelgunda in Translædanis.

Norda. *Aurica.* *Ievera.* *Esena.* *Fora.* *Arces.*

Præfecturæ. Atque hæc capita Præfecturarum sunt, in quas novo instituto regionem partiri placuit, quibus præfecti præsident, à Comite, aut Dominis aliis impositi. Præfecturarum ratio ac nomina ita se habent: *Emdana* duplex in Reideriæ ac Amasanæ partibus. *Grethana* tota in Amasanæ parte Boreali. *Orthana* in Mormeria partim, partim in Reideria, partim etiam in Translædanis. *Stichusana* in Mormeria, Translædana superiore & Lenganis. *Nordana* in agri sui parte proxima, arce carens. *Verumana* in eodem agro. *Auricana* in Broecmeria, & pagis circumjectis: *Friburgica* in parte Ostringiæ ad intimum Iadæ sinum. *Peusumana* inter Emdanam & Grethanam media, quatuor solum vicos complexa. Hactenus Comitis omnes. Cæteræ quo jure, quave injuria, à Comitatu, cui adscriptæ ab Imperatore erant, dudum recessere: *Elensis*, *Witmundana*, *Ieverana*, *Ovelgunna*. His porro interjectæ sunt nobilium ditiunculæ complures, è quarum numero præcipuæ, *Oldershemia* ad Amasim, præter ipsum Oldeshemum, parochias habens sex: *Cnipensis* in Wangria, pulcherrima, cum arce, sede Baronis Cniphusii, parochiis comprehensa tribus. *Dornumana* in extremo agri Nordani angulo, Harlingiæ confini juxta oram: *Godensis* inter Ostringios: *Lutesburgica* in Nordanis. Reliquas mitto. Cœnobia ad hæc plus minus xxx. Sed memoratu præ cæteris digna, Silomonachum in Amasanæ medio, Alandia, Appinga, Dichusa, Blauhusa, Vallis Mariæ, quod & vetus cœnobium vocant, ac Dominicanum apud Nordanos, Thedinga in Mormeriis ad paludum uligines, situ humili. Ita inter Auricensium nemora, Mariæ Campus in Harlingiis Esenæ proximum, Veldense, non procul Ievera distans.

Populus universus Principis sui amantissimus, atque hoc adeo insitum habens, ut illius honori & voluntati, si æqui leges non excedat, omnia ferè sua posthabeat, ejusdemque fortuna fortunam suam metiri soleat.

Comites. Illustrium hujus Principatus Comitum seriem Genealogicam paucis subnectere visum fuit.

Enno, Capitaneus Gretsilanus, Libertatis Frisiorum defensor.

Etzardus, Rector & Perpetuus Iudex à Frisiis electus, obiit 1441.

Vlricus, successit fratri 1454. Embdam sibi subjecit, Frisiæ Comes creatus à Friderico III, 1453. obiit 1464, 27 Sept.

Etzardus I, Comes Frisiæ Orientalis, defunct. 1528, 15 Febr.

Enno II, ob. 1540, 24 Sept.

Etzardus II, natus 1532, 24 Iun. def. 1599, 1 Mart.

Enno III, obiit 1625, 19 Aug.

Rudolphus Christianus, occisus 17 April. 1628, sponsus Annæ Augustæ Brunsvigiæ.

Vlricus, ejus frater successit, obiit 1641, 1 Nov. qui duxerat Iulianam Ludovici Landgravii Hassiæ filiam.

Enno Ludovicus, Princeps Frisiæ Orientalis factus est ab Imper. Ferdinando III, cujus uxor fuit Iustina Sophia, Alberti Friderici Com. de Barby filia: ipse mortuus 14 April. 1660. Cui Frater

Georgius Christianus, in Principatu successit.

C O-

CLIVIA DVCATVS, ET DOMINIVM RAVENSTEYN.

Nomen.



Clivia ad utramque Rheni ripam porrecta, à *Clivis* capite totius Ducatus cognominatur. Ab ortu habet Ducatum Bergensem, Comitatum Marchiæ, ac Westfaliæ Ducatum: à septentrionibus Zutphaniæ Comitatum, Transisalaniam, ac Bataviam: ab occidente Gelriam & Leodicensem tractum: à meridie Coloniense territorium & Ducatum Iuliacensem. Ælium Gracilem ferunt, cum opibus & potentia floreret in Gallia Belgica, donatum à Pipino & Carolo Martello ea parte Bataviæ, quæ tunc temporis Teisterbandiæ Comitatus appellabatur, postea vero Clivia dicta est, antiqua Menapiorum sedes. Successere illi ordine Theodoricus, Rheinaldus, Rudolphus, Ioannes, Robertus, Balduinus, aliique, usque ad Ioannem, qui ab Ælio fuit vicesimus septimus. In hoc desiit familia. Cooptatus tamen ab Imperatore, & provincialibus in jus familiæ Adolphus, qui in Constantiensi consilio à Sigismundo Imperatore Dux Cliviæ dictus est. Etsi vero nos eam Belgicæ tribuamus, & quidem Germaniæ Inferiori, ac proinde etiam Galliæ, habet tamen magnam quoque sui partem ultra Rhenum, in Germania magna. In ora Gallica oppida sunt *Burich*, *Santen*, olim Vetera, in cujus agro tophus ex antiquis ruinis colligitur; *Cleve*, *Calcar*, *Griet*, *Griethuysen*. In ripa Germanica sunt Vesalia, Duisburgum, Embrica, Reza.

Fines. *Oppida.* *Vesalia.*

Inter omnes magnitudine excellit *Vesalia*, sita in ripa Rheni Germanica, ad ostium Lupiæ, opportuno admodum mercaturæ loco, ingenti ex vicinis agris rerum incremento potens & dives facta. Eberhardus Comes Cliviæ & Teisterbandiæ nonus (fuit autem Teisterbandia ditio illa omnis, quæ Mosa, Vahali & Rheno circumscribitur, in qua etiam hodie insignia sunt dominia) largus fuit in personas Ecclesiasticas religioni consecratas, multaque iis donavit. Theodorico VIII dedit Rudolphus Habspurgensis Vesaliam, cum castro Rhenobergensi. Theodoricus IX, qui filiam Alberti Austriaci Imperatoris uxorem duxit, jus habuit in Vesaliam & Rhenobergam, idemque conventum Prædicatorum Vesaliæ exstruxit. Edidit & viros eruditos Vesalia, atque inter eos eximium, Arnoldum, cui à patria cognomen Vesaliensis. Hic commentarium scripsit in Decalogum, editum Coloniæ, anno 1542. Insigne hic etiam est monumentum pietatis, fundatum & consecratum à parentibus Henrici Oliverii Baers, Cliviæ Cancellarii, domicilium scilicet, in quo senes & decrepiti large sustentantur, quorum reditus hujus filius postea auxit. Initio Belgicorum motuum hospitium hic fuit profugis Hollandis, Zelandis, Artesiis, Flandris, Brabantis: atque ex peregrinorum solertia crevit opibus, mercatura, potentia. Sed postquam Hispanus nullam sibi invadendi Batavos viam reliquam patere intellexit, quam per Cliviam & Gelriam, exposita semper fuit excursionibus & invasionibus potentiorum, exercitus suos per hæc loca ducentium. Franciscus Mendoza Archithalassus Arragoniæ, & Hispanici exercitus Præfectus, anno 1598, extorta à Magistratu ingenti pecuniæ vi, eò adegit Senatum, ut coactus fuerit anno sequenti etiam religionem mutare, admissis in templa omnia Pontificiis. Post obitum vero Ducis Cliviæ, occupavit urbem Ambrosius Spinola, quo tempore & Ordines Fœderati Embricam, & Resam pari jure sibi vendicarunt, multisque annis ingenti præsidio Hispanorum militum obsessam in sua potestate habuit, intentus in omnes occasiones, quibus progredi ulterius, & Gelriam, Transisalaniam, cum diœcesi Trajectensi posset Hispanorum imperio adjungere. Anno 1629, mense Augusto, cum, obsessa ab Auriaco Principe Frederico-Henrico Sylva Ducis, Comes Herenbergensis cum Hispanorum ac Cæsareanorum exercitu Isalam trajecisset, Velaviam occupasset, Amersfortiam deditione accepisset, insigni stratagemate sub ductu ac moderamine *Ottonis de Gent* capta, sub Fœderatorum Ordinum potestatem venit, hostique necessitatem imposuit, ob interclusum commeatum, Amersfortiam & Velaviam, tandemque Isalæ ripam ac castella ibidem exstructa deserendi.

Clivia.

Clivia primarium Ducatus oppidum, arce jam diruta, olim celebre fuit & amplum, sicut ex ruderibus in vicino agro apparentibus colligere est. A clivosis collibus, in quibus situm est, nomen sibi & regioni vindicavit. Est non procul à ripa Rheni, ubi is in duos alveos divisus insulam Bataviæ, vulgo de Betuwe / efficit. In altissimo prope Rhenum colle, ubi oppidum constructum, turris quadrangularis, crassa & edita est cum ar-


CLIVIA DVCATVS ET RAVESTEIN DOMINIVM.
Septentrio
Meridies
Occidens.
Oriens.
DVCATVS GEL DRIÆ PARS.
WESTPHALIÆ PARS.
ZVTPHANENSIS COMITATVS PARS.
CLIVIA DVCATVS.
RAVESTEYN DOMINIVM
BRABANTIÆ PARS.
De Peel, Locus Paludosus.
Millaria Germanica Communia.
Iuliacensis Ducatus Pars
BERGHE DVC: PARS.
Marck Comitat.
MVRS COMIT.
CVYCK
KESSEL
GELDRIÆ
Nimmegen
Grave
Cleve
Emmerick
Rees
Wesel
Venlo
Gelder
Colnisch
Coln
Duysburg
Kempen
Stift

67

ce insigni, cujus aspectus longe adventantibus patet: quam à Iulio Cæsare ædificatam ferunt, tempore belli Gallici, contra Germanos Rheni adcolas. Quod inscriptio majoris atrii in hoc palatio indicat his verbis:

ANNO AB VRBE. DCXCIIC. C. IVLIVS DICTATOR HIS PARTIBVS SVBACTIS ARCEM CLIVENSEM FVNDAVIT.

Hæc Arx sedes est Ducum Cliviæ & Canonicorum collegii, jacetque loco percommodo, nam undique prospectum habet amœnissimum in agrum adjacentem, præsertim ex præalta turre, cui à cygnis nomen est.

Calcaria. *Calcaria* inter Mosam & Rhenum est, à Comitibus Clivensibus ædificata, ut esset refugium contra irruptionem Coloniensium & Geldrensium, cum quibus perpetuum iis erat bellum; nomen habet ab antiquissima arce *Calcar*, ex qua ultra insulam in adversam Rheni partem transmittebant. Oppidum hoc paullatim dives evasit ob lini textorum & cerevisiariorum frequentiam, quorum merces in vicinas regiones vehebantur. Supra Calcariam, loco quem hodie vocant auff den Baern / creditur Cæsar Germanicus Rhenum ponte stravisse, cum à Veteribus castris, hoc est, Santis, in Marsos tenderet, quos nunc vocamus Twentanos, mutato nomine, tametsi oppidum Otmarsen veteris appellationis servet vestigia. *Griet* sinistram Rheni ripam tuetur, quam ab eadem parte sequitur Griethusium, in ipso principio agri Batavorum, juxta Lobecum vetustam arcem. *Burichium* trans Rhenum est è regione Vesaliæ, jam partium Batavicarum, novisque munimentis adversus hostium insultus probe munitum. *Embricam* quidam putant esse Taciti Asciburgum. Atqui constabit veterum scripta attente legentibus, priscosque situs cum locis hodiernis conferentibus, Asciburgum, quod veteres fabulatores ad Vlyxem conditorem referunt, ut narrat Tacitus libro de moribus Germanorum, inter Novesium & Vetera situm fuisse in ripa Gallica. Ædibus & incolis frequens est, & ab Ordinibus Belgicæ Fœderatæ validè munita. Patres Societatis Iesu præclaras ibi aperiunt scholas. Duysburgum sive *Teutoburgum*, civitas Germaniæ veteris, olim erat in littore Rheni, nunc paullo abjacet, intra fluvios Roram & Angram. Sumptuosæ ædificiorum moles, & gesta majorum, celeberrimam fuisse testantur. Multiplex hic quondam mercimonium ob natas nundinas, ut videre licet in Flandriæ Annalibus. Duysburgo Academia concessa fuit jam pridem ab Augusto Imp. Maximiliano II; sed anno demum 1655 plenè instituta, confirmataque, admissis tum in omni facultatum genere publicis Professoribus. *Reza* parvulum est oppidum, mœnibus, vallis, propugnaculis, à paucis annis bene munitum. Flumina, quæ præcipue Ducatum hunc irrigant, sunt Rhenus, Niersa, Rora & Lupia. Rhenus eum medium interfluit. Rora labitur ex Comitatu Marchiæ, & in hoc Ducatu inter Duysburgum & Roeroort in Rhenum evolvitur: Lupia oritur in Westfalia, & circa Vesaliam Rheno commiscetur: Niersa nascitur in Ducatu Iuliacensi, præterfluensque oppidum Geldram prope castellum Genepum Mosæ sociatur.

Vetera. *Griet.* *Griethusium.* *Burichium.* *Embrica.* *Duysburgum.* *Reza.* *Flumina.*

Nemora. Inter hujus regionis nemora excellit Duysburgense, quod Tacitus *Saltum Teutoburgensem* appellat. Cingit majorem partem oppidi Duysburgensis, à quo aliquot locis solummodo quatuor aut quinque sagittæ jactibus abest. In eo magnus est ferarum numerus, multique amnes limpidi & rivuli. Montes hic sunt arboribus altis pleni.

RAVESTEYN.

RAvensteyn insigne est Dominium ad Mosam, inter Brabantiam & Geldriam. A septentrione terminatur regno Noviomagensi, ab oriente habet regionem Cuyckiam, in parte australi & occasu est territorium Sylvæducense, vulgo *de Majerye van's Hartogenbosch*.

A morte Ducis Ioannis Wilhelmi, qui anno 1609, die 25 Martii improles obiit, bellum ortum est inter Imperatorem Rudolphum II (qui Ducatum Cliviæ ad Imperium devolutum affirmabat, quod esset feudum masculinum) Marchionem Brandeburgensem & Ducem Neoburgicum. Brandeburgensis natus erat ex Leonora, quæ erat soror major natu Ducis Wilhelmi, sed defuncta. Neoburgicus filius erat Annæ sororis junioris, verum superstitis. Dux Saxoniæ sibi Cliviæ Ducatum deberi contendebat, utpote à diversis Imperatoribus majoribus suis sibique datum, si quando Duces sine prole mascula morerentur, adferebatque hujus donationis diplomata. Cum post varias altercationes & certamina, civitas Iuliacensis auxilio Henrici IV, Gallorum Regis, Ordinumque Fœderatorum esset obsessa, & certis pactionibus in potestatem eorundem venisset, jamque Archidux Leopoldus, huc ab Imperatore missus, domum rediisset: omnes regiones morte Ducis Wilhelmi vacantes rexerunt aliquamdiu pariter Brandeburgensis & Neoburgicus: postea facti discordes invicem oppugnarunt. Neoburgico suppetias tulit Rex Hispaniarum, Brandeburgensi Ordines Fœderati. Tandem consensu Imperatoris Ferdinandi II, Ducatum Clivensem, Iuliacensem, Montensem aliasque regiones diviserunt. Manebat tamen præsidium militare Ordinum Belgicæ Fœderatorum Vesaliæ, Rezæ & Embricæ.

Comites. 1 Comitum ab Altena, qui postea etiam Comites facti sunt Marcæ, primus fuisse perhibetur Theodoricus, à quo ortum duxit Eberhardus, qui vixit circa annum Christi 1180. Hujus filii fuere Bruno, Adolphus & Fridericus. Bruno ex Archiepiscopo Coloniensi factus est monachus Cisterciensis. Adolphus post Brunonem ejusdem cathedræ Præsul, Philippum Romanorum Regem Ducem Sueviæ adversus Ottonem IV secu-

ſecutus, ab Innocentio III Papa proſcriptus eſt, anno Chriſti 1205. Fridericus vero Comes fuit ab Altena.

2 *Adolphus* V Comes ab Altena, primus Comes Marcæ, Hammam & Blankenſteinium condidit, anno 1226, obiit anno 1249. Vxor ei fuit Eliſabetha, filia Domini de Fauckenberg. Filii duo Adolphus VI, & Engelbertus Comites ab Altena.

3 *Engelbertus* Comes ab Altena & Marcæ, filiam habuit Adelheidem nuptam Domino Mechliniæ Ioanni Bertotio.

4 *Adolphus* VII Engelberti filius, Comes ab Altena & Marcæ, uxorem habuit filiam Comitis Loſſenſis. Ex qua ſuſcepit Ioannem Canonicum Leodienſem, Adolphum VIII Epiſcopum Colonienſem, & Engelbertum qui patri ſucceſſit. Frater Adolphi Conradus fuit Canonicus Leodienſis.

5 *Engelberti* uxor prior fuit Domina de Weſtmale; poſterior filia & hæres Domini de Arenſberg. Adelheidis filia Engelberti nata ex priore uxore, nupta eſt Ioanni ultimo Comiti Cliviæ. Eberhardus Engelberti filius originem dedit Comitibus Arenbergicis. Engelbertus fuit Epiſcopus Leodienſis, & Archiepiſcopus Colonienſis, cedente ipſi patruo Adolpho VIII.

6 *Adolphus* IX, Engelberti filius Comes in Altena & Marca, uxorem habuit Mariam filiam Theodorici X, Comitis Clivenſis, eaque acceſſione ditiones ſuas auxit. Ejus filius Theodoricus fuit Canonicus Colonienſis. Ioannes Dominus in Dinſlaken, Engelbertus Comes Marcæ, qui filiam habuit Eliſabetham nuptam Ioanni Comiti Naſſovio.

7 *Adolphus* X qui & Senior, Comes Cliviæ, Princeps Imperii factus eſt à Carolo IV Imperatore: obiitque anno 1389. Vxorem duxit Margaretam filiam Gerardi IV Comitis Iuliacenſis & Bergenſis. Ex qua habuit filias Margaretam nuptam Alberto Bavaro Comiti Hollandiæ, Beatricem nuptam Comiti à Meurs, & Catharinam nuptam Domino de Moreberg. Filios, Adolphum XI, Gerardum Comitem Marcæ, & Theodoricum Dominum in Dinſlaken.

8 *Adolphus* XI, Adolphi filius, Adolphi nepos, in Concilio Conſtantienſi primus à Sigiſmundo Imperatore Ducis Cliviæ titulum adeptus eſt, anno Chriſti 1417. Habuit uxorem Margaritam Gerardi IV Comitis Iuliacenſis & Bergenſis filiam. Hic Gulielmum Ducem Bergenſem avunculum ſuum prœlio victum cepit, anno 1397, acceptiſque ab eo oppidis aliquot, Raveſtenio, Lewenburgo, aliiſque, liberum dimiſit. Vxorem habuit Agnetam filiam Ruperti Imperatoris, & Mariam natam Ioanne Duce Burgundiæ. Filiæ fuere, Margareta nupta Vlrico Comiti Wirtenbergico, Eliſabetha Henrico Comiti Schwartzenburgico, Helena Henrico Pacifico Duci Brunſvicenſi, Catharina Arnoldo Egmundano Duci Gelriæ, Maria Carolo Valeſio Duci Aurelianenſi. Filii, Ioannes I & Adolphus Comes Marcæ, Dominus Ravenſtenii, cui uxor fuit Anna notha Philippi Burgundi cognomento Boni; filius, Philippus Comes Marcæ & Ravenſtenii, qui ex uxore Franciſca filia Petri Lucelburgici Comitis S. Pauli liberos non ſuſcepit.

9 *Ioannes* I Adolphi XI filius, Dux Cliviæ, Comes Marcæ, Dominus Ravenſtenii, apud Philippum Bonum avunculum ſuum eſt educatus. Vxorem habuit Eliſabetham filiam Ioannis Comitis Niverſii; Filios, Adolphum Canonicum Leodienſem, Theodoricum Archiepiſcopum Rhemenſem, Ioannem II Ducem Cliviæ, & Engelbertum qui à Ludovico XII Dux Niverſii factus eſt, à quo Niverſii Duces proficiſcuntur.

10 *Ioannes* II Dux Cliviæ, Davidem Præſulem Trajectenſem expulit, & Maximiliano Imperatori contra Carolum Geldriæ Ducem militavit. Obiit autem anno Chriſti 1521. Vxor ei Mechtildis filia Henrici Lantgravii Haſſiæ.

11 *Ioannes* III, Ioannis III filius unicus, à patre Dux Clivenſis, à ſocero Iuliacenſis & Bergenſis, cum Carolo Duce Gelriæ fœdus iniit de ditionum ſucceſſione. Militavit adverſus Turcas ſub Carolo V, & cum aliis Principibus Imperii Monaſterium expugnavit. Vxorem habuit Mariam filiam & hæredem Guilielmi Ducis Iuliacenſis & Bergenſis. Obiit ipſe anno 1539. Filium habuit unicum Guilielmum; Filias, Sibyllam nuptam Ioanni Friderico Electori Saxoniæ, Annam Henrico VIII regi Angliæ, & Magdalenam, quæ cœlibem vitam duxit.

12 *Gulielmus* Ioannis III filius, natus anno 1516, defuncto Carolo Geldriæ Duce, ditiones ejus tanquam proximus hæres occupavit: quas Carolus V, qui ex hæreditate Caroli Burgundi eas ad ſe pertinere adfirmabat, invaſit, & Guilielmum eo adegit, ut ſupplex Cæſari factus veniam delicti peteret. Duxit autem Guilielmus Mariam Ferdinandi Imperatoris filiam, obiitque anno 1592. Ex ea nati, Ioannes Guilielmus, & Carolus qui Romæ extremum diem clauſit. Natæ Leonora, uxor Alberti Friderici Ducis Boruſſiæ, Anna nupta Philippo Ludovico Comiti Palatino Neoburgico, Magdalena Ioanni Comiti Palatino Bipontino, Sibylla Carolo Auſtriaco Marchioni Burgoviæ.

13 *Ioannes Guilielmus* natus anno 1562, patri defuncto ſucceſſit in Ducatu Iuliacenſi, Clivenſi, Bergenſi; Duxit uxorem Iacobam Philiberti Marchionis Badenſis filiam, & Antoniam filiam Caroli Ducis Lotharingiæ: obiit anno 1609, die 25 Maij, an. ætat. 47. Poſt cujus obitum, de ejus hæreditate diu diſputatum eſt, aſſerente illud ſibi Saxone, impetrata pro ſe à Rudolpho Imp. inveſtitura, quatenus feudum imperii: Brandenburgico verò aſſerente, filias Patris in eo Ducatu ſemper hæredes fuiſſe, ſe itaque ut maximæ natu filium jure in avitas ditiones ſuccedere: Nieuburgico contra, ſibi jus ſuccedendi competere, quod mater ſua adhuc in vivis eſſet, adſtruente. Tandem poſt multa bella conventum ut Clivia Brandeburgico cum annexis regionibus cederet, reliquas ditiones ut Iuliacum Nieuburgicus teneret. Itaque *Ioannes Sigiſmundus* Elector Brandeburgicus Dux Cliviæ agnitus fuit, decedens an. 1609, cui ſucceſſit *Georgius Guilielmus*, Elector Brandeb. huic autem filius *Fridericus Guilielmus* Elector, cui Deus omnia fauſta & ſalutaria largiatur.

Comitat
olim.

March
natus.
Ducat

Duces

Iuliac

Limi

M
vu

DVCATVS IVLIACENSIS.



ROVINCIÆ Imperii Germanici citra Rhenum in Gallico solo sitæ, sunt, Provincia *Leodiensis*, *Ducatus Iuliacensis*, *Coloniensis Archiepiscopatus*, *Lotharingia*, *Austrasia*, *Alsatia* & *Comitatus Montbeljard*. Ducatus Iuliacensis Comitatus olim fuit, & anno 1329 à Ludovico Imperatore Marchionatus dignitatem titulumque adeptus est. Et mox, triginta scilicet post annis, à Carolo IV in Comitiis Metensibus ad Ducatus fastigium ascendit. Primus Marchionatu functus fuit Guilielmus IV, qui & postea Dux factus. Filius huic fuit Guilielmus, qui patri successit in Ducatibus Iuliacensi, & Gelrensi. Qui cum sine prole decessisset, successorem habuit Raynoldum fratrem. Eoque mortuo sine hærede, uxor affini suo Adolpho Bergensi nupsit, qui Ducatum Iuliacensem & Bergensem accepit. Atque his itidem sine liberis exstinctis, factus est Guilielmus Dux Iuliacensis & Bergensis, cui natus filius, nomine Gerardus, in paterna ditione successor. Gerardo natus filius Guilielmus, qui quam unicam habuit filiam nuptum dedit Ducis Clivensis filio unigenito Iohanni. Et hac ratione tres Ducatus Iuliacensis, Bergensis, & Clivensis uni Domino paruerunt. Ex Ioanne natus filius Guilielmus quartum Ducatum Gelrensem junxit tribus istis Ducatibus. Sed cum Carolo V bello implicitus, & ab eodem victus Gelriæ Ducatu cedere coactus fuit, ducta uxore filia Ferdinandi Romanorum Regis.

Comitatus olim. *Marchionatus.* *Ducatus.* *Duces.*

Primaria urbs, quæ Ducatui nomen dedit, est *Iuliacum*, vulgo *Gulich*, Gallis *Iuliers*, cujus etiam in Itinerario meminit Antoninus.

Iuliacum.

A Septentrione habet Gelriam, ab Occidente Leodiensem Episcopatum & Ducatum Luneburgensem, à Meridie & ab Oriente Archiepiscopatum Coloniensem, qui medius inter hunc & Ducatum Bergensem jacet.

Limites.

Situm est ad ripam Ruræ fluvii, arce validum. Paucis retro annis à Mauritio Nassovio victa arx in Fœderatorum venit potestatem. Nec longo post intervallo ab Hispanis, Duce Spinola victa, Hispaniarum regi anno 1622 cessit, contendentibus inter se Ducibus Brandenburgico, & Neoburgico de Ducatus hujus & Cliviæ dominio. Extra urbem cœnobium Carthusianorum exstruxere Principes Iuliacenses, reditibusque opimis ditarunt. Est in eodem Ducatu *Marcodurum*, vulgo *Duren*, obsidione Caroli V celeberrimum. Etiam *monasterium Eyphaleæ*, *Munster-Eyffel*, in vallibus positum non longe à fontibus Ervatis fluvii. Sunt præterea hic oppidula *Euskirchia*, *Berchemum*, *Castrum*, vulgo *Caster*, à castro, quo munitur. *Grevenbroeck*, *Slabach*, *Dalen*, *Wassenberg*. Arces plurimas habet, quæ Nobilibus & Equestribus familiis nomen dederunt, *Palant*, *Meroden*, *Reusschenberg*, *Nesselroden*, *Wachtendonck*, modo à Fœderatis, modo ab Hispanis occupatas. Est etiam Baronatus Wickradiensis, arcem habens fortissimam, Quadorum sedem. In hoc ipso tractu sita est urbs Aquensis, sive *Aquisgranum*, Gallis *Aix*, Germanis Ach/ Flandris Aken. Grani adjectio unde sit, dubium, quum alii Aquasgrani, alii Thermas-grani, alii Grani palatium, alii *Aquis-granum* vocent. Qui Granum quendam Neronis fratrem commenti sunt, prodiderunt suam audaciam: finxerunt enim ipsi, quod à nullo scriptore traditum est. Sylburgus putavit Aquas Gratianas vero nomine appellatas fuisse. Sed unde hoc ipse habuerit, nescio. Nec desunt, qui existiment, nomen derivatum ab Apolline Granno, quem in Rhætia cultum constat. Sed ut in Rhætia istud sit, unde liquebit Grannum in Gallia Belgica cultum fuisse, aut appellationem urbi dedisse? Ego, quum videam hoc nomen etiam ante Caroli Magni ævum fuisse usurpatum, iis adsentior, qui putant à Serenio Grano Præside Romano urbem conditam, sub Hadriano Imperatore. Sita est autem à Trajecto superiore quarto milliari, tertio à Limburgo, sexto à Leodio. Opportunitas loci & fœcunditas allexit vicinos ad sedes istas incolendas. Sed surgentem adflixit Attila Hunnus, neque hanc tantum, sed vicinas omnes, quacunque incedebat, cum numeroso quingentorum millium exercitu. Restituit vero eam Carolus Magnus, qui etiam ob Francici regni viciniam, voluit ut ibi Imperatores coronam Imperii acciperent: quæ res etiam postea distractis ab Imperio Gallis, tamen in usu usque ad Carolum V mansit. Aula & tumulo Caroli Magni superbit. Fontes Aquenses, in solo plano, præter aliorum naturam, prope civitatem Imperialem scaturiunt, sale, sulfure, & alumine imbutæ, Emsensium more propemodum ferventes. Tum potæ, tum in balneis illæ salutares sunt, nervosis, contusis, vulsis, ruptis, distortisque membris. Torpida resolutaque instaurant. Vteros mulierum egregie calefaciunt, ut facilius concipiant, externa corporis vitia mirifice abstergunt.

Marcodurum. *Alia oppidula.* *Arces.* *Aquisgranum.*

Fluvii Ducatus hujus sunt, *Rura*, qui in duas regionem omnem partes dispescens, prope Ruremundam in Mosam se exonerat: & *Erpa*, non longe à monasterio Eyphaleæ originem ducens, & prope Novesium in Rhenum excurrens. *Niersia* in his terris fontes habet.

Fluvii.


IVLIACENSIS ET MONTENSIS DVCATVS.
De Hertoghdomen GVLICK en BERGHE.
GVLICK
BERGHE
Milliaria Germanica communia.
SEPTENTRIO.
MERIDIES.
OCCIDENS.
ORIENS.

68.

DVCATVS BERGENSIS.



Vcatus Montensis sive Bergensis nominis appellationem habet à Bergo oppido. Ab Inferiore Vesalia principium capit, & juxta Rheni adscendentis ripam satis longo lato que spatio extenditur. Origo Principum arcessi solet à duobus fratribus, qui ab Henrico Aucupe Romanorum rege, ob præstita illi officia, hac regione donati sunt. In qua, fratrum natu maximus, Adolphus castellum construxit prope Comitatum Arnsperg; nominavitque illud Volveshegh: & temporum successu non parum cultiorem reddidit terram illam per circuitum, oppidis vicisque eam exornans. Alter frater *Eberhardus* nomine construxit & ipse castellum, appellavitque illud Aldenburg. Invalescentibus indies fratrum opibus potentiaque Adolphum Comitem creavit Rex, ditionemque Comitatum fecit, qui dictus fuit Comitatus de Altena. Etiam Eberhardi ditio Comitatus Bergensis titulo insignita ab eodem fuit. Paulo post, cum monasticam vitam amplexus esset frater Eberhardus, fratri ditionem suam tradidit, & constructo ad fluvium Dune Monasterio, Abbas in eo factus est. Ab Adolpho & posteris ejus descenderunt Comites isti: Engelbertus, Adolphus, Engelbrechtus, Adolphus. Hic vero cum improlis decessisset; cessit Comitatus Bergensis filio sororis suæ, nempe Gerardo Comiti Iuliacensi. Post eum utrique ditioni præfuit filius Guilielmus, & post hunc Gerardus, inde Gerardo natus Guilielmus. Huic successit filius Guilielmus Dux primus Iuliacensis, Bergensis, & Dux Gelriæ. Quem excepit successor Rainoldus, mortuus anno 1423. Mansitque post hæc tempora ditio Montensis apud Duces Iuliacenses. Quorum seriem vide in descriptione Ducatus Clivensis. *Principes.*

Ab occasu Rheno & Archiepiscopatu Coloniensi clauditur, à Septentrione Cliviæ Ducatu, & Marchiæ Comitatu, cujus pars etiam Orientale hujus Ducatus latus attingit. *Limites.*

Sunt, qui volunt Comitatum Montensem erectum eo tempore, quando Henricus Superbus exautoratus fuit à Frederico I. Anno vero 1363 fecit Carolus IV ex Comitatu Marchionatum; Wenceslaus filius in Ducatum erexit.

Oppidulum hic videas *Essendiam*, dictum *Essen*, in quo Alfridus IV, Hildesheymensium Præsul, cœnobium monialium virginum exstruxit, in quo sub unius Abbatissæ moderamine 52 virgines alerentur, & 20 insuper Canonici sub ejus loci Decano Canonicam vitam agerent. Gaudet Abbatia hæc asyli privilegio. Ager frumenti & tritici præstantissimi ferax. Nec alium facile reperias locum, in quo plura conficiuntur sclopeta. Fontibus abundat, & atro carbonario lapide, quem territorium vicinum suppeditat, potissimum vero, qua Steltium est, ad Ruram amnem oppidum. Præfecturas habet plurimas, *Blanckenborch*, *Leewenberg*, *Huickeswagen*, *Bornfelt*, *Saligen*, *Lantzberg*, *Dusseldorp*, *Steinbach*, *Byenbach*, *Meysenlo*, *Medman*, *Windeck*, *Syberg*, *Nuwenborg*, *Portz*, *Lulstorff*, *Monheym*, *Angermondt*, *Elverfeldt*, *Borck*. *Oppida.*

Dusseldorpium Metropolis est Ducatus Montensis, ab amne Dusselo nomen habens. Ad Rheni ripam jacet. Sedes est aulæ, & telonium mercium prætervectarum. Aulæ domus, qua parte civitatem adspicit, fossa alta lataque munita est, reliquam partem Rhenus alluit, cujus in flumen hoc celeberrimum & patentes ulterius terras prospectus est amœnissimus. Conservari hîc solent archiva Ducatus & Cancellariæ. Basilica tumulos habet Ducum ea templi parte, quam Chorum vocant. Cœnobium insuper hic videas Crucigerorum. Claruit quoque superioribus annis illustri Gymnasio, vel Schola, quam Patres Iesuitæ exstructo istic collegio restaurarunt. Est & hic Capucinorum collegium. Regio omnis Coloniensium est horreum, ad quos ter singulis septimanis agricolæ mercatum veniunt, vendentes ementesque. Solinga fabros habet plurimos & laudatissimos gladiorum ac cultrorum. *Elverfeldia* fila telasque conficit conficiendis tapetibus, quæ Antwerpiam transvehi solent. *Dusseldorpium.* *Solinga.* *Elverfeldia.*

LEODIENSIS EPISCOPATVS.



Leodicum, sive Leodium, quæ & Legia dicitur, eo loco posita est, quem in Commentariis narrat Cæsar habitatum fuisse ab Eburonibus: qui Duce atque autore Ambiorige, ex insidiis ceciderunt Cottam, Sabinumque, Cæsaris legatos, una cum legione & cohortibus quinque Romanorum. Hubertus Thomas, hujus terræ historiographus, Legiæ quidem nomen derivat ab occisa illa Romanorum militum legione: sed conditorem ei assignat Ambiorigem illum supradictum, quem ob ingratam suam perfidiam ad necem usque persecutus est Cæsar. Alii nomen volunt sumsisse ab amne Legia, qui ad Ansium pagum natus tertio inde milliari urbem illabitur, ac Mosæ inibi se commiscet. Richardus Vassenburgius, ac Ioannes Placentinus in historiis suis narrant, Divum Hubertum Aquitanum, primum oppidi Præsulem, primum etiam ejus conditorem revera fuisse, cum antea non nisi pagus esset, conditoque imposuisse nomen Legiæ. Alii rursus non conditorem eum, sed instauratorem fuisse contendunt, urbi autem antiquam & inde à Græcis originem tribuunt. Quicquid sit, & ex positu ejus admodum oportuno, & murorum quorundam semirutorum parietinis, aliisque id genus venerabilibus monumentis, vetustissimam urbem esse colligitur. Vtitur ea in gravioribus ac majoris momenti rebus pervetusto sigillo, cum tali elogio: *Legia Romanæ Ecclesiæ unica filia*, unde varia porro deducunt argumenta ad dignitatem simul & antiquitatem urbis demonstrandam. Sita est inter colles & montes in amœnissima valle ad Mosam flumen, quod duplici eam cornu intersecat, plusculas creans insulas, easque habitatas. Præter Mosam & Legiam jam dictos, etiam aliis rivulis tribus interluitur, Vta, Vesa, & Ambluaria: qui orti in Arduenna sylva in Mosam hic se exonerant, & laudabiles incolis sufficiunt pisces: præcipue vero *Vta*, qui inter alia piscium genera, illud maxime suave ac delicatum præbet, quod Vtinense à flumine vocatur. Manant insuper tota urbe & aliæ quædam non limpidæ minus, quam juges aquæ: unde pulchri porro & frigidi passim fontes, tanta copia, ut ne privatorum quidem ædibus desint, quæ binos eos, ternosque nonnullæ numerant. Oppidum magnæ capacitatis est & amplitudinis diffusæ, sic ut arduos quosdam montes, complures valles, varios aquæ perennis rivos, & pulcherrimas aliquot vineas complectatur. Vnde Philippus Comminæus amplitudine urbem Rothomago parem facit, etsi multo major sit. Ambitus enim ejus est quatuor Italicorum milliarium. Ædificia ampla, ac præ ceteris superbum est & magnificum Palatium Episcopi, extructum à Cardinali Erardo Episcopo Leodiensi. Publicis vero templorum structuris, sive numerum Ecclesiarum spectes, sive elegantiam, splendorem, divitias, omnes superat non modo Galliæ, sed etiam Germaniæ utriusque civitates. Octo in ea sunt templa collegiata, in quibus divites admodum Canonici vivunt. Splendidissimum vero est templum S. Lamberti, qui tutelæ præest civitatis. Templum hoc cathedrale est, cujus Episcopus totius ditionis & diœceseos princeps, Canonici consiliarii; sed ad Canonicatum nemo admittitur, qui non aut nobili sit prognatus stemmate, aut alioqui Doctor vel Licentiatus: licetque Canonico (nisi in sacerdotum numerum fuerit cooptatus,) resignare beneficium, uxorem ducere, & aliud quodvis vitæ genus suscipere. In hoc templo multa admodum sunt vasa magni pretii, multa ornamenta aurea argenteaque. Inter alia statua est S. Georgii ex puro auro, quam Carolus Burgundiæ Dux consecravit. Sunt & quatuor Abbatiæ perquam opulentæ, & Bibliothecis instructissimis exornatæ. Parœciæ intra urbem sunt 32 cum Ecclesiis totidem. Atque ex his apparet, non immerito à Petrarcha olim scriptum, *Vidi Leodium, insignem clero locum.* Sermo civibus Gallicus, sed qui ob vicinitatem & commercia Germanorum & Belgarum est depravatissimus. Vrbs ipsa est Imperialis, non alio tamen vinculo, quam quod Imperatori, arma in Turcam moventi, teneatur milites aliquot suppeditare, vel pro illis annumerare stipendium, quo alii adscribi possent. Episcopus jus habet titulumque Principis, tanta tamen libertate & privilegiis concessis civitati, ut pene libera videri possit. Habet enim suos Consules, Scabinos, Magistratum. Studia hic olim magno in honore fuere, adeo ut observatum sit, uno eodemque tempore Leodii novem Regum filios, viginti quatuor Ducum, 29 Comitum, literis artibusque humanioribus operam navasse, præter Baronum, & aliorum illustrium virorum liberos, qui plerique omnes Canonici erant templi S. Lamberti.

Origo nominis. *Vrbis Leodici descriptio.* *Situs.* *Flumina.* *Templa.* *Politia.*

Hanc urbem Carolus Dux Burgundiæ Episcopo affini suo opem ferens adversus cives obsidione cinxit, cœpit, & totam vastavit. quam historiam prolixe describit Philippus Comminæus lib. 2. c. 13 & 14 suæ historiæ. Habet item Leodicum triginta & duo artificum collegia, quorum ingens in universa republica est authoritas, ita ut nullum promulgari possit edictum, nullum publice capi consilium, nisi accedat eorum consensus; ac præcipuum est illud vascularioriorum: uti antiquissimum ferrariorum. Vrbs civibus frequens est; qui ingenio & sagacitate valent, adhæc promti ad quidvis audendum: verum pessima & inveterata quadam consuetudine ad ignaviam, & mu-


LEODIENSIS DIOECESIS.
Amsterdami
Apud Guiljelmum et Ioannem Blaeu.
HANNONIÆ PARS
GALLIÆ PARS
BRABANTIÆ PARS
LUTZENBURG DUCATUS PARS
IULIÆ DUC. PARS
GELDRIÆ PARS
KEMPEN LAND
Scala Milliarium Leodiensium
Milliaria Germanica communia
Occidens
Oriens
Meridies
Septentrio

69

& mutua inter se dissidia, quam laborem concordiamque, proniores, audaces tamen, robusti, ac ad militiam aptissimi.

Buillonum. *Buillonum* castellum est quarto ab Ivoy milliari, decimosexto à Leodio, in montis vertice, mirabili artificio exstructum. Sedes est Ducum Buillonensium. Ab hac nomen habuit Godefredus Buillonius Dux Lotharingiæ, qui anno 1096 in Concilio generali celebrato Claremontii in Arvernia, una cum fratribus Eustatio & Balduino sacram militiam suscepit adversus infideles, pro recuperanda Terra sancta. Quo tempore illustris & vere generosus Heros, ut esset ad militiam illam expeditior, Sperto Episcopo Leodiensi Ducatum illum vendidit, majore gloria vendentis quam ementis. Atque hujus virtute anno 1099 capta fuit à Christianis Hierosolyma. Quumque ab exercitu ob præclara merita regnum Hierosolymitanum cum corona ei offerretur, negavit (en Principis Christiani pectus) se auream coronam aut regium titulum eo loco suscepturum, in quo Servator humani generis spineam coronam tulisset. Et quanquam Ducatus hic ditionis sit Leodicensis, tamen jus suum in eum obtendit Dominus Sedanensis, quamobrem & se Ducem Bullonii inscribit, & ipsa ditio, vi pacis ann. 1559 inter Christianissimum & Catholicum reges initæ, restituta est Leodicensium Præsuli: verum id citra juris, quod Sedanensis Dominus sibi vendicat, præjudicium.

Francimontium. *Francimontium*, alias muris clausum, nec incelebre fuit oppidum, hodie vero murorum expers, pagi duntaxat, etsi ampli satis ac vasti, vocabulum sustinet. Arcem tamen sic satis munitam habet, & ab Erardo Cardinale instauratam. Dissidet à metropoli sua quatuor leucis, & Marchionatus sibi titulum vendicat, jurisdictionem in pagos aliquot suburbanos obtinens.

Tuini. *Tuini* (pagus hic est Francimontio proximus) metalla sunt plumbi optima, & in montibus vicinis lapicidinæ marmoreæ.

Tungri. *Tungri* tribus milliaribus absunt à Trajecto Mosæ, totidem à Leodio. Civitas eorum *Tongren* hodieque appellatur, sita ad fluvium *Iecher*. Nomen habet à Tungris Germaniæ populis, qui relicta patria primi Rhenum trajecerunt, & has sibi delegerunt sedes. Vrbs est omnium Brabantiæ civitatum antiquissima. Ejus incolæ à S. Materno Patavino primum semina Christianæ fidei acceperunt: fuitque is primus ejus loci Episcopus anno 138, teste Iohanne Placentino. Sed quum Hunni Duce Attila in Germaniam irrupissent, & civitatem istam una cum aliis oppidis vastassent, translatus est Episcopatus iste Trajectum ad Mosam à S. Servatio. Deinde anno 713 idem Episcopatus Trajecto translatus est Leodium à S. Huberto. Ab hac urbe Tungrorum Lutetiam Parisiorum usque iter est milliarium Italicorum ducentorum: quod totum iter lapide constratum fuit, exstantibus etiam nunc ejus viæ reliquiis manifestissimis. Argumentum antiquitatis summæ est templum Herculis intra urbem, cujus statua ante portam etiam hodie conspici potest. Hoc loco fons fertur fuisse, de quo C. Plinius lib. 31, cap. 11, *Tungri, civitas Galliæ, fontem habet insignem, plurimis bullis stillantem, ferruginei saporis, quod ipsum non nisi in fine potus intelligitur. Purgat hic corpora, tertianas febres discutit, calculorumque vitia. Eadem aqua igne admoto turbida fit, ac postremum rubescit.* Ac de hoc fonte litigant inter se viri docti. Alii contendunt esse adhuc intra urbem: alii (quibus adsentitur accuratissimus scriptor, & qui hujus rei fidem singulari cura experiri voluit, Ludovicus Guicciardinus) extra eam, sesquimilliari à Limburgo, quinque milliaribus à Leodio, octo à Tungris, juxta *Spa* vicum, in nemore quodam amœno & jucundo, parte sylvæ Arduennæ. Hujus fontis mirabilis est efficacia in morbis desperatissimis, phthisi, hydrope, febribus, atque aliis. Porro Tungrorum etiam meminit Plinius lib. 11, & præter eum Strabo, Tacitus, Iulius Capitolinus. Eorundem quoque memoria exstat in locis quibusdam Germaniæ, Brabantiæ, Namurci. Nam *Tongrenheim* juxta Coloniam est, *Tongerloo* in Brabantia, *Tongria* in tractu Namurcensi. Celebratur in Tungrorum urbe jam ab annis aliquot retro singulis septimanis perinsignis quidam equorum mercatus, quod jumenti genus è Germania, Belgicaque abunde huc solent transferre. Hubertus Thomas, scriptor eruditus, Tungrorum muros vetustissimis illis temporibus Oceani fluctibus verberatos fuisse contendit, idque conjecturis quibusdam & argumentis, ne ad speciem quidem veris. Parum sane attendisse videtur ad oppidi ipsius situm, quam illud à mari abjunctum, imo quam non potuerit istud citra aliarum regionum inundationem perniciemque eo pertingere.

Huyum. *Huyum*, *Hoey* vulgo, antiquis temporibus oppidum erat famosum, amplum & potens, dicebaturque ex quorundam sententia *Benefactum*; sed crebro deinde à barbaris dirutum, & dignitatem simul & nomen amisit. Hodie Huyum dicitur, à cognomine rivulo, qui natus ad Havelangam pagum, magno & turbido impetu, maxime vero cum imbribus adaugetur, ad Caurum properat, ac Mosæ hoc ipso loco commiscetur. qui Mosa Huyum interluit, ac in duas fere æquales partes scindit, sed pulcherrimo & mirandi operis ponte junctas. Arx urbi imminet, quam ex edito monte despicit. Ager vicinus dives est venarum ferri: ideoque complures hîc officinæ ferrariæ: pecoris item sat magna vis.

Hasseletum. *Hasseletum* flumini Demeræ adjacet, oppidum minime contemnendum, ædificiis simul & civibus frequens. Civem dedit Fr. Tilemannum, ordinis D. Francisci, virum longe doctissimum, & complurium operum scriptorem. In finibus Hasseleti & ad Demeram flumen, *Curinga* est, amœnissimus pagus, spectabilis luculento palatio.

Dinantum. *Dinantum*, uti volunt, dictum est, leviter immutata voce, à Diana, quæ & templum hîc habuit, & sacerdotes, qui ad aram ejus, haud secus, quam in celeberrima illa apud Ephesum æde, sacrificaverint. Adjacet dextræ Mosæ fluminis ripæ, & Boviniaco, quod ad alteram ripam est, leucæ tantum quadrante, Leodico plus duodecim leucis abjungitur. Fuit vero & istud oppidum magni nominis, ac mercimoniis olim floruit, sed bellis, aliisque rerum humanarum casibus accisum attritumque. Dirui ac solo æquari aliquando jussit Carolus

Dux

Dux Burgundiæ, cumque iterum resurgeret, cinxit magno exercitu Galliæ Rex Henricus II, qui Mariæburgo victor rediens, mox in deditionem accepit. sed Germani militis insolentia factum, ut injustissime diriperetur. Arx, utcunque machinis concussa, primos tamen incursus animose sustinuit: sed cum iterum, iterumque horribili tormentorum strepitu tunderetur, obsessi, auctoribus Germanis, dediderunt se Gallo, qui & arcem mox demolitus est alto monti impositam. Sed utraque oppidum & arx jam denuo restituta.

Masacum. *Masacum*, *Maseyck*, oppidulum non incelebre, ad lævam Mosæ ripam. Primo hinc milliari *Thora* est, amœnissimus locus & Abbatia insigni, quam Thorensem vocant, superbiens; eam condidit Comes Hugiensis, anno 1472. *Stochemium* & *Bilsa* exigua oppidula, quorum illud ad Mosæ ripam est, hoc altero à Trajecto milliari remotum.

Designatus ac delineatus hic fuit aliquando novus quidam aquæ ductus, per quem Demera fluvius duorum vel circiter milliarium spacio, prope urbem Trajectum, ubi solum depressius, duceretur in Mosam; quo opere perfecto naves mercesque à Mosa in Demeram, atque hinc porro in Diliam, Rupelam, Scaldim, ipsumque mare transmitti potuissent, nec necesse fuisset merces è Gallia ac Leodicensi Provincia, tam longo itinere, tamque immenso sumptu, temporisque impendio per Gelriam, Hollandiamque in Brabantiam circumducere. Atque hoc quidem consilium jam nuper denuo agitari cœptum, cum Fossam Eugenianam ducere aggressa fuit Archidux Isabella.

S. Truyen. *Trudonopolis*, vulgo *S. Truyen*, sedes olim, ut volunt, Centronum, populorum veteris Galliæ, quorum prolixe meminit Cæsar. Incolæ lingua utuntur Brabantica: quæ & quatuor ultra versus Leodicum leucis in frequenti est usu. quare, licet sedi Leodicensi pareant, Brabanti tamen haberi atque agnosci volunt. Est hic nobile illud cœnobium D. Trudonis, oppido à se nomen faciens, adeo potens & locuples, ut ipsum oppidum Abbas è semisse possideat, cumque legendi sunt Magistratus, parem cum ipso Episcopo numerum eligat. *Loortsia* Trudonopoli sesquileuca abest. *Borckmormia* adjacet rivo Ieckeræ. *Visetum*, *Varemium*, *Beringa*, loca satis celebria sunt & peroportune sita. *Herca*, *Brea*, *Pera*, *Hamontum*, Leodico pari septem leucarum intervallo abjunguntur, loca haud magni nominis. Nec absimilia multum *Sineia*, *Fosseia*, *Covinum*, *Florenna*, *Cereia* pulcherrimum propugnaculum, ubi habitasse volunt Ceræsos, populos Cæsari celebratos.

Ebura. Est etiam uno à Leodio milliari pagus *Ebura*, qui Eburonum metropolis fuisse creditur. Hunc juxta complures inveniuntur venæ præstantissimi sulphuris. Pari fere intercapedine distat ab urbe *Herstalla*, locus, unde inditum nomen Pipino II. Item *Iupilia*, locus itidem memorabilis. quare utriusque haud raro meminerunt scriptores. Ad utramque Mosæ ripam, compluria olim extabant palatia, & amplissima splendidissimaque prætoria Principum Pipinorum, ipsis fere suburbiis paria, quo sæpius ipsi animi causa secedebant. Nam, si quod verum dicendum est, nullus tractus hoc amœnior, sive aëris cœlique temperiem spectes, sive flumina, fontes, sylvas, montes, valles, vineta, fruticeta, adeoque venationis ac piscationis oportunitatem summam. Quare & Carolum Magnum plurimum eum frequentasse, & Paschalia festa crebro inibi transegisse, memoriæ proditur. Est præterea primo ab urbe lapide pulcherrimus mons, sed abruptus idem, & propemodum inaccessus, ut qui unicum tantum habeat ab Ortu adscensum, ideoque vulgariter audiat *Chevremont*, quasi dixeris, *Mons caprarum*. Is finitima quæque longè lateque spectanti aperit, & flumen in Arduennam natum ac radices ejus alluens, despicit. In vertice priscis temporibus arx fuit, cujus adhuc hodie memorabiles ostenduntur reliquiæ. Eam arcem occupasse tandem legitur crudelis quidam efferusque tyrannus, qui fretus asperitate loci, finitimum omnem tractum miserrime vastabat. sed eum hunc modo ulti sunt Leodienses: Invitaverat forte barbarus iste grassator Leodicensium præsulem, qui Monulphus tunc, ordine duodecimus, testem eum adhibiturus infantis sui baptismo. Episcopus oblatam occasionem se civesque suos à tyrannide liberandi lubens arripuit, & selecta militum manu, sed quos habitus sacerdotes argueret, comitatus, arcem & Dominum ejus adiit, subsequentibus porro & aliis viris militaribus. Moxque admissi in prædones irruunt, eosque ad unum omnes cædunt, ita ut ne nuncius quidem cladis superesset. arcem ipsam funditus demoliti sunt, quam restaurari non patiuntur. Quin ex eo tempore cives Leodienses Episcopos suos jurare coëgerunt, nunquam se permissuros, uti rupes illa restauretur.

Institutio Leodiensis Episcopatus. Instituit olim amplissimum istum Leodicensem Episcopatum Hubertus Aquitanus, Bertrandi, terræ illius Dynastæ, filius. etsi alii faciant multo antiquiorem. Is Hubertus, religione impulsus, Aquitaniam suam deseruit, & Brabantiam adiit, ubi arctissimam amicitiam coluit cum Lamberto Episcopo Trajectensi ad Mosam. Cumque postea desiderium subiisset videndi summum Pontificem, & sacra illa loca perlustrandi, homo Romam profectus est. quo cum nuntius adferretur, crudeliter interfectum esse à Trajectensibus Divum Lambertum, Sergius Pontifex Hubertum creavit Episcopum Trajectensem. Hubertus, Trajectum redux, benigne à civibus illis susceptus est. sed cum abhorreret eos atque detestaretur ob nefariam Divi Lamberti cædem, cogitare mox cœpit de transferendo alioversum Episcopatu, ac Leodicum abiens, urbem illam vel condidit primus, vel instauravit, Legiamque (ut diximus) nuncupari voluit. exornavit deinde pulcherrimis ædificiis ad Divinum pariter & humanum cultum. Moxque legibus prius latis, & approbante Summo Pontifice, Episcopalem cathedram Trajecto Leodicum transtulit, anno Christi 713, transportato eodem & corpore Divi Lamberti, cujus nomini ac honori dedicavit postea peregregium illud cœnobium, cum augusto illo Canonicorum Collegio paullo ante commemorato. ubi mortuus tandem post sanctissime actam vitam, adscribi meruit etiam ipse Divorum consortio. A clarissimo autem illo Divo usque ad hunc

hunc Maximilianum Henricum numerantur in ea sede Episcopi sexaginta. in quibus non pauci inveniuntur viri pii & sancti. sed nec hodie bonitas gravitasque Episcopalis defecit. Nam & inter recentiores mirifice nuper claruit Erardus à Marca, sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis, Roberti fortissimi viri frater. qui in eo fuit apud Principes Christianos pretio, atque auctoritate & gratia polluit, ut pacatam habuerit regionem per triginta ipsos annos, & quietem ita fundarit, ut & hactenus ea perseveret. Idem non urbem modo, sed & totam quam late patet ditionem varie passim reparavit, oppidis aliquot arcibusque à fundamento instauratis. atque ut dicam paucis, ita liberaliter & profuse reipublicæ se impendit, ut merito omnes eum suspexerint, gloriosoque Patris patriæ nomine decoraverint. Obiit magnus ille Antistes, ut constat è regio ejus tumulo in choro (ut vocant) ædis Divi Lamberti visendo, anno à Christo nato 1538. Visitur inibi statua ejus ænea, ad vivum (ut volunt) efformata & genibus nixa, cui adstat imago mortis, sic, ut fieri solet, expressa, cum brevissimo isto, sed scito admodum epitaphio, *Erardus à Marca mortem habens præ oculis, vivus posuit.* Cardinali successit Cornelius de Berges, Dominus Sevenbergæ. qui quod animo esset professione Ecclesiasticæ parum addicto, dignitatem Episcopalem cessit Georgio Austrio, filio naturali Imperatoris Maximiliani, Archiepiscopo Valentino, digno sane ac reverendo Antistiti. cui mortuo surrogarunt coadjutorem ejus Robertum, fratrem Illustrissimi Marchionis Bergezomii, juvenem doctum pariter & religiosum. Is, quod valetudine esset parum firma, & atra bile infestaretur, abdicavit se mox hac dignitate. quare ob raras suas virtutes, & flagrantissimam populi simul & augusti Collegii gratiam, suffectus ei Gerardus Grosbequius, Collegii Divi Lamberti Decanus, nobilissimus certe ac venerandus Præsul, & in tanta existimatione & fama, ut allectus postea fuerit in Collegium Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium. Huic denique viam universæ carnis ingresso surrogatus est liberis omnium votis, & solennibus ceremoniis, utriusque Bavariæ Ducis frater, Ernestus Ecclesiæ Coloniæ Archiepiscopus, quo anno 1612 defuncto, unanimi omnium consensu electus est Ferdinandus ejusdem Nepos, itidem Archiepiscopus Coloniensis, frater Maximiliani, qui primus Electoratum & superiorem Palatinatum Domui Bavariæ attexuit. Huic anno 1650 è vivis sublato suffectus est Maximilianus Henricus Bavariæ Dux, Archiepiscopus Coloniensis, S.R.I. Princeps Elector, qui nunc temporis multa cum laude Ecclesiæ præest. Eligitur porro Episcopus Leodicensis à Collegio Divi Lamberti, approbatur ab universo populo, tandem vero, ut cæteri omnes Catholici Præsules, à Romano Pontifice confirmatur. nec Episcopus tantum est, sed & Sacri Imperii Princeps, Dux Bullonii, Marchio Francimontanus, Comes Lootsensis & Hasbaniensis. quæ loca subsunt, ut diximus, huic Episcopatui, & ab eo dependent. Annui ejus reditus sane quam luculentissimi, ut qui tricena fere millia ducatorum excedant: imo si populis suis Episcopus recte utatur, & captare norit eorum benevolentiam, nunquam deerunt extraordinaria quædam subsidia, ne quid dicam de sacerdotiis, vel ut vulgo appellant, præbendis ac beneficiis, dispositioni atque arbitrio ejus reservatis.

Termini.

Fines Episcopatus Leodicensis sunt, à Septentrione & Occasu Brabantia: Ab Ortu pars Mosæ; cum Ducatu Limburgensi: ad Austrum Ducatus Lutzenburgensis. Vulgo vocatur *l'Evesché de Liege.*

Ferrifodinæ.

Celebris imprimis est hic Episcopatus ingenti ferrifodinarum numero; quæ acri studio à gnaris & laboriosis incolis excultæ immensam vim ferri longinquas pariter & vicinas in regiones exportandam præbent. Nec minus quoque lucrum ac ornamentum carbones fossiles incolis afferunt, qui è montibus effossi & in Hollandiam maxime deferuntur, ubi Leodienses carbones optimæ notæ esse æstimantur. Magna præterea cum Hollandis Leodienses commercia exercent, sua vitrea & fictilia vasa, aliaque quæ vel manu formant, vel à natura loci commodant, aliis exoticis mercibus permutantes. Non exiguam in eo operam iis exhibet fluvius Mosa, qui hunc Episcopatum percurrens, tandem per Hollandiam in Oceanum se effundit.

ARCHI-

ARCHIEPISCOPATVS COLONIENSIS.

Archiepiscopatus Coloniensis. Limites.



Oloniensis diœcesis ab urbe primaria nomen habet. A Septentrionibus partem habet Ducatus Cliviæ, & Comitatus Marckæ, ab Oriente Montensem Ducatum, à Meridie Trevirensem Episcopatum, ab Occidente Iuliacensem Ducatum & Gelriæ partem.

Divisio. In duas partes dividitur, superiorem scilicet & inferiorem. In superiori est ipsa Colonia Agrippina, de qua & territorio ei subdito plura in particulari quæ sequitur tabula: reliqua hujus partis *Oppida.* oppida sunt Bonna, Andernacum, Lintrium, Broela, Lechnichum, Meckenhemium, Reinbachium, Cochenhemum, Nurkburgum, Aldenaria, Arwiter, Hulchenraedt, Zons, &c. In inferiori sunt, à parte Rheni occidua, Lynum, Oerdinga, Oedt, Kenpe, Odenkirchen, Liedberga, Novesium, Alpæ & Rhenoberca; ab altera parte Dorsten, Recklinckhusen & Hornburgum.

Præfecturæ. Habet Episcopatus Coloniensis Præfecturas plurimas, *Arnsberg, Fredeborg, Bilsteyn, Fredehardeskirchen, Hovestatt, Werle, Nehem, Balve.* *Dominia.* Dominia, *Wildenborch, Homberchen, Hachenberg, Hardenberg.* In Vbiorum finibus fuit Tolliacum, ut refert Tacitus lib. 4 historiarum. Videntur autem veteres Vbii etiam ea loca insedisse, quæ nunc Marckæ Comitatui, & Ducatui Montensi adscribuntur. Hodie Episcopalis ditio ampla est.

Bonna. Bonnæ in historia Romana crebra fit mentio: Tacitus castra Bonnensia nominat. Condita est sub Augusto à Druso, qui etiam ad tuendam Rheni ripam quinquaginta amplius castella exstruxit, & Bonnam Genosiæ, ponte Rheno imposito, junxit. Testatur id aperte Florus libr. 4. *Per Rheni ripam quinquaginta & amplius castella direxit, Bonnam & Genosiam pontibus junxit, classibusque firmavit.* Oppidum amœnum est, muro & fossis cinctum, ædificiisque commodis ornatum, situ plano, qua montes, qui à Bingio inde profecti Rhenum quasi constringunt, in planitiem apertam diffunduntur. Læti hic agri ubertas, non tantum frumenti omne genus, sed & vina optima insigni ubertate fundentis. Vicini sunt colles, qui præstantissimos fructus æstate proferunt, non tantum ad necessitatem, sed etiam ad delicias. In his feræ venatoribus jucundam & utilem relaxationem præbent. Sunt & cultissimi passim horti, & pomaria amplissima, quæ dulci rivulorum ac fontium aqua, non sine grato murmure, irrigantur. Iucundus hic nobilitati secessus. Sedes est ordinaria Episcopi Coloniensis. Eam patrum memoria à Carolo Truchesio, Gebhardi Præsulis fratre, occupatam, defensamque præsidiarii vendiderunt quatuor millibus dalerorum Ernesto Bavaro, qui pulso victoque Gebhardo in locum ipsius successit.

Novesium. Sexto infra Coloniam milliari, in ripa Gallica, ad flumen Erpiam, ad quem ex Rheno justo intervallo, dissitum commoda est per euripum navigatio, situm est Novesium, *Neus.* A Septentrionali plaga in latum, & pro media parte Occidentalis plagæ in longum, duplici muro cingitur civitas, & in utroque complures turres habet firmas. Templum habet collegiatorum Canonicorum B. Quirini, opus Everhardi Comitis. An. 881 exustum est Novesium à Normannis, uti & Bonna, Colonia, Tolbiacum. A Frederico Imperatore cives ob virtutem variis prærogativis donati sunt. Immunitatem habent telonii in Rheno amne, jus cudendæ monetæ, aquilæ aureæ insigne in clypeo nigro: facultatem obsignandi literas publicas cera rubra. In ea uxorem duxit Maximilianus Imperator Mariam Caroli Burgundi filiam. Anno 1585 occupavit eam Comes Newenarius noctu 10 Maji. Anno 1586 post paucorum dierum obsidium capta est à Parmensi Principe Alexandro Farnesio, paucisque post horis tota fere miserabili incendio consumta est.

Andernacum. Est & in diœcesi hac *Andernacum*, cujus meminit Ammianus, qui sub Iuliano Cæsare militavit, vocatque Anternacum. Situs ejus amœnissimus est ad Rhenum inter montes, duobus à Confluentibus milliaribus, in ripa Gallica.

SERIES Episcoporum & Archiepiscoporum Coloniensium.

SAnctus *Maternus* B. Petri Apostoli discipulus, una cum Euchario & Valerio, ad Treviros, Vbios & Tungros missus, Euangelium ibi prædicavit annis 40, obiit anno Christi 134. Post hunc sedes vacavit annis 244 ob gentilium potentiam, usque ad Euphratem Arrianum, qui cum annis 20 præfuisset, in Concilio Coloniensi depositus anno Christi 398. Circa hæc tempora pulcherrima Collegia fundata Coloniæ S. Gereonis, Bonnæ SS. Cassii & Florentii, & Xantis per S. Helenam Imperatricem.

2 *S. Severinus* Gallus, tempore Damasi Papæ & Theodosii I I, Imp. electus in Concilio Coloniensi, Ecclesias SS. Cornelii, Cypriani, & S. Columbæ consecravit. præfuit annis 40.

3 *S. Evergistus* Tungrensis, S. Severini Diaconus, noctu à sicariis, dum orandi causa ad Basilicam pergit, occisus.

COLONIENSIS Archiepiscopatus

Auctore Ioh. Gigante Medico et Mathematico.

Amstelodami
Guiljelmus Blaeuw
Excudit.

Milliaria Germanica communia
Horæ itineris

Civitates
Pagi
Arces
Monasteria

70

4 *S. Aquilinus* vixit temporibus S. Vrſulæ, cujus reliquias curioſè collegit & condidit.

5 *Simoneus* præfuit circa annum Chriſti 511.

6 *Carentinus* vixit temporibus Iuſtini Imperatoris.

7 *Remidius* vixit circa annum Chriſti 614. Hoc tempore Gallia ad fidem converſa, poſtquam Clodoveus non procul Tulpeto à Germanis victus.

8 S. Cunibertus Moſellanus è familia Regum Auſtraſiæ in aula Gallica educatus, ad inſtantiam Dagoberti Regis Epiſcopus factus an. Chriſti 622. Diu & bene præfuit; ædificavit templum S. Clementis; Suſatum Epiſcopatui adjecit. Sepultus in Eccleſia, quæ nunc S. Cuniberti dicitur, & catalogo Sanctorum aſcriptus anno Chriſti 803.

9 *Bocaldus* quinque annis præfuit. Obiit anno Chriſti 660.

10 *Stephanus* Theodorici Regis temporibus vixit. Obiit anno Chriſti 690.

11 *Abelwinus* Clodovei tertii temporibus præfuit. Bacchi templum circa Noveſium, ſublato idolo, Chriſto dedicavit. præfuit annis 4.

12 *Giſo* defuncto Abelwino ſucceſſit, anno Chriſti 694. Sepultus ad S. Cunibertum.

13 *Anno* I, bene præfuit, ſepultus ad S. Cunibertum.

14 *Pharamundus* vixit circa annum Chriſti 728.

15 *S. Agilolphus* è familia S. Bonifacii, Abbas fuit in Galliis, poſt primus Archiepiſcopus Colonienſis, occiſus à ſuis anno 747.

16 *Rangrefridus*, qui alias Albericus, præfuit annis viginti.

17 *S. Hildibertus* Cancellarius Regis Franciæ, in bello Saxonico Pipini ab infidelibus ad Viſurgin martyrio affectus, poſtquam præfuiſſet annis viginti ſex.

18 *Bartholinus* Pipini Regis ſeculo vixit.

19 *Ricolphus* Caroli Magni tempore præfuit circa annum Chriſti 800.

20 *Hildeboldus* Aquiſgrani Ludovicum Pium coronavit; Baſilicam S. Petri, ubi nunc ſummum templum, extruxit; S. Ludgerum primum Epiſcopum Monaſterienſem conſecravit. ſepultus ad S. Gereonem anno Chriſti 819.

21 *Hadebaldus* interfuit Concilio Aquiſgranenſi, obiit anno Chriſti 852.

22 *Guntherus* nobilis Francus, depoſitus anno Chriſti 864.

23 *S. Wilibertus* Synodum Coloniæ celebravit, ſepultus ad S. Andream, anno 890. Hoc tempore Alfridus Epiſcopus Hildeſienſis fundavit Collegium Eſſendienſe, anno 877.

24 *Hermannus* I, Pius dictus, præfuit annis 35, obiit 925.

25 *Wigfridus* præfuit annis 29, mortuus anno Chriſti 954.

26 *S. Bruno* Saxo, Henrici I, Imp. filius, Otthonis frater, Tuitienſe caſtrum, & pontem Rheni deſtruxit. Fundavit Collegium S. Panthaleonis & Cathedrale templum Suſati. præfuit annis 12, ſepultus ad S. Panthaleonem, anno Chriſti 965.

27 *Volcmarus* Brunonis Archidiaconus, annis quatuor præfuit, mortuus 969.

28 *Gero* filius Marchionis Luſatiæ, præfuit annis ſeptem, ſepultus ad S. Petrum an. Chriſti 976.

29 *Warinus* collegium S. Martini inſtauravit, obiit anno 985.

30 *Evergerus* præfuit annis tredecim, ſepultus anno 998.

31 *S. Heribertus*, primus Princeps Elector, Comes in Rotenburg, Tuitienſem Abbatiam fundavit, & liberaliter dotavit, ubi ſepultus an. 1021.

32 *Pellegrinus* Collegium ad Apoſtolos dictum fundavit; Conradum Cæſarem Aquiſgrani coronavit, ſepultus in ſuo templo anno 1036. Hoc tempore Evenfredus Comes Palatinus cum uxore Mathilde extruxit celebre collegium in Browyler, ubi communi ſepulchro in choro adhuc quieſcunt.

33 *Hermannus* II, Palatinus Rheni, dictus Nobilis, præfuit annis 19, ſepultus anno 1055 ad S. Petrum.

34 *S. Anno* II, Comes in Sonnenberg, Henricum IV, Imp. unxit, fundavit quinque Collegia, 1 Coloniæ ad gradus Mariæ, 2 S. Georgii ibidem. 3 Sigebergenſe in arduo colle, ad Sigæ ripam. 4 Graveſchop in Weſtphalia. 5 Salvelt in Thuringia, ſepultus Sigebergæ 1075.

35 *Hildolphus* Canonicus Goſarienſis, Henrici IV, Imp. ſacellanus, obiit 1079.

36 *Sigewinus* Decanus Colonienſis, ſepultus ad S. Petrum anno 1089.

37 *Hermannus* III, Dives dictus, Comes de Northeim, Sigebergæ in domo Capitulari ſepultus, anno 1099.

38 *Fridericus* I, Marchio Italiæ, Andernacum munivit, Nonnenwert fundavit, uti & Collegium Campi veteris, anno 1122; Arcem Rolantſeck extruxit, & templum S. Apollinaris prope Rynmagen. Hoc tempore Hugo Comes in Spanheim fundavit inſigne Collegium in Knechtſteden, anno 1130. Obiit vero Fridericus, & ſepultus Sigebergæ in domo Capitulari, 1131.

39 *Bruno* II, Comes de Altena, Præpoſitus S. Gereonis, obiit in Apulia, in caſtris Cæſarianis, poſtquam regnaſſet annis ſex.

40 *Hugo* Comes in Spanheim brevi poſt electionem mortuus.

41 *Arnoldus* I, Comes Geldriæ, depoſitus in Concilio Rhemenſi, præfuit annis novem.

42 *Arnoldus* II, Comes de Altena, Præpoſitus majoris Eccleſiæ, & Cancellarius Imp. Conradi, fundavit Collegium in Rhindorp, ubi ſepultus, præfuit ſex annis.

43 *Fridericus* II, Rugravius in Daſſel, an. 1159. Ticini obiit, Coloniæ ſepultus.

44 *Reinholdus* Rugravius in Daſſel, Præpoſitus Hildeſienſis, & Cancellarius Friderici Imp. reliquias trium Regum Coloniam Mediolano tranſtulit, anno 1164, ſepultus Coloniæ.

45 *Philippus* Præpoſitus, primus Dux Weſtphaliæ & Angariæ, Collegia multa extra urbem mœnibus incluſit. Abbatiam Heiſterbach fundavit. Præfuit annis triginta, obiit in Italia, tranſlatus Coloniam, & ſepultus ad S. Petrum.

46 *Bruno* III, Comes de Altena, Præpoſitus, biennio præfuit, ſepultus in Oldenberg.

47 *Adolphus* Præpoſitus, frater Brunonis, depoſitus anno 1205.

48 *Bruno* IV, Comes in Sein, Præpoſitus Bonnenſis, ſepultus ad S. Petrum, 1209.

49 Theo-

49 *Theodoricus* Comes de Monte, anno 1214 depositus; & sepultus in Oldenberg.

50 *S. Engelbertus* Comes de Monte Præpositus, præfuit annis decem; trucidatus ab adversariis, & sepultus in Sacello S. Catharinæ, anno 1225.

51 *Henricus* à Mollenarck Præpositus Bonnensis obiit anno 1237. Hoc tempore vixit S. Reinoldus ad S. Panthaleonem, qui martyrio affectus anno 1239.

52 *Conradus* Comes in Honstein Bonnam munivit, Aldenar & Nurburgum Ecclesiæ restituit, primus author magnificentissimæ & portentosæ fabricæ ædis majoris, quæ nunc extat. Obiit anno 1261, sepultus ad S. Petrum.

53 *Engelbertus* II, à Falckenburg Præpositus S. Gereonis, Bonnæ sepultus anno 1272.

54 *Siefridus* à Westerburg, Adolphum Imp. coronavit, castrum Bruel extruxit, Rhinberck & Zons munivit, præfuit annis 24 temporibus difficillimis, sepultus Bonnæ anno 1298.

55 *Wicholdus* ab Holte, unxit Albertum Imp. sepultus Susati, anno 1305.

56 *Henricus* II, Comes in Virnenburg Præpositus, unxit Fridericum Imp. castrum Hulchraed Ecclesiæ restituit, Oerdingen & Lintz munivit, Lechenich extruere cœpit. præfuit annis 26.

57 *Walramus* Comes Iuliæ, castrum, Lechenich perfecit, Carthusiam Coloniæ fundavit an. 1331. Carolum IV, Imp. coronavit magno suo malo. Obiit Parisiis 1349, sepultus Coloniæ.

58 *Wilhelmus* à Gennep, optime præfuit, multa redemit, obiit anno 1362.

59 *Ioannes* à Virnenburg Decanus, non diu præfuit, rejectus ab Vrbano V.

60 *Adolphus* II, Comes Marchiæ, vix anno præfuit, uxore ducta factus Cliviæ Comes, anno 1364.

61 *Engelbertus* III, Comes Marchiæ, Episcopus Leodiensis obiit Brülis anno 1368.

62 *Cono* à Falckenstein Elector Trevirensis utrumque Archiepiscopatum optime triennio gubernavit, sepultus Confluentiæ.

63 *Fridericus* III, Comes in Sarwerden coronavit Wenceslaum, Rupertum & Sigismundum Impp. Hoc tempore, scilicet anno 1388, cœpit Academia Coloniensis, cujus fundamenta antea jacta per Albertum Magnum, Thomam de Aquino, & Ioannem Scotum. Sepultus ad S. Petrum, 1414.

64 *Theodoricus* à Mörsa, Episcopus Paderbornensis extruxit Marienvorst Collegium Ordinis S. Brigidæ. Præfuit annis 48. Sepultus ad S. Petrum

65 *Rupertus* Bavariæ Dux, duris temporibus præfuit annis plurimis. Bonnæ sepultus ad S. Cassium anno 1480.

66 *Hermannus* IV, Landgravius Hassiæ, Episcopus Paderbornensis, Monasterium S. Francisci Bruelis extruxit, Maximilianum I Imp. coronavit, obiit 1508. Sepultus ad S. Petrum.

67 *Philippus* Comes in Eberstein, septennio præfuit, sepultus ad S. Petrum 1515.

68 *Hermannus* V, Comes in Wiedah, Episcopus Paderbornensis, elegit cum cæteris Electoribus Carolum V, & Ferdinandum I, Impp. resignavit anno 1547.

69 *Adolphus* III, Comes in Schaumburg, interfuit Concilio Tridentino, sepultus ad S. Petrum 1556.

70 *Antonius* Adolphi frater biennio præfuit. sepultus juxta fratrem 1558.

71 *Ioannes Gebhardus* Comes in Mansvelt, obiit 1562, sepultus juxta majores.

72 *Fridericus* IV, Comes in Wieda, coronavit Maximilianum II, Imp. resignavit 1568.

73 *Salentinus* Comes in Isenburg, Administrator Paderbornensis, multa redemit & instauravit. Resignavit familiæ causa uxore ducta anno 1577.

74 *Gebhardus* Baro in Walburg, Princeps primo magnæ spei, post mutata religione depositus non sine bello anno 1583.

75 *Ernestus* Dux utriusque Bavariæ, Antistes Leodiensis, Monasteriensis, Frisingensis & Hildesiensis, religionem & pacem restituit; temporum suorum felicitas. Sepultus ad S. Petrum an 1612.

76 *Ferdinandus* Dux utriusque Bavariæ, Episcopus Paderbornensis, Leodiensis, & Monasteriensis, Administrator Hildesiensis, inauguratus statim post obitum patrui: Obiit anno 1650.

77 *Maximilianus Henricus* Ferdinandi ex fratre nepos, ei primum adjutor datus est, dein quoque in Electoratu & Archiepiscopatu successit, quos adhuc summa cum vigilantia & animi integritate administrat.

TERRITORIVM COLONIENSE.


Qui hic olim populi.




Bii Cæsaris ævo trans Rhenum siti in ripa Germanica, civitatem habuere amplam & florentem, ut tunc erat captus Romanorum. Eos cum Suevi (Cattos fuisse opinor) multis sæpe bellis experti, finibus expellere non possent, tamen vectigales sibi fecerunt. Quod cum invitis ipsis fieret, miserunt ad Cæsarem Legatos, & cum eo amicitiam fecerunt, obsidesque dederunt, auxilia adversus potentiorem hostem postulantes. Ac tunc quidem repressi sunt à Cæsare. Postea tamen videntur iterum petiti à Suevis. Vt ergo tutius viverent in posterum, traduxit eos Agrippa gener Augusti, haud invitos, ut ait Strabo, deditque locum, ubi nunc *Vpen* vel *Vben* spectatur. Eodem quoque Agrippina Germanici filia, Agrippæ neptis, Claudii uxor, quod ibi genita esset, Coloniam deduxit sub Tiberio. Tradidit hæc Tacitus: *Agrippina*, inquit, *quo vim suam sociis quoque nationibus ostentaret*, *in oppidum Vbiorum*, *in quo genita*

Quis autor Coloniæ.




DESCRIPTIO AGRI
CIVITATIS COLONIENSIS,
Cum suis limitibus, terminis, viis, confiniis, interjacen=
tibus et adjacentibus Pagis, Villis, Castris, etc.



CÖLN
Deutz
Mullheim
RHENUS FLUVIUS
RHENUS FLU
PARS
DUCATUS BERGENSIS.
Iter unius horæ.

genita erat, veteranos Coloniamque deduci imperat, cui nomen inditum ex vocabulo ipsius. Ac forte acciderat, ut eam gentem Rheno transgressam avus Agrippa in fidem reciperet. Ex eo igitur Vbii, quasi pudori ipsis esset Germanos vocari, non se Vbios, sed Agrippinenses dici voluerunt. Tacitus iterum: *Vbii quidem, quanquam Romana Colonia dici meruerint, ac libentius Agrippinenses conditoris sui nomine vocentur, origine erubescunt, transgressi olim, & experimento fidei super ipsam Rheni ripam collocati, ut arcerent, non arcerentur.* Hinc nomina Coloniæ Agrippinensis, Coloniæ Vbiorum, Coloniæ Agrippinensium, & Coloniæ Agrippinæ Vbiorum, ac simpliciter Coloniæ, orta sunt. Crevit urbs felici condita auspicio, usque adeo, ut eam Zozimus maximam, Marcellinus urbem magni nominis, urbemque munitissimam vocaverint: constetque eam caput fuisse & metropolim Germaniæ secundæ, sedemque Ducis, adeo ut pugionem, quo se Otto occiderat, Vitellius non aliò, quam huc miserit, teste Suetonio: & in eadem urbe Trajanus imperii insignia acceperit, ad se missa à Nerva. Invisa fuit Transrhenanis, defectione, atque opulentia, & auctu rerum, usque adeo, ut sub Civili Tencteri postularint, ut muros suos, munimenta, ut dicebant, servitii, detraherent, Romanos omnes in suis finibus trucidarent, bonaque interfectorum in medium proferrent. Sed declinavit callide tempestatem illam constans in fide Romanorum Colonia. Donec anno 462 attritis ipsorum viribus ac debilitatis, Franci eam Childerico ductore vi occuparunt, & ad Ottonis usque I tempora moderati sunt. Hic enim eam Francis ereptam Romano imperio reddidit anno 949, fecitque liberam. Initio quadrata fuit, exstantque adhuc murorum, turrium, & fossarum priorum reliquiæ. Anno 1180 à Philippo Præsule amplificata est, redactaque in arcuatam formam, multis ædificiis suburbanis sacris pariter ac profanis intra pomœria inclusis. Paulo ante tempora Frederici II, sub annum 1201, socia facta est Hansæ Teutonicæ. Nunc 83 turribus munitur, duplicique fossa & muro, quem intus forisque arbores vestiunt, jucundo ob virorem, proceritatem, umbramque spectaculo. Multa habet cum Roma communia. In Magistratibus Consules, Proconsules, Prætores, Censores, Tribunos vigilum, Quæstores, Ædiles, Præfectos annonæ, aliosque. In structuris sacris templa permulta. In civilibus, curiam, forum, porticus. Creditur omnino & loci amœnitate, & populi frequentia, & dignitate Magistratus, & amplitudine opum, & magnificentia ædium sacrarum, & privatorum, publicorumque operum splendore atque elegantia, denique sapientiæ ac virtutis, bonarumque literarum gloria, vera Germaniæ Roma vocari posse. Iam olim juris fuisse Italici apparet ex Vlpiano D. de Censibus. Ambitus est stadiorum 48: Portæ numerantur 34: Basilicæ multæ: Templa plebanica 9: Collegiata 10: Cœnobia virorum 15; Virginum 22: Monialium & Vetularum 59: Sacella 30: Xenodochia 11: Nosocomia totidem, Gerontotrophia 8: Eminet præ omnibus Templum B. Petri Cathedrale, vastum & immane, cui si artificum opera extremam manum adhibuisset, nullum ei par esset in tota Germania, possetque merito stupendis Europæ miraculis accenseri. Nunc pendentia opera venerationem loco addunt, structuræ famam minuunt. In eo multa conspiciuntur Principum, Episcoporum, Ducum, ex cupro & lapide alabastritide, monumenta. Memorandum quoque est templum Machabæorum, & aliud undecim millium Virginum. Curia celsam habet & rari operis turrim, ex quadrato saxo, quæ artificiosis statuarum signis undique exornatur. Ex adverso sacellum est, ubi olim Iudæorum synagoga fuit, nunc vocant Ierosolymam. Estque in eo tabula eximii ac plane Apellei operis. Forum vicinum ternis per septimanam nundinis frequentatur. Illud undique cingunt superba civium ædificia. Rhenus amnis civitatem præterlabens non ad mercaturam tantum fructuosum, ad spectaculum jucundum, sed etiam ad vitam & valetudinem salutarem usum præstat. Ex adverso in ripa Germaniæ fuit olim Divitense munimentum, *Duits*, vocant, & *Teutsch*, exstructum cum ponte à Constantino Maximo, Constantii filio, pro militibus illic ad tutelam Galliarum collocandis, à quo milites Divitenses in Notitia Imperii, juncti Tungrianis. Id cum ponte destructum est à Brunone Episcopo, lapidibus in Abbatiam insumptis, cui anno 1124 præfuit Robertus Abbas, vir scriptis notus.

Vrbis descriptio. — *Duits.*

Coloniensis Schola inter antiquissimas Germaniæ fuit; nec enim carere potuit literarum cultura, locus primum castris Romanorum, postea Ecclesiæ Christianorum primariæ dicatus. Post Caroli Magni tempora magis etiam Episcoporum opera enituit Schola. Donec tandem anno 1388 publice inaugurata est, ornataque privilegiis Lutetianæ similibus ab Vrbano VI.

Academia.

ARCHIEPISCOPATVS TREVIRENSIS.

Civitatis Trevirensis elogia.



TREVIRIS metropolis Galliæ Belgicæ, ipsa antiquitate veneranda, olim Trevirorum sedes, hodie Archiepiscopatum nomine suo decorat. Hanc urbem dignitate & eminentia cæteras jam olim supergressam fuisse testantur eximia nomina, quibus ab antiquissimis Scriptoribus insignitur. Primum enim Augusta appellata fuit: Mela lib. 3, cap. 2, *Belgarum*, inquit, *clarissimi sunt Treviri, urbesque opulentissimæ in Treviris, Augusta; in Heduis Augustodunum.* & Ptolemæus, cum Rhemis Treviros subjecisset, urbem quoque illorum Augustam Trevirorum, ἀυγούσταν τρηβιρῶν, dictam fuisse asserit. Ipsius quoque Vespasiani nummus hac inscriptione coruscat, COL. AVG. TREVIR. Plinius eam liberam cognominatam dicit, Tacitus lib. 4 Histor. Coloniam, Salvianus excellentissimam vocat, Zosimus vero Transalpinarum urbium maximam, & Marcellinus, clarum domicilium Principum. Vocavit hanc vulgus, tempore Constantii, ut perhibet Berengosius, Romam secundam, vel alteram Romam, Salvianus opulentissimam, dum inquit, *Expugnata est quater urbs Gallorum Treveris opulentissima.* Sed horum omnium appellationes confirmat elegantissimis versibus Ausonius, primo in celebratione Mosellæ, quæ urbem hanc præterlabitur, his verbis:

Salve amnis laudate agris, laudate colonis,
Dignata Imperio debent cui mœnia Belgæ:
Amnis odorifero juga vitea consite Baccho,
Consite gramineas amnis viridissime ripas.
Naviger, ut pelagus, devexas pronus in undas,
Vt fluvius, vitreoque lacus imitate profundo
Et rivos trepido potis æquiparare meatu,
Et liquido gelidos fontes præcedere potu.
Omnia solus habes, quæ fons, quæ rivus & amnis,
Et lacus, & bivio refluus munimine pontus.

Deinde urbem ipsam alloquendo hoc modo:

Armipotens dudum celebrari Gallia gestit,
Trevericæque urbis solium, quæ proxima Rheno
Pacis ut in medio gremio secura quiescit,
Imperii vires quod alit, quod vestit, & armat.
Læta per extentum procurrunt mœnia collem,
Largus tranquillo prælabitur amne Mosella,
Longinqua omnigenæ vectans commercia linguæ.

Omnino vero fabulam olent, quæ de Trebeta Semiramidis privigno referunt, his versibus:

Nini Semiramis, quæ tanto conjuge felix
Plurima possedit, sed plura prioribus addit
Non contenta suis, nec totis finibus orbis,
Expulit è patrio privignum Trebeta regno,
Insignem profugus nostram qui condidit urbem.


Germania.

Vrbs Treviris. Vrbs Treviris, Roma antiquior est mille trecentis annis, & nativitate Christi bis mille, ut refert Æneas Sylvius. Frequens apud Tacitum hujus urbis mentio; præsertim in Historiarum libris posterioribus. Subsequente ævo sedes fuit Imperatorum, tanquam specula in propinquos Germanos; degebatque ibi præpositus thesaurorum, cum procuratore Cynegii, & præposito Branbaricariorum. Erant & ibi officinæ scutis, balistis, aliisque armis fabricandis præstantes. Spectantur hic etiamnum ruinæ Palatii à Constantino Imperatore exstructi, multaque antiquorum monumentorum fragmenta & reliquiæ terra effossæ, aut locis abditis depromptæ, clara antiquitatis loci argumenta. Vixit in hac urbe Athanasius exul. Hieronymus se hic Hilarii commentarios descripsisse testatur. Priscillus hæresiarcha jussu Maximi Imperatoris hic interfectus est. Valentinianus itidem à fratre Gratiano dictus fuit Augustus, & hibernavit. Quicquid fere præstans Romæ, etiam in hac urbe cernebatur, palatium, arces, theatra, campus Martius, Capitolium, Circus. Tandem à Gothis fuit destructa & eversa, quod Salvianus impietati civium adscribit.

Coblents. *Confluentes*, vulgo *Coblents*, est civitas diœcesios Trevirensis qua se Mosella Rheno miscet, quæ ob frequentiam civium, ædificiorum pulchritudinem, amœnissimum prospectum, agrorum & vinetorum fertilitatem, non inter postremas Germaniæ civitates est numeranda: ædes civium venustissimo ordine, usque ad pontem lapideum super Mosellam stratum, positæ sunt. E regione aspicit arcem Erenbretsteiniam Archiepiscopi Trevirensis, in altissimo monte sitam, non solum civitatis, sed totius pene regionis propugnaculum. Cæterum hic locus videtur à Natura ad voluptatem electus, ad quam montes & valles, & ex illis prosilientes amœnissimi susurri rivuli, & amnes, non parum conferunt; prata gramine, colles vite, agri varii generis virescunt semine: pisces, feras, aliasque res ad usum hominum non solummodo alit, verum etiam ad delitias propemodum conservat.

Fines olim. Trevirorum fines olim longe lateque se extendisse, & præter hunc ambitum, quem hodiernus hìc descriptus Archiepiscopatus complectitur, plures civitates & regiones continuisse, & præter alia, magnam etiam Moguntini Archiepiscopatus partem, vel ex eo liquido apparet, quod vicinos sibi habuisse dicuntur Vbios, Mediomatrices, & Nemetos. *Hodie.* Hodie Archiepiscopatus hujus termini sunt, à Septentrione Comitatus Nassoviæ, Montensis Ducatus, & Episcopatus Coloniensis: ad Orientem habet Rhingoviam & Hassiæ Landgraviatum: Meridiem versus respicit Austrasiam & Ducatum Bipontensem: ad Occidentem terminatur Ducatu Lutzen-

Vuuuu bur-


ARCHIEPISCOPATVS
TREVIRENSIS
Joh. et Cornelius Blaeu exc.
Milliaria Germanica communia
Milliaria Gallica communia
Septentrio
Meridies
Occidens
Oriens

72

Cœli temperies. burgensi. Aër regionis est turbidus ob continuas quibus infestatur tempestates, adeo, ut vulgo cloaca Planetarum vocetur: harum causas putamus esse præaltos montes & valles, quibus nubes remorantur: hinc regio hæc tota scabra, inculta, silvis plurimis obsita, & aliquibus in locis nil nisi avenam producit. qua vero parte Mosella & Rheno alluitur, frugibus fœcunda, & ubere solo est. Producunt vero & nutriunt illi ipsi crebri montes & silvæ multa ferarum genera, unde magna voluptas & utilitas venantibus: datur etiam hic magna volatilium, in vallibus victus gratia confidentium, copia. *Metalla.* Metalla varii generis ex prædictis montibus effodiuntur, ut merito communis metallorum officina vocari possit, præsertim argenti, cupri, ferri, & plumbi. Ostenditur etiam prope urbem Majensem massa argenti puri solo eruta, quod satis arguit, terras circumjacentes venas argentiferas occultare; nulla tamen rusticis illas scrutandi cura. Trevirenses quondam sic armis valuerunt, ut sub duce Ambiorige, post totum exercitum internecione deletum, Cottam & Sabinum Cæsaris legatos Leodii strangularint: sed Labienus illos postea iterum repressit. Cæsar testatur, hos propter Germaniæ vicinitatem quotidianis exercitatos bellis, cultu & feritate non multum à Germanis absimiles fuisse, neque unquam imperata nisi exercitu coactos fecisse, tanta cupidine libertatis arserunt. *Incolarum indoles.* Incolæ valde laboriosi sunt & industrii, siquidem tales regio exigit. est illis ingenium come, hilarum, serenum, quod attestatur Ausonius hoc elogio:

Quin etiam mores, & lætum fronte serena
Ingenium Natura suis concessit alumnis.

Silva. Omnigenas, ut supra diximus, habet silvas, Arduennæ portiones, variis nominibus distinctas, *Westerwald, Eiderwald, EbersWald*, &c. omnes feris repletas. *Lacus.* Lacus non nisi duos habet, immensæ profunditatis, Vlmensem & Laicherensem, in quo virides & crocei coloris lapides inveniuntur, Smaragdis & Hyacinthis non absimiles. *Fluvii. Mosella.* Multis fluviis irrigatur, qui omnes Mosella mixti in Rhenum influunt, unde incolis piscium abundantia. Mosella ex monte Vogeso scaturit, non procul à fontibus Sonæ, juxta pagum Bussan, cursum auspicatur ad Ortum æstivum, civitatesque *Lestraie*, *Bemiremont*, *Espinal*, *Charmes* & *Baton* permeat, rectoque meatu episcopalem urbem Thul petit, hinc Metensem & Trevirensem civitatem præteriens prope Confluentem in Rhenum se præcipitat. An hic Obrincus veterum sit, varie à variis disputatur, siquidem Ptolemæus eum supra Moguntiam ponit. Aliqui opinantur hanc esse Navam, quæ juxta Bingium Rheno miscetur: alii Rheno præterito dicunt Mœnum esse Veterum Obrincum. Attamen omni dubio remoto, hic fluvius est incolarum Mosella, non obstante Ptolemæi opinione, qui aliorum secutus relationem facile errare potuit: Nava si esset; sequeretur, Ptolemæum Mosellæ omnino oblitum esse, & omisso magno parvum fluvium descripsisse, quod absurdum. Adferuntur & aliæ rationes, quas hic præterimus.

Abbatiæ hujus Provinciæ sunt 4, Comitatus 5, Dominia 10, & præfecturas habet quamplurimas.

Eifelensis regio. *Eifelensis* regiuncula partim jurisdictionis est *Trevirensis*, partim vero *Lutzelburgensis*. *Richwinus* de hoc tractu sic ad Munsterum scribit: Hic tractus sui natura degener, montibus vallibusque horridus, frigidus & tempestatibus oppletus, fontibus & rivulis amœnus est. incolæ laboriosi sunt, bonoque ingenio præditi, si exerceantur, verum aratris & gregibus obnoxii. Hæc regiuncula multas albi coloris pecudes lacte abundantes producit; ditior quoque piscium est quam ferarum. Pro se satis frugum fert, nisi quod ubi nimium silvis inhorrescit, avenæ solum ferax est. In Bortrick, loco sesquimilliari à Mosella distante salubre & calidum balneum invenitur. Extant in Dominiis *Reila*, *Cronenberg*, & *Sleyda*, prope *Hellenthal*, officinæ optimi ferri. quin & hic fornaces conflantur, quæ magno numero in superiorem Germaniam exportantur. In finibus Manderscheid & *Gerarstein*, lactucæ, melones, & cucumeres autumno colliguntur, quæ copia & bonitate multis Italicis non cedunt.

Præter Trevirim, Vesalia & Bodobriga fuere imperiales civitates, & ab Imperatore Henrico Septimo, pro certa pecuniæ summa Archiepiscopo Trevirensi oppignorata. Fertur primus Episcopus Trevirensis fuisse Eucharius, patria Græcus, & unus ex 72 Christi discipulis. Ab hoc usque ad Ludolphum Saxonem numerantur Episcopi 73, qui Ludolphns Saxo primus fuit Elector Imperii; à quo usque ad Carolum Casparum inclusive 68 Electores, & 111 Episcopatui præfuisse dicuntur.

SERIES EPISCOPORVM TREVIRENSIVM.

1 EVcharius patria Græcus, creditur fuisse ex 72 Christi discipulis unus: At ego illum non offendo in Synopsi Dorothei: neque arbitror discipulos Christi alios quam Iudæos habuisse. Dicitur rexisse Ecclesiam annos 25. Conversa est hujus opera Albana, cujus domus abiit in Ecclesiam. In hujus domus crypta sepultus est Eucharius, & qui illum sequuti sunt usque ad Valentinum, dictaque est ex eo cella Eucharii: Post illatum vero illuc corpus Matthiæ Apostoli, cœpit vocari monasterium S. Matthiæ. Obiit Eucharius anno Christi 66: ejus natalis refertur in diem 8 Decembris.

2 *Valerius*, sedit annos 15, obiit an. Christi 93.

3 *Maternus*, qui Agrippinensem quoque & Tungrensem Ecclesias instituit; rexitque totos annos 40, defunctus est anno 133, Agrippinæ.

4 *Auspicius.*

5 *Celsus.*

6 *Felix* I, vixit circa annum 142.

7 *Mansuetus*, circa annum 160.

8 *Clemens*, anno 175.

9 *Moses*, sub Eleutherio Papa, anno 189.

10 *Martinus* I, martyr.

11 *Anastasius*, anno 226.

12 *Andreas.*

13 *Rusticus* I.

14 *Auctor.*

15 Fa-

15 *Fabricius.*

16 *Caßianus.*

17 *Marcus.*

18 *Mauritius.*

19 *Avitus* anno 265, sub Sixto I. Dicitur fuisse ultimi Tungrorum regis filius & Episcopus secundus Tungrorum.

20 *Marcellinus*, idem quoque Tungrorum Episcopus, sub Antonino Vero occisus 4 Septemb.

21 *Metropolus* sub M. Aurelio Antonino, sedit annos 19.

22 *Severinus*, idem quoque Episcopus Tungrensis sub Gordiano, sedit annos 14.

23 *Florentius* sub Gallo & Volusiano, idem quoque Tungrensis Episcopus.

24 *Mauritius* II, sedit annos 14. Hic Hasbanos convertisse dicitur, & Tungrorum quoque fuisse Episcopus.

25 *Maximinus* I, sub Probo Imper. sedit annos 12, fuitque idem quoque Episcopus Tungrorum octavus.

26 *Valentinus* sub Diocletiano, sedit annos 28. Hujus tempore ingens fuit persecutio. Post ejus vero obitum separata est Tungrensis Ecclesia à Trevirensi, obiit anno 316, sub Constantino Magno Imp. & Papa Sylvestro.

ARCHIEPISCOPI.

27 *Agritius Antiochenus* anno 330, missus à Silvestro, primus dicitur fuisse Archiepiscopus Trevirensis, Ecclesias multas instituisse, Palatium Helenæ convertisse in templum B. Petri, Athanasium exsulem recepisse, Maximini cœnobium fundasse, quo nullum est in universa Germania celebrius, defunctus est anno Christi 345.

28 *Maximinus* II, Aquitanus. Hic sub Iulio I, Papa Romano Coloniam evocavit Synodum contra Euphratem Episcop. Coloniensem Arianum, qui etiam damnatus est. Profectus est Romam cum S. Martino. Præfuit annos 15.

29 *Paulinus* à S. Martino consecratus, acerrimus fuit orthodoxæ veritatis adversus Arianos propugnator, cujus etiam caussa à Constantio Imperatore in exsilium missus est in Phrygiam, atque ibidem passus, anno 363.

30 *Bonosus*, præfuit Ecclesiæ suæ ab anno 363, defunctus anno 368.

31 *Bricto*, charus Damaso Papæ. Sub hoc condemnatus est Treviris Priscillianus hæreticus: interfuere actioni S. Martinus & S. Ambrosius: Maximus Imp. qui Gratiano successit, eum interfici jussit. Obiit Bricto anno 380.

32 *Felix* II. Hic Collegium B. Virginis condidit ad martyres, ubi olim Capitolium fuerat. Ædificavit quoque Basilicam Paulini, obiit 392.

33 *Mauritius* II, coævus Hieronymi & Augustini.

34 *Leguntius*, obiit an. 404, sepultus ad Martyres.

35 *Auctor* II, ex Episcopo Metensi factus Archiepiscopus Trevirensis. Hujus memoria est apud Brunsvicenses, ex quo Gertrudis socrus Luderi Ducis Saxoniæ reliquias ejus intulit cœnobio S. Ægidii.

36 *Severus* discipulus Lupi Episcopus Trevensis, defunctus anno 420, fuit in Britannia Germania. cum S. Germano Antisiodorensi Episc. & S. Lupo Trecasino. In hujus tempus incidit Hunnorum in Germaniam Galliamque irruptio.

37 *Cyrillus* electus anno 430, Cellam Eucharii, hoc est Basilicam S. Matthiæ eversam restauravit.

38 *Iammerus.*

39 *Emerus.*

40 *Marcus* II, Collegium S. Paulini vastatum restituit. Circa hæc tempora Lucius Senator Trevirensis Francorum Regem Hildericum invitavit, ut trajecto Rheno Romanos invaderet. Et successit utrique consilium feliciter. Concepit autem Lucius odium in Romanos ob vitiatam uxorem suam ab Avito Præside.

41 *Volusianus*, obiit anno 468.

42 *Miletus*, obiit anno 472.

43 *Modestus*, defunctus anno 486.

44 *Maximianus*, excessit anno 496, sedit an. 10.

45 *Fibicius* ex Abbate S. Maximini Archiepiscopus, obiit anno Christi 500.

46 *Aprunculus*, obiit an. 515. sepult. ad S. Paulinum.

47 *Rusticus* II, qui ob leviter actam in Episcopatu vitam, pœnitentiam egit in Cœnobio B. Virginis ad martyres, ac post 7 pœnitentiæ annos sub Clotario obiit.

48 *Aponoculus.*

49 *Nicetius* sub Theodorico, ejusque filiis, Theodorico & Clotario Francorum regibus: præfuit annos 17, mortuus est anno 551, valde laudatus à Gregorio Turonense.

50 *Maguericus*. Hic ex sacello sanctæ Crucis, quod Martinus opibus Gerontii Consulis instituerat, fecit cœnobium S. Martini.

51 *Gangericus* Lutzenburgicus Episcopus etiam Cameracensis fuit, sedit Treviri annos 33, obiit anno 594.

52 *Subandus.*

53 *Severinus*, defunctus Burdegalæ.

54 *Modoaldus Aquitanicus*, cujus soror Itta nupsit Pipino, fuitque mater S. Gertrudis, & Grimoaldi. Habuit & alteram sororem Severam, quam ad S. Symphorianum præfecit sacris Virginibus. Sub hoc quoque mutatum est horreum Dagoberti regis in Cœnobium Virginum, anno 645, cui prima præfuit Irmina Dagoberti filia, secunda Modesta Willebrordi soror: Willebrordus ipse Cœnobium Epternacense condidit.

55 *Numerianus*, obiit anno 715.

56 *Baßinus* frater Ducis Lotharingici sub Gregorio II Papa.

57 *Luitwinus*, Bassini ex sorore nepos, monasterium Mediolacense ad Sarram fluvium instituit ordinis Benedictini, obiit Rhemis in Concilio anno 721.

58 *Clodolphus*, Arnulpho Episcopo Metensi natus, contra Milonem Luitwini filium, qui sedem invasit sub Carolo Martello. Hic Rhemensem quoque Ecclesiam rexit.

59 *Hilulphus* ex Monacho factus Vicarius Milonis, post illius excessum Episcopus fuit; sed pertæsus molestiarum rediit ad Cœnobium, atque illic obiit anno 754.

60 *Eberhardus*, Episcopus Ratisbonensis.

61 *Weomadus* Abbas S. Maximini, electus anno 703, sedit annos 23, defunctus anno 805.

62 *Reichboldus*, electus anno 776, obiit anno 782.

63 *Watzo*, defunctus anno 805.

64 *Amalharius Fortunatus*, monachus Lexoviensis, vir Græce & Latine doctus, à Carolo Magno missus est Constantinopolim ad Imperatorem Græcorum Michaelem. Postea missus quoque est à Ludovico Imperatore ad Gregorium IV Pontificem: scripsit lib. 4. de Ecclesiast. officiis, sedit annos 16, mortuus est anno Gratiæ 822, sepultus ad S. Paulinum.

65 *Hetto*, Abbas Cœnobii Epternacensis à Willebrordo fundati, electus anno 822, sedit annos 31, obiit anno 838, situs est in æde Matthiæ.

66 *Thietgardus* monasterii Epternacensis Abbas sedit annos 38.

67 *Bartoldus* Abbas Mediolacensis, electus anno 867. In hujus tempora incidit Nortmannorum incursio in Galliam Belgicam. Sedit annos 17, mortuus est anno 884.

68 *Ralbodus*, ex Abbate Epternacensi factus Archiepiscopus, familiaris fuit Formoso Papæ, sedit annos 21.

69 *Rutgerus*, Henrico Imperatori adversus Nortmannos pugnanti adfuit anno 934, sedit annos 12, obiit anno 934.

70 *Rupertus Saxo*, Ecclesiam Maximini vastatam restauravit, sedit annos 28, obiit peste anno 955.

71 *Henricus*. Hic Ottonem I in Italiam duxit, interfuitque Synodo contra Ioannem XIII Papam celebratæ.

72 *Theodorus*, ex Præpos. Moguntino factus Archiepiscopus, obiit 970.

73 *Eckbertus*, frater Arnulphi Comitis Hollandiæ, & virginis Herlindæ, obiit anno 989.

ELECTORES.

74 *Ludolphus Saxo*, præfuit annis 10, primusque fuit Elector Imperii.

75 *Adelbero* anno 1003, invasit dignitatem, quum ab Imperatore Henrico IV esset designatus Megingandus Præpositus Moguntinus, qui obiit Confluentibus anno 12 sui muneris.

76 *Poppo*, electus anno 1025, filius fuit Ludolphi Austriaci, profectus est in Palæstinam: templum Simeoni exstruxit, sedit annos 41, menses 5, defunctus anno 1037.

77 *Eberhardus*, filius Comitis Palatini. Hujus rogatu venit ex Italia Treviros Leo IX. Sedit annos 20, defunctus est anno 1067, pridie Paschatis.

78 *Cono* vel *Conradus* an. 1066, interemptus est.

79 *Vdo Suevus*, defunctus anno 1077. Huic à quibusdam subjungitur Ado, qui controversiam inter Henricum IV, Imperatorem & Rudolphum studuit componere autoritate Gregorii Papæ.

80 *Egilbertus Bavarus*, electus anno 1079, sedit annos 22, obiit anno 1101.

81 *Bruno Francus*, sub Paschali II, defunctus est anno 1123.

82 *Godefridus*, caussatus Clericorum dissolutam vitam, resignavit.

83 *Meginherus*, misere & indigne confossus 1130

84 *Adelbertus*, electus anno 1132, familiaris fuit S. Bernhardo: Eugenium Pont. Max. ex Italia cum 18 Cardinalibus secum Treviros eduxit, obiit anno Christi 1152, Præsulatus sui 19.

85 *Hellinus Trevir*, electus anno 1152, arcem Erenbretsteyn exstruxit, sedit annos 18, obiit anno Christi 1170.

86 *Arnoldus*, electus promotusque à Friderico I, sedit annos 18, mortuus est anno 1188.

87 *Ioannes*, Imperatoris Henrici IV Cancellarius, competitoribus suis à Pontifice Ioanne prælatus, gubernavit Ecclesiam annis 23, obiit anno 1213.

88 *Theodoricus* IV, Comes de Weda, sedit annos 30, defunctus anno 1242. Hic ædificavit & munivit Kellenbergium, & Castellum in monte Thabor exstruxit.

89 *Arnoldus* II, Comes Isenburgius contra Rudolphum electus anno 1243, Pallium obtinuit ab Innocentio Papa. Hic Trevirensem urbem munivit: Muros patenti oppido Confluentiarum circumduxit. Basilicam Maximini reparavit. Palatiolum castrum firmavit: obiit anno Christi 1219, regiminis sui 21.

90 *Henricus* II, ab Vrbano IV factus Archiepiscopus, ornavit ditionem structuris, defunctus est Bonnæ anno 1286, quum præfuisset annos 26.

91 *Boëmundus de Wansberch* anno 1288, à Nicolao VI consecratus est. Noviomagum exstruxit, illatus est monasterio Heymerlort, anno 1299.

92 *Dietherus* Adolphi Nassovii, Romanorum regis, frater, obiit 1306.

93 *Balduinus*, Comes Lutzenburgius, Henrici VII, Imperatoris frater, magni animi & judicii vir, Diœcesin multis modis ornavit, Pontem Confluentium exstruxit. Sedit annos 46, vixit 68, defunctus est anno 1354.

94 *Boëmundus* II, Sarrapontanus: hic quum esset debilior, substituit sibi vivo Cononem, obiit anno 1362.

95 *Cono* de Falckenstein. Hic Bopardiam & Vesaliam superiorem Trevirensi ditioni acquisivit, obiit anno 1381, Confluentibus.

96 *Wernerus* à Koningstein Cononis nepos, sedit annos 30, sepultus est apud avunculum, anno 1418.

97 *Otto*, Comes à Zegenheym, sedit annos 2.

98 *Rabanus* ab Helmstadt Episcopus Spirensis, obiit anno 1432.

99 *Iacobus*, Baro à Sirck, obiit anno 1436.

100 *Ioannes*, Marchio Badensis, electus anno 1449, vixit usque ad annum Christi 1505, sedit annos 53, mortuus est in castro Erentbretsteyn.

101 *Iacobus* II, Marchio Badensis discipulus Philippi Beroaldi, sedit annos 8, defunctus est Coloniæ anno 1511.

102 *Richardus* Gryfenclaw, sub quo Maximilianus Imperator Treviri Comitia imperii celebravit anno 1512: Interfuit coronationi Ferdinandi anno 1531, sedit annos 20.

103 *Ioannes* à Metzenhausen, præfuit Ecclesiæ annos 9. In Conventu Imperii Haganoæ, cui præfuit Ferdinandus Rex, ex immani æstu in morbum incidit, delatusque in arcem Dachsteyn,

ſteyn, extinctus eſt 22 Iulii anno 1540, ætatis ſuæ 48.

104 *Ioannes Ludovicus* ab Hagen ſedit annos 7, vixit annos 53, obiit anno Chriſti 1547.

105 *Ioannes* IV Iſenburgicus, electus anno 1547, interfuit Concilio Trident. anno 1552: unde Alberti Marchion. Brandeburgenſis qui in tractu Rhenano ditiones Epiſcoporum infeſtabat, injuriis revocatus, haud diu ſuperfuit: extinctus eſt in caſtro Montaburenſi, quarto ab inauguratione anno: Situs eſt Confluentibus.

106 *Ioannes* V, anno 1556, ex Archidiacono in Archiepiſcopum electus, pacis & literarum ſtudia impenſe coluit. Interfuit electioni Maximiliani II, Scholam Treviris aperuit.

107 *Iacobus* III, ab Els Trevir, electus anno 1567. Hic à civitate quum diſſentiret, anno 1568 eam obſedit, ſed procerum vicinorum & Cameræ Imperialis interceſſione effectum eſt, ut poſitis armis pacis ſtudia ſectati ſint.

108 *Ioannes Schouwebergius*, electus anno 1581.

109 *Lotharius*, ex Illuſtri Meternichiorum familia oriundus, anno 1599 electus, ſedit annos 24 & 3 menſes, fato functus anno 1623, 7 Septembris. Huic ſucceſſit

110 *Philippus Chriſtophorus*, à Sötern, Epiſcopus & Camerarius Spirenſis, bello Germanico Galliæ Regis partes fovens, captus & Romano Imperatori deditus fuit, qui eum retinuit, uſque dum in priſtinam dignitatem anno 1645 reſtitueretur. Obiit anno 1652.

111 *Carolus Caſparus*, ex familia Leiana, prædeceſſoris antea Coadjutor, qui adhuc in vivis eſt.



MOGVN-

MOGVNTINVS
ARCHIEPISCOPATVS.



Mnem hanc regionem olim à Druso occupatam, castellisque innumeris ad Germanorum incursiones arcendas munitam fuisse, passim authores Latini Græcique indicant; quæ dein intercedente aliquo temporis intervallo in oppida urbesque mutata sunt. *Origo.* Inter hæc non minimum olim *Moguntiacum*, vel ut Tacitus & Ammianus scribunt, *Maguntiacum*, vel, ut Eutropio & aliis placet, *Maguntia*, Gallis *Mayence*, incolis *Ments*, in ripa Rheni conditum est; non tamen adeo propinquum flumini, ac hodie videtur, sed remotius, quo nunc loco leprosorum est nosodochium, sicut ipsæ ruinæ attestantur. Memoria facti conservari creditur in mole quæ extra urbem instar glandis spectatur in colle, quem à forma vocant *Aichelstein*. Authorem hujus rei habemus Frisingensem l. 3. c. 4. *Hic Drusus*, inquit, *Moguntiam in Gallia, & Augustam in Rhætia fundasse vel instaurasse dicitur. Monstratur adhuc monumentum ejus Moguntiæ in modum pyræ.* Sub Valentiniano, Gratiano & Valente cepit spoliavitque Moguntiacum Rando Alemannus ipso Christianorum die festo. Marcellinus eam rem sic prodidit: *Sub idem fere tempus Valentiniano ad expeditionem caute ut rebatur profecto, Allemannus Regulus, Rando nomine, diu præstruens quod cogitabat, Maguntiacum præsidiis vacuum cum expeditis ad latrocinandum latenter irrepsit. Et quoniam casu Christiani ritus invenit celebrari solennitatem, non impedite hujuscemodi fortunâ & virilem & muliebrem sexum cum supellectile non parva indefensum abduxit.* Hæc Ammianus. Post Hunnorum cladem, à Francis, imprimis autem à Dagoberto I, *Situs.* urbs restaurata & propius Rhenum translata est, ubi etiamnum conspicitur, in longum porrecta, latitudinem negante hinc Rheno, inde montibus vitiferis. Templis decorata est quamplurimis, inter quæ templum Archiepiscopale S. Martini eminet. In hoc multæ Archiepiscoporum & Canonicorum sepulturæ, multæ SS. reliquiæ, eximius ornatus, & quæ alia ad templorum decus spectant, inveniuntur. Numerantur præterea decem virorum & octo virginum Cœnobia, quorum quatuor diruta suos tamen reditus subministrant: sexdecim sacella, quinque Ptochotrophia, ut & eximium Iesuitarum collegium. Inter Ædificia profana arx conspicitur optime munita *S. Martini burgum* dicta, Cancellaria, & Curia: privatorum ædes amplæ quidem, sed veteri Francorum modo exstructæ, urbem potius obumbrare quam illustrare videntur; accedit quoque angustia platearum; ita ut interne non adeo speciosa sit. Nulla tamen in Germania est, quæ plura & certiora suæ vetustatis monumenta habeat. Inter prima urbis decora refertur à multis inventum Artis Typographicæ, quam laudem tamen Harlemensibus plenissime Petrus Scriverius asseruit. Multis nobilitata cladibus, & frequentibus olim excidiis vastata major semper resurrexit. Nunc iterum aspirante benignæ pacis aura Germaniam ita se erigit, *Quantum vere novo viridis se subjicit alnus.* Præcipue vero anno 872 terræ motu collapsa, inde anno 893 ab Imperatore Arnulpho obsessa & expugnata est. Anno 1081 & 1137 incendio fere totam exhaustam, anno 1163 ab Imperatore Friderico Barbarossa dirutam legimus. Anno 1462 ab Adolpho II, Comite Nassavio noctu capta, ex Imperiali, qualis ante semper fuerat, in Ducatum urbem commutata, & quingentis civibus orbata est. Anno 1631 Gustavus Adolphus deditione illam in suam potestatem redegit, erecto ad confluentem Rheni & Mœni castello *Gustaviburgo*, quod tandem cum urbe Electori à Cæsarianis restitutum est.

Oppida. Reliqua hujus Episcopatus oppida sunt: *Bingium*, Tacito, Ammiano & Ausonio modò cognitum, ad Confluentem Nahæ & Rheni amœnissimo loco situm, vinetis undique cinctum. E regione jacet famosa illa murium turris **der Mäußthurn** / medio in Rheno petræ superædificata. *Duderstadium*, olim Hanseatico fœderi annexum ad Wippram fluvium jacet: *Elfeld* in Ringovia ad Rhenum modicum oppidum egregio templo decorum, cui eximiæ altitudinis turris imminet; non longe jacent Cœnobia *Erbach* & *Schwabenheim*, ab Adalberto I, Episcopo Moguntino fundata, in quibus multorum Comitum & Principum monumenta visuntur, ut & Cœnobium *Lorich*, quod Ruthardus Episcopus Moguntinus in honorem S. Iohannis exstruxit. *Frizlaria* in Hassia situm oppidum multis belli malis nobilitatum: *Hagiopolis*, *Heyligenstatt* prope Duderstadium. Dagoberto Francorum Regi originem suam acceptam refert, qui hic, miraculo à lepra curatus, oppidum condidit, effossis duobus martyrum corporibus illæsis adhuc & quasi recentibus. *Höchst* prope Francofurtum ad Mœnum situm, egregium castellum habuit, quod ultimis hisce bellis incendio deletum rudera tantum ostentat. *Königstein*, *Lohnstein*, *Salgenstatt* & *Oberursel*, modica oppida huic quoque Episcopatui adhærent.

Qualitas. Aëre fruitur tota regio clementissimo, unde vini præstantissimi copia; agrorum fertilitas eximia; omnia quoque, quæ vel ad necessarium hominis sustentamentum, vel ad eorundem delicias requiruntur, abundantissime regio suppeditat. Montium sylvarumque frequentia ferarum aviumque capturæ accommoda est. Fluviorum

varietas

varietas piſcium innumeram multitudinem porrigit; inter illos præcipui *Rhenus*, *Mœnus*, *Naha*, *Nida*, & *Wippra*.

Fluvii.

SERIES
Epiſcoporum Moguntinorum.

PRimus Chriſtianam Religionem Moguntiæ intuliſſe creditur *Creſcens* B. Pauli diſcipulus, à quo Epiſcopi deinceps numerantur.

2 *Bodardus* ſive *Budibardus*.

3 *Sophronius*.

4 *S. Maximus*, ſcripſit adverſus Arianos anno Chriſti 345.

5 *Sidonius*.

6 *Marinus* interfuit Synodo Colonienſi, in qua Euphrates Epiſcopus Photinianus, quem Gothi victores evexerant, dejicitur, anno 396; obiit anno 403.

7 *Sigiſmundus*.

8 *Lindegaſius*.

9 *Auræus* ab Hunnis trucidatus, anno Chriſti 454, quo Moguntia ab Attila funditus everſa & ſolo æquata eſt. Eo tempore Ariani & Photiniani Germaniam Inferiorem ſua opinione infecerant.

10 *Rudelinus*.

11 *Landovoldus*.

12 *Haboaldus*.

13 *Sigebertus* vixit anno 498, ſub Rege Clodoveo. Hoc tempore cœpit exſtrui vetus monaſterium Virginum, liberalitate Wilvildis Francorum Duciſſæ, quæ neptis erat Sigeberti ex ſorore Mechtilde, Gubernatrice provinciarum Rhenenſium.

14 *Ruthardus*, ſub Iuſtiniano Imperatore anno Chriſti 525. Circa hoc tempus cœpit Dagobertus Galliarum Rex, Moguntiacum reſtaurare, ſedibus ad 200 paſſus Rheno propius admotis.

15 *Geroldus*, ſub Pipino & Carolomanno Galliæ regibus, à quibus etiam factus eſt Archiepiſcopus Wormatienſis. Hic pro Pipino bella geſſit contra Saxones Thuringiam vaſtantes, ſed infeliciter; cæſus eſt enim à Rege Saxoniæ.

16 *Gervilio* Geroldi filius, ſucceſſit patri in utroque Epiſcopatu. Hic regem Saxonum, à quo pater cæſus fuerat, ſua manu interemit. Ea de cauſſa ipſe utroque Epiſcopatu ejectus, in monaſterium detruſus eſt.

ARCHIEPISCOPI.

17 *S. Bonifacius* Anglus, primus Archiepiſcopus, dictus antea Vunefridus, tres Epiſcopatus in Germania inſtituit, Herbipolenſem, Ayſtetenſem & Friſingenſem: Abbatiam quoque Fuldenſem: ſedit annos 35, occiſus eſt in Friſia à paganis anno 755, ſitus eſt Fuldæ.

18 *Lullus* ſub Pipino ſedit annos 31, interfuitque bellis à Carolo Magno in Saxonia geſtis: obiit anno 787.

19 *Richolphus* Caroli Magni Conſiliarius, electus anno 787, ſub hoc deflagravit pons Moguntinus anno 812. Ipſe etiam Cœnobium S. Albani fundavit. Sedit annos 26, defunctus anno 813.

20 *Haiſtulphus* electus à Carolo Magno præfuit annos 12, obiit anno 825. Situs ad S. Albanum.

21 *Odogarius* electus à Ludovico Pio: Hic Danorum Regem Harioldum baptizavit cum conjuge anno Chriſti 826, obiit anno 847.

22 *Rhabanus Maurus*, Bedæ Angli diſcipulus, vir eruditus, cujus multa exſtant ſcripta: ex Profeſſore Pariſienſi factus eſt Abbas Fuldenſis, ex Abbate Archiepiſcopus, anno 847: ſub hoc in Synodo Moguntiaci condemnatus eſt Godeſchalcus hæreticus.

23 *Carolus* Dux Aquitaniæ, filius Regis Francorum Pipini, ſedit annos 7, obiit anno 863.

24 *Ludibertus*, hic exſtruxit Eccleſiam Collegiatam S. Mauritii; obiit anno 889, ſepultus eſt ad S. Albanum.

25 *Suntheroldus* promotus ab Arnulpho Imperatore, ſedit annum unum, occubuit in expeditione contra Nortmannos ad Rhenum anno 891.

26 *Hatto* Francorum Dux, conſtitutus Archiepiſcopus ab Arnulpho anno 891, cujus filium Ludovicum in Baptiſmo ſuſceperat: ſedit annos 21, obiit anno 913.

27 *Herigerus* præfuit annos 12, reſignavit ſedem in Rupertum anno 924.

28 *Rupertus* ſedit annos 4, menſes 6.

29 *Hildebertus*, Franciæ Orientalis Dux, Abbas Fuldenſis, electus anno 928, præfuit annos 9. Coronavit Aquiſgrani Ottonem I Henrici Aucupis Imp. filium; obiit anno 938.

30 *Fridericus* Dux Lotharingiæ, ſedit annos 16. Fundavit Præpoſituram S. Petri: obiit anno 954.

31 *Guilielmus* Dux Saxoniæ, Ottonis Imperat. ex Editha Angliæ regina filius, electus anno 954, præfuit annos 14. Deduxit Ottonem II, fratrem ſuum Romam: defunctus eſt anno 968.

32 *Hatto* Abbas Fuldenſis, conſtitutus Archiepiſcopus ab Ottone Imperatore. Fertur à muribus devoratus in Rheno anno Chriſti 969.

33 *Rupertus* præfuit annos 6.

34 *Willigiſus*, Ottonis II conſiliarius & ſacellanus: hic in conclavi habuit ſemper ante oculos depictam rotam cum inſcriptione, *Willigiſe, memento quid fueris, quid ſis, quid futurus ſis.* Natus eſt enim patre fabro rotario. Hoc inſigne poſtea ceſſit Archiepiſcopis omnibus Moguntinis, datum ipſis ab Henrico II Claudo, Imperatore. Idem Willigiſus primus fuit è Moguntinis Imperii Elector. Poſt obitum Ottonis II, docuit & educavit Ottonem III, eumque elegit: quo defuncto elegit quoque Henricum Claudum: præfuit annos 36. Exſtruxit Baſilicam S. Stephani; mortuus eſt anno 1011.

35 *Erbo* Bavarus, Comes ab Hohenwart.

36 *Herimboldus* ex Abbate Fuldenſi, Fundator Eccleſiæ S. Crucis: obiit anno 1020, ſepultus ad S. Ioannem.

37 *Aribo* Palatinus Rheni, præfuit annos 11. Elegit Conradum Saliquum; exceſſit ex hac vita anno 1031.

38 *Bardo* Abbas Fuldenſis & Hirſchfeldenſis, ſedit

ſedit annos 20. Elegit Henricum III, ejusque uxorem Agnetem Comitiſſam Pictavienſem unxit. Sub hoc celebrata eſt Moguntiæ Synodus ob pacandam Galliam, cui interfuit Leo IX Papa, cum 42 Epiſcopis Germaniæ; obiit anno 1051. Situs eſt in Cathedrali Eccleſia S. Martini.

39 *Luitboldus* ſedit annos 9, defunctus eſt anno 1060.

40 *Sigifridus* Baro ab Eppenſteyn, Abbas Fuldenſis, electus anno 1061. Profectus eſt in Palæſtinam anno 1063. Vnxit quem elegerat Rudolphum Sueviæ Ducem, contra Henricum IV ab aliis electum. Obiit exſul in Haſſia anno 1084, quum præfuiſſet annos 24.

41 *Weſilo* præfuit annos 4, obiit anno 1089.

42 *Ruthardus* ſub Henrico IV, & Henrico V.

43 *Adelbertus* Lotharingiæ Dux, Henrici V Cancellarius, ab Imperatore promotus ad Archiepiſcopatum, præfuit ei annos 28. Elegit Lotharium Saxonem. Sub hoc arſit Eccleſia Cathedralis cum magna urbis parte; obiit anno 1134.

44 *Adelbertus* II, Comes Sarræpontanus, promotus à Conrado III, Imp. præfuit annos 4.

45 *Marcolfus* præfuit annos 2; obiit anno 1142.

46 *Henricus Fœlix*, electus anno 1142, ſedit annos 10.

47 *Arnoldus* Friderici Barbaroſſæ Cancellarius, promotus ab Imperatore anno 1153. Hunc cives anno 1168 trucidarunt in Cœnobio S. Iacobi, & veſtibus exutum in ſterquilinium abjecerunt. Fridericus, ejus facti indignitate motus, muros urbis evertit, Cœnobium S. Iacobi diruit, cives omnibus privilegiis ſpoliavit, ſumpto ſupplicio de facinoroſis. Sic manſit Moguntia totos annos 36.

48 *Conradus*, Comes de Wittelſpach, frater Ottonis Palatini, qui Philippum Imperatorem Bambergæ interfecit, promotus à Friderico Barbaroſſa; quum nollet Octavianum Cardinalem agnoſcere pro ſummo Pontifice, ab Imperatore iterum deturbatus eſt, ſuffecto in ejus locum Chriſtiano Comite à Buche; quo defuncto, Conradus ex Italia reverſus eſt, ſeditque adhuc annos 17.

49 *Chriſtianus*, Comes à Buche, ſedit annos 13, obiit anno 1183.

50 *Sigefridus* II, Baro ab Eppenſteyn, varia ſorte vixit, obiit Erfurdiæ anno 1230.

51 *Sigefridus* III, electus anno 1230: obiit Bingæ anno 1248.

52 *Chriſtianus* II, præfuit annos 2, reſignavit anno 1251.

53 *Gerardus*, Comes à Falkenſtein, præfuit annos 9.

54 *Wernerus*, Comes à Falkenſteyn, præfuit annos 24, obiit anno 1284. Sub hoc pulſi Moguntiaco Iudæi.

55 *Henricus* Gurtelknoff Franciſcanus, Confeſſor Rudolphi Habſpurgenſis, promotus ab Honorio IV Papa, anno 1286.

56 *Gerhardus* II, Baro ab Eppenſteyn, electus anno 1288, præfuit annos 16. Hic elegit Albertum Auſtriacum contra Adolphum.

57 *Petrus* Aichſpaldius Medicus, quod Clementem V Papam ægrotum ſanaſſet, promotus ad cathedram; obiit anno 1320.

58 *Matthias*, Comes à Bucheck, præfuit annos 8.

59 *Balduinus*, Comes Lucelburgicus, frater Henrici VII, Imperatoris, ſimul quoque Archiepiſcopus Trevirenſis.

60 *Henricus*, Comes à Firnenburg, adiit Epiſcopatum anno 1331.

61 *Gerlacus*, Comes Naſſovius, Adolphi Imp. nepos, obiit anno 1371.

62 *Ioannes*, Dux Lucelburgenſis, præfuit annos 2.

63 *Adolphus*, Comes Naſſovius, Gerlaci ex fratre nepos.

64 *Conradus* Baro à Weinſperg electus anno 1388, obiit anno 1395. Sub hoc 36 cives Moguntini Bingæ exuſti, quod eſſent Waldenſibus addicti.

65 *Ioannes*, Comes Naſſovius, ſedit annos 23, elegit Rupertum, ac poſtea Sigiſmundum, Imperatores, obiit anno 1419.

66 *Conradus*, Comes Rhenenſis, præfuit annos 8.

67 *Theodorus* Dom. in Erbach. ſedit annos 24, obiit anno 1459.

68 *Dietherus* Eyſemburgicus, defunctus anno 1482.

69 *Adolphus* II, Comes Naſſovius, ſedit annos 13, contra Dietherum, in ſchiſmate, quod conſtitit 20 centenis mill. aureorum.

70 *Albertus*, Saxoniæ Dux, obiit anno 1484.

71 *Bertholdus* Hennebergenſis Princeps, ſedit annos 21.

72 *Iacobus* à Liebenſteyn, ſedit annos 4.

73 *Vriel* à Gemingen Suevus, electus anno 1508.

74 *Albertus* II, Marchio Brandenburgicus, electus anno 1513, obiit anno 1545.

75 *Sebaſtianus* ab Heuſenſteyn Heſſus; obiit anno 1555.

76 *David Brendel* ab Homburg, mortuus anno 1582.

77 *Wolfgangus*, obiit anno 1601.

78 *Ioannes Adam*, ex Bickiorum illuſtri familia, deceſſit anno 1604.

79 *Ioannes Swickardus* à Cronenburg, ſedit annos 23, obiit anno 1626.

80 *Georgius Fridericus* Greiffenklaw, antea Epiſcopus Wormatienſis.

81 *Anſelmus Caſimirus*, cui ſucceſſit

82 *Ioannes Philippus* à Schönborn, S. R. I. Elector, & per Germaniam Cancellarius anno 1647 electus; qui etiamnum Eccleſiæ Moguntiacæ ſumma cum pietatis laude præeſt.

RHENUS.



Nter Germaniæ flumina nequaquam postremo loco censendus est Rhenus, sive celebritatem ejus, sive magnitudinem, sive riparum hinc inde urbiumque illis adjacentium excellentiam spectes. Crebra ejus apud veteres Scriptores mentio fit. Herodianus maximum hunc fluvium, & Germanos præterfluere dixit, æstate navigabilem, hyeme concretum. Tantam eidem tribuit profunditatem & latitudinem, ut irremeabilis videatur. Sæpius ejus meminit Claudianus de bello Gothico. Cæsar commentariorum lib. 1 Rhenum altissimum & latissimum fecit. Plutarchus in vita Cæsaris rapidissimum & immensæ latitudinis. Pomponius Mela eum statim à fontibus duos lacus conficere ait lib. 3. Inde longo spatio per fines Nantuatium, Helvetiorum, Sequanorum, Mediomatricum & Tribochum impetu fertur, teste Cæsare lib. 4 de bello Gallico. Alias tenui flumine ab ortu labitur, & modo flexus in Occidentem, modo ad Septentrionem à **Schafhusen** eructat multo strepitu, perque lacus Nantuatium propriis aquis in unum collectis effunditur, cujus lacus meminit Strabo lib. 4. De ejus fluxu sic Picus in Staurosticho:

Veterum & recentiorum loca de Rheno.

> *Qua Rhenus tenui Rhætis ex Alpibus orsu*
> *Funditur, & major suppostis influit arvis;*
> *Quique lacu immissus leni submurmurat unda,*
> *Mox alium profertque lacum; quo denique fusus,*
> *Inde humilis timidusque vorax evolvitur; inde*
> *Plenus, & exiguus, rectus, sinuosus in orbem*
> *Labitur, hic sumtis Basileam fontibus urbem*
> *Dividit, & vasto defertur gurgite, & alti*
> *Vorticibus magnis contingit tecta Brisachi.*

Suidas in dictione γερμανικός, ἀμφὶ (inquit) οἱ ῥῆνον ποταμὸν εἰσιν. Ammianus Marcellinus lib. 15 inter celsorum Rhætiæ montium loca lacum esse scribit Brigantiæ, ubi Rhenus incurrat spumosis vorticibus, quietem undarum permeans, & * *pugnam* mediam veluti finali intersecet libramento, tanquam elementum perenni discordia separatum, nec aucto nec imminuto agmine, quod intulerit vocabulo, donec Oceanum gurgitibus intimat. Multa de Rheno Dracontius, qui hunc Gangi, Ibero, Tago, & omnibus fluminibus prætulit, auro, piscium & aliarum rerum multitudine: qui & totum Rhenum descripsit, sicut & Philesius in Regestis super Ptolemæum. Multa quoque de Rheno Celtes lib. 3. Odarum, ubi de ejus fluxu, fluminibus, & tota hujus proprietate loquitur. Cæterum Rhenus multos habet meatus, & loca consueta relinquens, plurimos cessus facit, quos Græci πλατανῶνας vocant. Tacitus lib. histor. 2, Rhenum ad Galliam latiorem ac placidiorem fluere indicat, &, verso cognomine, Vahalem dici, antequam Mosæ misceatur.

Locus Ammiani.

** lege undam.*

De Rheni fontibus.

Maximæ autem plurimæque sunt de Rheni origine dissensiones. Cæsar ex Leopontiis Alpibus Rhenum oriri dixit. Marlianus inter fines Curiensis & Tridentinæ diœcesium Rheni fontem posuit. Strabo lib. 4, ex Adualla monte hunc derivari attulit, qui est adversus Leopontios. Sed rectius Adulam vocaveris. Alii non procul à Danubii fonte Rheno initium præstant, ut Dracontius. Plinius lib. 3, cap. 19, Sauromatas accolas fontis Rheni dicere videtur. Alii ex Alpibus Rhæticis emergere dixerunt, Tacitus nempe, Sabellicus, & Picus versibus supra citatis. Nec dissentit Claudianus de laudibus Stiliconis:

> ——— *Hercyniæ confinis Rhætia sylvæ,*
> *Quæ se Danubii jactat Rhenique parentem.*

Quem sequitur Ottho Frisingensis. At Pomponius Mela ex Alpibus Galliæ eum delabi ait. Dionysius Lubicus simpliciter ex Alpibus deducit, his versibus:

> *Incipiunt Alpes, quibus exit gurgite vasto,*
> *Oceani rumpens glacialis littora Rhenus.*

Mantuanus ex Alpibus Teutonicis oriri canit:

> ——— *& Alpes*
> *Teutonicas, genus unde trahunt & Rhenus & Ister.*

Verum inter tot sententias verissima est Cæsaris, qui Rhenum ex Leopontiis Alpibus derivat. Affirmant hodie idem, qui oculis loca illa propius Rhenique scaturigines lustrarunt, & etiamnum lustrant.

Tractus Rheni.

Nascitur ex duobus fontibus, unius, ut minimum, diei itinere, propter montium juga, distantibus. Altero magis Occiduo magisque Septentrionali: altero magis Orientali magisque Australi. Ille *anterior Rhenus*, hic *Rhenus posterior* accolis dicitur. Hi tandem confluunt & efficitur ex duobus fontibus, unus Rhenus, qui prope à capite duos efficit lacus, Acronium sive Constantiensem, alterum Venetum, hodie Cellensem, à Cella oppidulo. Hinc conversus ad Occasum, oppidum *Rhinfelden* alluit, eundemque tractum Basileam usque sequitur, amœnissimam amplissimamque Rauracorum civitatem. Eam medius secat, ac veluti duas urbes ex una facit, quarum illa, quæ in ripa est Gallica, major Basilea dicitur; hæc vero, quæ in ripa Germanica, minor: paruitque illa quidem Vesontino Episcopo, hæc Constantiensi. Partes ponte, ex quo amœnissimus est prospectus, conjunguntur. Flumina præter Rhenum Byrsa & Wiesa, quorum ille ex Iura monte per valles lapsus Basileam majorem multa ligna defert. Hic ex adversa parte è Nigra sylva, quæ Hercynia est, vel Helvetiorum veterum eremus, minorem Basileam ornat, multis officinis inserviens. Nam & trabibus secandis conducit, & frumento comminuendo & fabrilibus instrumentis exacuendis poliendisque, dum molas versatiles impellit. Est autem Wiesa piscosior Byrsa. Sed hic illo ad molas papyraceas aptior, quarum ingens numerus ad Byrsæ elicem conspicitur, haud procul à monasterio S. Albani. Vterque in Rhenum se exonerat. Alter supra,

pra, alter infra Basileam. Hinc Brisgoiam regionem interſecans, Briſacum ejus metropolim adit, quæ in monte *Briſaco* ſita Rhenum hodie ad Occidentem habet. Oppidum eſt elegans, munitum & frequens, arcem habens vetuſtam, ſed quæ diu in ruinis jacuit, reſuſcitatis tandem ejus ædificiis. Fontem quoque habet, cui ſuperædificata turris magna & robuſta, in qua pedibus agitatur rota grandis, quæ aquam ex multa terræ profunditate extrahit, pro qua cives annuum cenſum ſolvunt. Vndique magnus eſt deſcenſus ad Rhenum & ſubjectam planitiem, ubi aquæ in ſuperficie terræ facile quidem haberi, ſed difficulter in ſublimem montem perferri poſſunt. Briſaco recto fere curſu *Argentoratum* verſus tendit, turre ſuperbum, cui par nulla vel magnitudine, vel firmitate operis, vel artificio in Europa & Aſia invenitur. Sita eſt urbs ad Rheni ripam Gallicam, modico à flumine intervallo. Eam perfluunt *Ellus* & *Bruſcha*, qui poſtea extra urbem Cincio juncti in Rhenum ſe exonerant. *Spiram* mox ſe recipit, Nemetum urbem, cui ingens decus acceſſit, cum tribunal forenſe, quod antea Imperatorem ſequi conſueverat, quodque poſtea Maximiliani I, inſtituto Francofurti erectum, atque inde Wormatiam tranſlatum fuerat, tandem Spiræ figi cœpit anno 1530, ubi adhuc ingenti reip. Germanicæ bono ſervatur. Influit hic in Rhenum *Lutarus*, de quo ſic David Sigemundus:

Qua nemetum Rheno miſcetur Lutarus urbe,
Imperii ſurgit nobile Spira forum. &c.

Hinc progreſſus Neccarum ſibi jungit prope caſtrum *Manheim*, qui poſtquam Heidelbergam Principis Palatini ſedem alluit, Rheno abſorbetur. Mox non magnis flexibus Wormatiam ſecat. Eam ſic deſcribit Ligurinus lib. 1, agens de Frederico Barbaroſſa:

Wormatiam petiit, medio quæ gurgite Rheni
Gallica Germanis opponit rura colonis.

Otto Friſingenſis tractum ſic depingit: Imperator proximum natale Domini Wormatiæ celebravit. Ea namque regio, qua Rhenus nobiliſſimus fluvius ex trium Europæ nobiliſſimorum fluviorum unus interſecat, ex una ripa Galliæ, ex altera Germaniæ limes, frumento, & vino opima eſt, venationibus & piſcationibus copioſa. Oppenheimium præterlapſus, & generoſiſſimarum vitium hinc inde ſedes, *Moguntiacum* fertur, Archiepiſcopatu & Electoratu celebrem urbem, quam Druſus fundaſſe in ripa Gallica creditur. Hic cum Rheno confunditur Mœnus, quem imperite Ligurinus Mogum vocat lib. 1.

Hic Mogus tumido miſcet ſua flumina Rheno,
Qui licet ipſe ſuum perdat cum gurgite nomen,
Dat tamen egregiæ primordia nominis urbi,
Illaque majori cum ſit popularior amni,
Negligit, & fluvio dignatur, ab hoſpite dici,
Namque premens, Rhenum (ſi credimus omnia famæ)
Nomen ab infuſo recipit Moguntia Mogo.
Hæc urbs Francorum mediis in finibus, agris,
Vitibus, arbuſtis, populo generoſa frequenti,
Hinc ſtatione ſua Rhenum contingit, at inde
Extendit rapidam fines procul uſque Moſellam.

Hæc de Mogo, poſterioris ævi commenta ſunt: Nam Mœnum Plinius, Mela, Ammianus agnoſcunt. Nemo veterum Mogum. Ipſum quoque Moguntiacum, non, uti nunc, ad ripam ſitum fuit, ſed remotius, quo loco nunc eſt leproſorum noſodochium, quod & ruinæ ipſæ indicant. Hinc flexo in Occidentem curſu, moxque iterum in Septentrionem Confluentes ſalutat, oppidum Galliæ Belgicæ inter Moguntiam & Coloniam, diœceſeos Trevirenſis, qua ſe Moſella Rheno miſcet. Guntherus Ligurinus de Moſella:

Vix Rheno minor hic, placidos dum permeat agros,
Frugibus & pomis, & dulci fertilis uva,
Nomen aquaſque ſuas proprio ſub jure retentans,
Fluminis ex gemini confluxu nomen habentem,
Servat aduſque locum: victor mox Rhenus utrumque
Eripit & mixtis dominatur fortior undis.

A Confluentibus Andernacum, Lintzium, *Bonnam* urbes in ripa habet. Hæc muro & foſſis cincta, ædificiiſque commodis ornata. Situ plano, qua montes, qui à Bingio inde profecti Rhenum quaſi conſtringunt, in planitiem apertam diffunduntur. Condita eſt ſub Auguſto à Druſo, qui etiam ad tuendam Rheni ripam quinquaginta amplius caſtella exſtruxit, & Bonnam Genoſiæ, ponte Rheno impoſito, junxit. Teſtatur id aperte Florus lib. 4: Per Rheni ripam quinquaginta amplius caſtella direxit, Bonnam & Genoſiam pontibus junxit, claſſibuſque firmavit. Poſt hanc, *Coloniam Agrippinam* præterlabens non ad mercaturam tantum fructuoſum, ad ſpectaculum jucundum, ſed etiam ad vitam & valetudinem ſalutarem uſum præſtat. Ex adverſo fuit olim Divitenſe munimentum, hodie **Theutſch**/ extructum cum ponte à Flav. Conſtantino Maximo, Conſtantii filio, pro militibus illic ad tutelam Galliarum collocandis. Id cum ponte deſtructum eſt à Brunone Epiſcopo, lapidibus in Abbatiam inſumptis. De Colonia multi multa. Scaliger paucis dixit omnia:

Maxima cognati regina Colonia Rheni,
Hoc te etiam titulo Muſa ſuperba canit.
Romani ſtatuunt: habitat Germania: terra eſt
Belgica. ter felix! nil tibi Diva deeſt.

Sexto infra Coloniam milliari in ripa Gallica ad flumen Erpiam, eſt *Noveſium*, **Neus**/ vel **Nuys**. Ad eam ex Rheno juſto intervallo per euripum commoda eſt navigatio. Diſtat rivus ille Erpia itinere quaſi mediæ horæ à Rheno flumine, & per plures gradus ab iſto rivo fit adſcenſus ad civitatem quæ in alto poſita eſt. Sed ex Rheno brachium procedit, in quod intrat Erpia juxta civitatem, & iſtud brachium, pariter cum Erpia, conſtituit fluvium, ita ut majores naves ex Rheno ad civitatem cum mercibus deferat. Vbi ad Vbiorum oppidulum **Roerort**/ quod finem Roræ ſonat, pervenit, illi Rora permiſcetur. Vbi videre eſt duorum fluminum concurrentium evidentiſſimum diſcrimen, quorum Rhenus virides, Rora ſubalbas aquas oſtentat. *Berkam* hinc in Gallica ripa prætervectus, *Veſaliam* contendit, ſitam in ripa Rheni dextra, ſive Germanica, ad confluentes Lupiæ & Rheni, qua ſe minor amnis in majorem exonerat. Demum circa initium agri Batavorum, ubi propugnaculum hodie Schenchianum eſt, ſcindit ſe bifido cornu, unde Poëtis *bicornis* dicitur. Eam diviſionem eleganter

Briſacum. Argentoratum. Spira. Manheim. Wormatia. Moguntiacum. Confluentes. Bonna. Colonia. Noveſium. Roerort. Berka. Veſalia.

Rheni divergium sive divisio circa initium Insulæ Batavorum. ganter Mamertinus *divortium*, Frontinus *divergium* nominat. Ille à divertendo, hic à vergendo in diversum. Bipartito ergo cursum suum dividit, ita ut una pars Rheni nomine retento *Arenacum* recta petat, urbem Geldriæ primariam. Inde non multum sinuosis mæandris flexus ad *Vada* properat. Ab eo se flectit Rhenam, *Rinnes* Tacito nominatam, hinc Batavodurum decurrit, ubi obstructo vetere alveo, quo Vltrajectum, inde Lugdunum vectus in Oceanum exonerare se solebat, mutato nomine Lecca dici incipit, quondam rivulus elicis potius cognomento tunc dicendus, at nunc revera è rivo flumen factus, Culenburgum & Vianam præterlapsus, lustrataque Schoonhovia, in Merovam amnem, priusquam Mosæ nomen induat, se effundit. Pars altera Rheni ad lævam se flectit, & Neomagum urbem antiquam prætexit, urbisque mœnia areamque navalem radit, *Vahalis* jam nomine clarus. *Vahalis.* Longo inde tractu Tielam pergit: isthinc anfractuoso meatu Bommeliam ad lævam relinquit. Deinde non procul Worichomio Mosam accipit, mox apud Goricomium Lingæ amnis incremento auctus Merovæ nomen accipit, à Merovæorum arce: quam ubi præterierit, Durdrechtum, nobilissimam urbem, præterlabitur, receptisque Lecca & Isala Rheni brachiis Isselmondam præterfluens prope Roterdamum Mosa appellari incipit, ubi recedentibus latius terris, vasto jam ore Schiedamum & Flardingam ad dextrum latus relinquit, deinde Geervlietum oppidum, & Brielam à læva præterlabitur, ibique mox Oceano miscetur.

Flumina in Rhenum se exonerantia. Exonerant se in Rhenum flumina celebria, Mœnus, Mosella, Mosa, Neccarus, Rora, Luppia, aliaque minorum gentium. *Mœnus* oritur ex monte Pinifero Orientalis Franciæ, qui **der Fichtelbergh** dicitur. Ita Celtes: *Mœnus.*

> *Quam mediam Mœnus perlambit vitifer oram,*
> *Cujus quadrifluo nascitur uva jugo.*
> *Piniferi cujus de vertice flumina quattuor,*
> *Quattuor ad partes orbis amœna cadunt.*
> *Mœnus ad Occasum Francorum fertur ad oras.*

Ex Pinifero lapsus juxta Hercynium, inde ambagibus plurimis, omni Germanorum fluvio curvior, usque ad Herbipolim, inde ad Mildenburgum, Francofurtum, inde juxta Moguntiam in Rhenum excurrens nomen proprium amittit. *Mosella.* *Mosella* ex Vogeso monte nascitur, nomen habens à Mosa & Sella. Hoc innuit Philesius illo carmine:

> *Et Mosella unum gemino de nomine nomen*
> *Ingreditur Rhenum pluribus auctus aquis.*

Hic dividit Germaniam Superiorem ab Inferiori. Marlianus ait hunc in finibus Lingonum oriri, apud Celtas, Metenses, Treveros, usque ad Confluentiam cursum agere, & ibi Rheno commisceri. *Mosa.* *Mosa* itidem ex monte Vogeso profluit, in finibus Lingonum, haud longe ab Araris Matronæque fontibus; & in Septentrionem procurrens S. Theobaldi Fanum, (*S. Tibaut*) radit: ubi navigabilis esse incipit. Inde Verdunum perlabitur, ab eo in Cæciam vergens Mosonem & Maseriacum pergit. Inde ad Septentrionem se convertens Carolomontem, Boviniacum, Dinantum, & Namurcum lustrat: ibique Sabi auctus atque Hoyum contemplatus & Leodium, Trajectum perlapsus, Ruremundam & Venloam præterlegit: ubi ad Occidentem conversus Cuickam, Graviam, alluens, apud Herwerdum pagum recepta Rheni traditaque vicissim sui parte cum Vahali miscetur: & continuo servatis nominibus suis iterum disjunguntur, & separatim Lovestinum labuntur: ubi Insulam Bommelianam includunt, atque rursus confluentes conjunguntur. *Neccarus.* Cæterum *Neccarus*, inter maximos fluvios, qui Rheno approximant, connumerandus est. Hic enim *Taxagetam, Rotenburgam, Tubingam, Eslingen, Camstadium, Marpachium, Lauffen, Heilbrun, Winpinam, Peilsicinium, Heidelbergam, Laudenburgum* præteriens, juxta Manheim Rheno immergitur. *Rora* fluvius est non longe à Dusbergo, cui nomen Roricius filius Clodovæi Francorum Regis dedit, qui in eo submersus est, ut ex Huniobaldo Abbas Spanheimius scribit. *Luppia.* Excurrit insuper in Rhenum *Lupia*, qui ad Vesaliam eidem jungitur. Fluvios aliquot Rhenum ingredientes hoc carmine comprehendit Philesius:

> *Et Mosam & Mortam, Mortanam, te quoque Sella,*
> *Immittit Gallis divite fonte plagis.*
> *Hinc Bruscha, hinc Matra, & decurrit origine Sara.*
> *Alsa hinc cum vico, tu quoque Schara fluis.*

Idem Philesius omnia flumina in Rhenum se exonerantia collegit in Regestis super Ptolemæum. De fluminibus iisdem ita Panegyricus ad Constantini filium: *Rhenus*, inquit, *superioribus locis vadosus, exiguus, juxta fontem, ubi vero totus est, maxime crescit. Hic amnes plurimos, quos Mœnus & Nicer, (hic Neccarus est) invexerunt, recipit.*

De Rheni ostiis. De Rheni ostiis acriter hodie disputatur, propter diversa veterum hac de re judicia. Ptolemæus enim tria Rheni ponit ostia. Tacitus tamen non nisi duorum meminit. Vnum est, ubi Mosæ commiscetur, & Vahalis vocatur: Alterum vero, quo Germaniam prætervehitur, donec Oceano misceatur. Strabo quoque duo ostia Rheni ab Asinio tradi refert, eosque accusandos ait, qui plura dicant, idemque Pomponius Mela sentire videtur. Nostro autem ævo tria Rheni ostia esse scimus, quorum tertium Isala vocatur. Vtrum igitur tertium illud ostium Taciti tempore haud fuerit, sed posteriore eruperit tempore; indagatione nequaquam indignum videtur. Duæ namque jam Insulæ inter Rheni sunt ostia, quarum una Batavorum & Caninefatum; altera Velavia dicta est. Duobus alveis Drusus tertium addidit, perfosso ob suas commoditates spatio, quod Rhenum inter & Isalam interjectum est, & flumine majore per alienum alveum in lacus admisso. Hinc ortum est nomen Fossæ Drusianæ. Habemus ergo tria nunc Rheni cornua, dextrorsum Flevum, qui Ptolemæo est τὸ ἀνατολικὸν στόμα, lævorsum Vahalim, qui Plinio Helius dicitur, Græcis τὸ δυτικὸν στόμα, & medium inter hæc cornua Rhenum, qui per Lugdunum & castra Romanorum leni agmine fluens in Oceanum Germanicum se olim exoneravit, ad vicum Cattorum. Tria illa ostia designavit Plinius, quum dixit, Rhenum à Septentrione in lacus, ab Occidente in amnem Mosam se spargere, ac medio inter hæc ore modicum nomini suo custodire alveum. Merito ille modicum dixit, nam, abactis per divergium

Confluentes. Bonna. Colonia. Novesium. Roeroort. Berka. Vesalia.

vergium Drusianum aquis, factus est Rhenus multo quam antea angustior & exilior: adeo ut quibus religio fuit plura Rheno cornua, quam duo adscribere, ii præterito medio Flevum tantum & Vahalim commemorent. Atque hoc etiam mihi videtur fecisse Tacitus Annal. 2. Tandem vero etiam obstructo arenis ore isto, quum non sufficerent hauriendis aquis duo illi alvei, eoque perpetuis inundationibus essent expositi, quotquot Batavorum Insulam & extra eam loca depressiora populi habitabant, visum fuit è re publica Rhenum, effossis novis aliquot alveis, præsertim qua jam ipse se exoneraverat, abducere, & aggeribus admotis intra alveos illos constringere. Sic deducta est Lecca, sic Isala, sic elices illi, qui inter Flevum & medium Rheni ostium fuisse olim perhibentur, Egmundæ, Schoreli, Crabbedami, quorum adhuc spectantur vestigia, nisi quis posteriora ista non nisi naturæ opera fuisse malit. Hollandiam (inquit Petrus Nannius) à Frisia olim dividebant æstuaria Oceani aut Rheni, cujus etiam alveus siccus videtur non procul à pago Schorel, vetusque suum nomen obtinet. Et rursum: Egmunda ab angusto Rheni ostio, **Eng-mont** etiam nunc dicitur. Credo quod stagna Rheni ibi suum emissarium in Oceanum haberent. Certe intra secundum lapidem, ad viculum nomine Crabbendam, visitur alveus Rheni qui nomen suum antiquum retinuit, licet à Rheno destitutus. Quando autem medium istud ostium obstructum, & quando Lecca effossus fuerit, ostendit Cornelius Aurelius: Meatum, inquit, fluminis Rheni, qui ab oppido Grinnes prope Dorestadium à tergo nostram Bataviam usque in Oceanum perpetuo decursu alluebat, hoc modo obstructum esse, haud semel ex vetustissimis Trajectinorum Chronicis legimus. Tempore enim Hungeri (qui undecimus à Willebrordo præsidebat Episcopus) quum Dani juxta sancti Frederici prophetiam Trajectum, totamque Hollandiam hostiliter devastassent, visæ sunt in cœlo stellæ inter se concurrere, fulgura, Iovisque tela acrius stridere, flumina supra modum augeri & increscere; quod utique non tantum ad præsens damna inferre, verum etiam & aliqua significare futura Isidorus testatur. Quid multis? tanta Circio flante facta est ex Catwico versus Leidas maris inundatio, ut ad Trajecti mœnia pisces marini caperentur, omnisque Batavia aquis tegeretur, Rheni aquis retrorsum actis, nec in mare se exonerantibus. Hoc igitur malo afflicti, Hollandi, Trajectini, sibi posterisque suis de majore periculo provisuri, deliberato diu censuere decreto, ut ab urbe Dorestadio, ab utraque ripa modici amnis à Rheno deorsum Viennam versus stillantis, Leccam dicunt, aggeres construerent, & in eos effossis ruderibus manufacto meatu Rheni fluenta deflecterent. Referunt hæc plerique in annum Domini 860. Hac ergo occasione factum est, ut Lecca & Isala effoderentur. Habuit tamen ea res illud incommodi, quod qui ad medium Rheni alveum magna jam parte obstructo ostio arefactum siti erant, non haberent viam, qua merces suas in Oceanum possent exportare. Quocirca statuerunt effosso transverso meatu huic incommodo mederi. Placuit ei rei Goudam & Woudam exiguos rivos deducere, & cum Isala Rhenoque conjungere, & circa primam Isalæ admissionem ingentibus obicum repagulis aquas coërcere, quibus naves ex Isala in Goudam tuto adveherentur. Cataractis istis ad Isalam additum est telonium & telonio arx à Florentio Comite, Guilielmi Romanorum Regis filio. Illexit autem loci opportunitas multos, ut hic sedem figerent, crevitque paulatim frequentia in justam civitatem, quæ hodie Gouda ab amne isto vel rivo dicitur.

PALA-

PALATINATVS RHENI.

Origo nominis.



Faltz Germanis curiam significat, & forum judiciarium: Tales autem curiæ per universam Germaniam plures olim fuere; qui vero in iis juri dicundo præerant, dicebantur *Pfaltzgraven*, quasi Præfecti Curiarum, ad quos dabatur in rebus arduis provocatio. Itaque in speculo Saxonico diserte lego, *Quælibet provincia Teutonicæ terræ suum habebat Palantzgravionatum, Saxonia, Bavaria, Franconia, Suevia.* Hoc ergo sive à Romanis petitum, qui suos in provinciis Præsides, Duces, Comitesque habuerunt, sive docente necessitate & rerum usu introductum, sequuti sunt etiam in sua Republica veteres Germani. Apud Otfridum quoque prætorium vocatur *Palinzhus*, quasi dicas domum curialem, aut δικαστήριον. Tales curiæ in Polonia sunt hodie Lublini & Petricoviæ, quibus alternis semestribus jus dicitur. In Saxonia vero quinque fuisse istiusmodi curias testatur autor Speculi Saxonici; *Quinque*, inquit, *civitates quæ Palantiæ dicuntur, in Saxonia inveniuntur, in quibus Rex legitimis debeat curiis præsidere: Prima dicitur Crona, Werliz secunda, quæ modo in Goslariam translata est: Walhausen tertia; Aistede quarta; Quinta Merseburg nuncupatur. In ea septem feuda vexillorum sunt definita, Ducatus Saxoniæ & Palentiæ.* Neque dubium est, quin sub Imperatore Constantio, res adhuc in Germania gerente Iuliano, tales Pfaltzæ fuerint, & earum præsides Pfaltz-gravii dicti sint, plane ut à burgis, hoc est castellis, Burgravii, à provinciis Lant-gravii; à limitibus sive marcis Marchgravii. Itaque narrat Ammianus Marcellinus, Romanum militem in prima Germania supra Moguntiacum agentem transmisso ponte Rheno in Allemannos excursionem fecisse, ac Hortarii quidem Regis, qui proximus amni degebat, terris pepercisse, quod is socius haberetur; properantes vero ad interiora, *ubi terras infestorum attigere Regum, ussisse omnia & rapuisse, perque medium rebellium solum grassatos esse. Postquam vero ventum est ad regionem cui Capellatii vel Palas nomen est, ubi terminales lapides Allemannorum & Burgundorum confinia distinguebant, castra illic posuisse, & Maurianum atque Hariobaudum fratres suscepisse.* Hisce inquam verbis non est dubium quin talis curia significetur. Cæterum qui ab Ammiano Heidelbergam designari putant, magnopere falluntur. Palas enim Ammiani fuit in interiore Allemannia, non Rheno vicinus: tria quippe notantur ab ipso locorum discrimina: Primum est regnum Hortarii ad Rhenum, ad quem forte potest referri Heidelbergensis tractus: Tum interius adhuc, terræ infestorum Regum, quas Iulianus depopulatus est: Denique ulterius, Palas, quod ipsum in collimitio dicitur fuisse Burgundorum & Allemannorum; quod quidem ita capiendum est, ut per Allemannorum regionem diu profectis, occurrerint tandem noti illo tempore limites Burgundionum, ad quos Palas sive curia judicandis decidendisque litibus exstructa fuit. Quæ certe Heidelbergæ non conveniunt.

Antiquitas.


Apud Romanos Palatina officia vocantur, quæ ad Imperatoris Palatium spectant: adhibitaque est eadem vox postea ad designandum in Germania munus istud judiciarium; itaque Palatini in Andechs, Palatini à Schiern, à Wittelspach, Palatini à Dachaw, Palatini à Vallar, & Palatini Thubingenses leguntur in historia. Est & Palatinatus Saxoniæ perantiquus. Et ad hastiludium, quod Tiguri olim institutum fuit, feruntur XXXIV Palatini diversis è locis convenisse. Est etiam ad Rhenum ædificium quod Pfaltz vocant, *bey Caub*, cui Pfaltzgravium aliquem præfuisse opinio est. Progressu tamen temporis eminuit inter omnes Palatinatus Rheni, videturque ejus Comiti id primum arbitrio Imperatorum, postea etiam hæreditate concessum esse, ut juri dicundo supra omnes, vice Imperatoris præesset, modo ut inspector Ordinis, modo ut Collegii ad Wormatiam aut Spiram residentis caput; eoque factum est, ut ad ipsum, tanquam ad oraculum totius Germaniæ, gravissimæ controversiæ semper fuerint delatæ. Est autem Palatinatus alter superior in Bavaria ad Danubium, alter inferior ad Rhenum. Hic ad Occasum Ducatu Bipontino terminatur; ad Ortum Franconia & Ducatu Wirtenbergico; ad Septentrionem est Mœnus; ad Meridiem Alsatia. Mediam regionem Rhenus interluit: eoque fit, ut partim sit Cisrhenana, partim Transrhenana. Hanc Nicer seu Neccarus fluvius, rursum secat.

Palatinatus duplex.

Fines hujus.

Illud tamen notandum, Veterem Palatinatum, Heidelbergam versus, ne decimam quidem illarum urbium partem continuisse, sed à vicinis sibi Episcopatibus, Ducatibus, Comitatibus & temporum vicissitudinibus, bellorum casibus, matrimoniorumque contractibus maximam sui partem adauctum esse. Porrò Electoralis præsens Palatinatus præfecturas immediatas (sub Electore) quas *Oberampt* vocant, habet has, Heidelberg, Mosbach, Breston, Starckenborg, Oldenbergh & Boxperg cis Rhenum: trans Rhenum quinque sunt, Germersheim, Neustadt. Simerensis Ducatus, præfecturæ quatuor majores: Abiheim, Oppenheim, Bacharach, Simeren, Creucenach, Lautenis, Strombergh, Etmumbres 4 Pollanden, Böckelheim, Kockenhausen, Wolfsstein. Ducatus & Stirps Bipontina habet (primogenitus scilicet) præfecturas quatuor: Zweybrucken, Bergzabern,

Præfecturæ.


PALATINATVS
AD RHENVM
Trevirensis
Diocœsis
pars.
Hanaw
Comit.
ERPACH
COMIT.
Rhingaw
Mentz
Franckfurt
Heydelberg
Spier
Der Warnet Waldt
Lotharingiæ pars.
Alsatiæ pars.
Wirtenbergensis Ducatus pars.
Germanica milliaria.
Apud Guiljelmum Blaeu.

zabern, Meisenheim, Liechtenberg; reliquæ Lineæ tenent suas porriones, ut Lautereck, Birckenfeld, Luzelstein, &c.

Heidelberga. Principum Palatinorum sedes est *Heidelberga*, ad Nicrum amnem, qua se montes in planitiem pandunt. Aliquando sub Episcopo Wormaciensi fuit. Sed ex quo eam Palatinus in feudum accepit, sedes Principis facta est, qui acquisitis longe lateque ditionibus, eam metropolim omnium illarum esse voluit. Sunt qui eam Ptolemæi *Budorim* esse existiment. Nomen ipsi vel à Paganis & Gentilibus, qui *Heyden* Germanis dicuntur, ut sit quasi Paganorum mons, *Heydenberg*: vel à nobilitate, quasi *Edelberg*; vel à vacciniis, quasi *Heidel-beer*. Paulus Melissus Francus, Poëta egregius, à myrtis eam dictam existimavit, quasi myrtorum urbem. Itaque sic eam loquentem fingit:

Heidelberga vocor, myrtilli vescula dona
Monte sub arboso mi tribuere notam.

Civitas ipsa magnifica est & elegans. Ager vicinus omnium rerum ad vitam necessariarum est ferax: montes quippe vineis & castanetis, ager segetibus, silvæ feris, amnes piscibus, valles fontibus abundant. Commendat ipsam imprimis arx monti imposita, Principum domicilio, structuræ splendore, situs amœnitate, firmitate operis nobilis. Ex ea in urbem subjectam, vicinamque omnem regionem patet prospectus. Fuit quondam & alia arx in vicino montis jugo, cujus ostentantur parietinæ, sed ea fulmine tacta subito dissiliit, quum pulvis bombardicus, qui in ea asservabatur accensus, tecta, muros, trabes disjecit, ingenti cum fragore, nec parvo arcis infra positæ urbisque incommodo. Pons ligneus flumini impositus haud exiguum adfert urbi ornamentum: est enim tam affabre exstructus, ut peritissimorum etiam Architectorum curiositatem exerceat. Armamentarium instructissimum tormenta bellica & omnis generis instrumenta Martia in se habet. Templa quoque sunt illustria. In foro præcipuum sacrum est Spiritui S. habetque tum Principum aliquot sepulturas, tum Bibliothecam omni genere librorum instructam, cui post Melissum præfectus fuit vir literatissimus Ianus Gruterus. Magna ad eam accessio optimorum librorum facta est per Fuggeros. Post captam à Cæsare Heidelbergam, pulsumque sedibus avitis Palatinum Comitem, tota Bibliotheca Romam translata est. Alterum B. Petri templum in suburbio minus quidem est, sed perquam elegans. Anno 1345 condidit Heidelbergæ Rupertus Comes Palatinus Academiam ad exemplum Scholæ Parisiensis. In sacello Franciscanorum situs est Rudolphus Agricola, cujus monumento Viglius Zwichemius Frisius versus insculpi curavit factos ab Hermolao Barbaro:

Invida clauserunt hoc marmore fata Rudolphum
Agricolam, Phrisii spemque decusque soli.
Scilicet hoc vivo meruit Germania laudis
Quicquid habet Latium, Græcia quicquid habet.

Creutzenachium. *Creutzenachium* ad Nahum fluv. sita urbs, pervetustum castellum adjunctum habet, olim *Stauronesum* dictum. Olim Comitibus Spanhemiis paruit, à quibus ad Palatinos ejus possessio derivata est. Duo quoque illic tum temporis erant Cœnobia, quorum alterum Carmelitarum, postea in Scholam seu Gymnasium conversum est. Ecclesia Cathedralis in insula sita est, quam Nahus fluv. efficit; unde à Cruce, quæ ante templum, & Naho nomen Crucenachi venisse aliqui autumant. Quicquid de eo sit, res non magni momenti est. Huc anno 1504 Abbas Trithemius, bello inter Palatinos & Bavaros fervente, se cum Cœnobii Sponhemiensis Bibliotheca contulerat, cui parem Germania tunc temporis non habuisse fertur. Spectanda hic sunt Curia seu Domus Publica, Aula Palatina, & Statua, quam Ioannes Comes Spanhemius lanioni Crucenachiensi Michaëli Mortæ erexit, gratitudinis suæ & virtutis ejusdem pariter monumentum: Hic enim in prælio Dominum suum undique hostilibus armis cinctum videns, confestim illi succurrit, & interfectis plusquam viginti ex hostibus viam patefecit Domino, qua se ad suos reciperet, & oppressus tandem multitudine hostium, & suorum vulnerum in genua lapsus quinque adhuc virorum morte suis ipse manibus parentavit: factum hoc anno 1279, prope Geutzingam. Anno 1620 urbs à Spinola capta est, & retenta, usque dum Gustavus Adolphus Suecorum Rex eam cum Friderico Electore Palatino oppugnaret, tandem & suæ potestati subjiceret.

Frankenthal. *Franckenthalia*, urbs valde recens duobus mill. Wormatia distat. Tempore Buggonis Episcopi Wormatiensis, anno 1135, Eckenbertus Camerarius ex divenditis suis bonis duo Cœnobia hic struxerat, quorum alterum Monachis S. Augustini Regularibus, alterum ejusdem Ordinis Virginibus concessit. Tempore deinde Belli Belgico-Gallici Fridericus III hic urbem condidit accurrentibus plurimis nobilibus & mercatoribus Belgis, qui postmodum serici & pannorum mercatura eam eximiè auxerunt. Nec defuit hisce urbis incrementis gratia Principis: quippe multis eam privilegiis ornavit, & Prætorem, Consulem & Scabinos urbi dedit, & ut regiminis aliquam formam in ea conderent, jussit. Dedit quoque in insignibus Triangulum in campo rubro, quem unicus leo sustinet. Filius quoque Friderici, ut indies urbem augeri vidit, vallo fossisque circumduxit, & pluribus privilegiis dotavit. Ejus successores Fridericus IV & V, adhibitis viris militaris artis peritissimis, eximia urbi munimenta addiderunt. Exinde diu floruit, usque dum bello inter Fridericum & Imperatorem orto in Hispanorum, dein bello Suecico in Suecorum, & tandem iterum in Hispanorum manus venerit; donec anno millesimo sexcentesimo quinquagesimo secundo juxta conventus pacis Monasteriensis Carolo Ludovico Electori Palatino ab iisdem restituta est.

Manheim. *Manhemium* ad confluentes Rhenum & Neccarum sita urbs 2 mill. infra Heydelbergam, ad Valentinianum Cæsarem fundationis suæ originem refert. Castellum ibi pervetustum fuit, in quo Elector Ludovicus precibus Imperatoris Sigismundi & Concilii Costanciensis inductus Balthasarem Cossam sive demotum Papam Iohannem XXIV, diu detinuit. Anno 1606 Fridericus IV Elector Palatinus novum ibi suis terris munimentum exstruxit, cujus primum lapidem posuit

posuit die 17 Martii valde turbulento, ita ut ingenti vento arbores radicitus exstirpatæ, & multi currus in terram dejecti sint: quod plurimis felix augurium visum fuit. Imperfectum opus morte Principis successor filius Fridericus V perfecit; ita ut anno 1622 per sex septimanarum spatium sub Duce Horatio Veer Anglo, contra Hispanorum vim defenderit, coacta tandem omni auxilii spe amputata sese dedere. Postea à Wimaricis stratagemate occupata, & à Cæsareo-Bavaricis recuperata est.

Sunt multæ præter jam memoratas aliæ urbes, è quibus præcipuas quasdam carpemus. *Oppenhemium* Rheno adsitum editiori in colle tribus mill. Moguntia distat; multi ex optimi nominis Geographis veterum *Bonconicam* sive *Bauconiam* fuisse volunt: aliqui porro Iulio Cæsari aut Druso, alii Probo, Valentiniano aut Gratiano ejus fundationem attribuunt. Quicquid inde sit, dubium saltem nullum est, quin pervetusta sit. Fuit olim urbs Imperio Romano subdita, sed à Ruperto Imperatore, filio suo Ludovico Comiti Palatino Rheni cum Ingelhemo & Cæsaris Lutra concessa, expensis prius 100000 florenis. Vrbs hæc amœno loco sita, & fertilissimis agris & vinetis circumdata, aëre clementi & salubri fruitur, unde hic multa nobilitas. Templum S. Catharinæ satis magnum, pulchritudine omnia quæ fere ad Rhenum inveniuntur templa excellit, duos Choros, unum ad Orientem, alterum ad Occidentem habens; à Gerardo Archiepiscopo Moguntinensi anno 1258 exstructum. *Cæsaris Lutra* sylvæ nunc Wasgow, olim *Vosago* dictæ adjacens, olim *Cæsareæ* nomen habuit, ut existimat Freherus, idque ante Friderici Barbarossæ tempora, qui Palatium in ea exstruxit: hoc recens Lutræ nomen Lutra amnis dedit, qui urbem humectans in lacum Cæsareum, *der Keyser weg*, se exonerat, piscium omni genere refertum; & in quo anno 1497 lupus lucius 19 pedes longus captus est, & Philippi Electoris mensæ impositus, annum agens 276, à Friderico II Imperatore huic lacui anno 1230 impositus: Asservatus fuit æneus annulus in rei memoriam Heidelbergæ, cui hæc verba Græcè inscripta erant: ego sum primus piscis, qui lacui huic impositus est manu Friderici II, 5 die Octobris anno 1230. *Ladenburgum* veterum *Loboduna*, vel *Lupoduna*, Romanorum Castrum, vetustate nulli ex circumjectis urbibus cedit. Multa hoc demonstrant antiqua monumenta, in vinetis effossa, inter quæ & hoc in Episcopali palatio ante aliquot annos cernebatur: *Iunoni Reginæ, Minervæ Deæ, pro salute & incolumitate DD nostrorum, Diocletiani, Maximiani felicissi. Augustorum Constantii & Maximini nobb. Cæsar. civitas*, &c. Ausonius quoque ejus hisce versibus meminit:

Hostibus exactis Nicrum super & Lupodunum
Et fontem Latiis ignotum annalibus Istri.

Regem Dagobertum ferunt urbem hanc Episcopatui Wormatiensi concessisse; in cujus potestate diu fuit, donec tandem Rupertus Senior Comes Palatinus mediam urbis & agri Lobodunensis (in quo tunc temporis septuaginta pagi) partem à Spanhemiis Comitibus redemit, quibus illa obærata erat. Ita divisa inter Wormatiensem Episcopatum & Palatinos Comites jurisdictio, qui ibidem post ante Heidelbergam conditam in Palatio judicia aulica exercuerunt. Bello Bohemico & dein Sueco-Germanico urbs hinc & inde sæpius expugnata est. *Germershemium* parva quidem, sed munita urbs, cum mediocri arce, olim *vicus Iulius* dicta fuit, Germerio alicui ex Francorum genere olim parens; cujus adhuc nomen retinet. Aër hic non satis purus, ob vicinam paludem & excrementa Rheni; soli fertilitas autem satis felix est: *Bretta* in districtu Craichoviensi sita, olim Marchionum Badensium fuit, qui eam cum omni sua jurisdictione Palatinis Comitibus vendiderunt; quorum ditioni adhuc annexa est, & quasi clavis Palatinatus habetur. Solum circumcirca frugibus, vino, pratis, aquis sylvisque abundat. Maximæ tamen hæc urbs eo æstimatur, quod per hanc omnes Venetiis, Augusta, Vlma iisque vicinis urbibus delatæ merces Francofurtum devehantur, & cursores, quos postas vocant, ex Hispania & Germania in Italiam eant & redeant. *Alceja*, sive *Altzeia*, non incelebris in Palatinatu urbs, arcem habet in planicie sitam, Ecclesiam Cathedralem, & cœnobium ordinis S. Augustini: sedes est Burggraviorum; in qua jam 50 annos Barones à Winneberg Burggravii fuerunt. Ager vicinus ab hac urbe nomen mutuatus, adeo excellit frugum & vinorum proventu, ut post Alsatiam Germaniæ optimus censeatur. *Philippiburgum* sive *Vdenhemium*, cum adjuncto castello, ad Rhenum situm est, non longe Heidelberga distans, propius tamen Germershemio; à Gerardo Episcopo Spirensi cum consensu Imp. Ludovici Quarti è vico in urbem mutatum, & vallo fossisque cinctum est; donec illud Episcopus Spirensis Philippus Christophorus à Söthern, postea Elector Trevirensis, ad normam hodiernæ fortificationis fortissimè munivit, & ex suo nomine, in honorem S. Philippi Apostoli, Philippiburgum appellavit.

Oppenheim. Kaysers-lautern. Ladenburg. Germersheim. Bretta. Altzei. Philipsburg.

SIMMEREN DVCATVS.

Accensentur etiam Palatinatui, quamvis sui juris Ducatus Simmern, Bipontinus, Comitatus Sarbruchen, & urbes Imperiales Wormatia & Spira. Ducatus *Simmeren*, à capitali urbe Simmeren nomen mutuatus, in Hunnicis jugis situs est. Pignoris olim loco Imperator Rupertus illum acquisiverat à quodam Comite illis in jugis commorante, quem deinde emptione Palatinatui in perpetuum adjunxit. Mortuo Ruperto filio ejus Stephano hic Ducatus obvenit, è quo Simmerica Electoralis linea ortum ducit: & in eo Fridericus III, qui post Senioris decessum è Ludovico Barbato progeniti, anno 1559 ad Electoratum pervenit. Vrbs ipsa *Simmeren* à Simera fluvio nomen habet, qui nunc, quod auri ramenta arenæ immixta secum trahat, Aureus Amnis, *Guldenbach*, vocatur. Anno 1631 à Suecis mense Decembri occupata est. Est & in hoc Ducatu urbs *Bacharachia*, seu potius *Bacchi Ara*, ut veteribus dicta fuit, in Rheni ripa excelsis montibus adsita, & vinorum delicatissimorum proventu celeberrima. Hinc est, quod Romani sub Druso vel Germanico huc pervenientes, percepta vini præstantia, Aram Baccho posuere in medio Rheni fluento, quæ ex quadrato lapide præ-

Simmeren urbs. Bacharach.

grandis, nunquam tamen nisi ficciore paululum Rheni alveo conspici potest, quod incolis fœcundum insequentis anni proventum certissimè significat. Conspicienda hic se offerunt castellum in monte positum; fons aquæ acidus in proxima valle, & turris Palatina in medio Rheno exstructa. *Kirchberga* vero, quamvis proprium Comitatum constituat, huic Ducatui nihilominus adscribitur. Defecit Comitum Stirps in Gerhardo anno 1408; quia vero feudatarii erant Palatinatus, recidit Comitatus ad Dominum feudi Imp. Rupertum. Oppidum hoc modicum est, & mediocribus structuris ædibusque spectabile. Expugnatum anno 1632 à Suecorum Generali seu Duce, Ringravio Othone Ludovico, trucidatis centum quadraginta Italis & Burgundionibus. Ejusdem autem anni insequente æstate Sueci muris valloque oppidum nudavere, nimis alias frequentibus partium mutationibus ex imbecillitate obnoxium.

Kirchberg.

ZWEYBRVCKEN DVCATVS.

Iacet *Bipontinus Ducatus* in regione Vosagica, quam Germani olim *Wasgow* & *Westerreich* appellarunt. Divenditus est hic Ducatus, (antea vero tantum Comitatus) Imp. Ruperto Comiti Palatino pro 25000 florenis ab Eberhardo quodam Bipontino Comite. Accepit Ducatum Stephanus filius Ruperti, ibidemque circa annum 1411 sedem suam constituit, cum conjuge Anna, Friderici Comitis à Veldentz unica filia & hærede. Adnumerantur huic Ducatui Comitatus Veldents, Dominium Kirckel, Arx Wegelburg, Newcastel, & quædam minora oppida: unde vero urbs *Zweybrucken* nomen habeat, facile conjicere licet; sita enim ad duorum fluviorum confluentem, ex instratis olim utrique pontibus appellationem traxit. Arbitrantur aliqui Drusum Imp. Augusti privignum hoc in loco arcem seu castrum aliquod condidisse, è quo deinde hæc urbs enata foret. De hoc tamen nihil certi constat.

SARBRVCKEN.

Sarbrücken in Westrasia urbs cum arce Comitum Nassoviorum à Sarbrucken sedes est. Arx elegantissima est, multis atriis, cænaculis, aliisque eximiis structuris magnoperè adornata. Sita est urbs in medio flumine Saravo seu Sarro, unde illi nomen; Sarbrücken enim Latinè Saravi seu Sarræ pontem sonat. Accessit hic Comitatus Nassoviis per conjugii hæreditatem. Exinde Comes Iohannes Nassavius Sarræpontinus cognatos suos Albertum & Philippum hæredes testamento instituit: cujus deinde filii Comitatum possederunt.

Spira.

Habuisse hoc loco Nemetes olim oppidum constat, sed de nomine ejus nihil certi est: nisi hoc unum, Spiram illud vocatum non fuisse. Nemetum enim civitas regionem totam significavit. Et testantur fana Mercurii, Veneris, Dianæ, aliorumque Gentilium deorum antiquam ejus originem. Qui putant esse Ammiani *Ad Pyrum*, quos inter Heroldus, non observant, *Ad Pyrum* in Germania Transrhenana fuisse, solo Barbarico: quum Spira sit in Gallia Belgica. Vidit id Irenicus, qui propterea statuit *Ad Pyrum* esse Heidelbergam. Ego crediderim dictam fuisse *Augustam Nemetum*. Et occurrit apud Æthicum talis appellatio. Fuisse autem hic veterem Episcopatum, apparet ex Actis Synodi Coloniensis, quibus anno 348 interfuisse legitur adversus Euphratem Arianum Iessius Nemetum Episcopus. Sed tunc quidem sæculo aureo Christianitatis præter pietatem & curam gregis nihil supererat pastoribus. Pipinus Rex primus dicitur Episcopatum latifundiis & proventibus auxisse, ac post eum Conradus Secundus Saliquus, qui etiam oppidum Bruchselam cum tota regione Brureinensi Episcopatui donavit. Cœpit quoque idem templum illud augustum exstruere, quod filius ejus Henricus Tertius ad finem opere consummato perduxit. Eopse vero quo Spirensis templi fundamentum jecit die, suis quoque manibus Cunradus primum lapidem posuit Monasterii Benedictini, secundo extra urbem milliari, ubi antea fuerat arx Limpurg: sub hæc tempora ferunt Rutgerum Episcopum ex vetere familia Hutzmannorum urbem ampliasse, pagumque Spirensem extra muros ad amnem ejusdem nominis mœnibus inclusisse, atque ex eo novæ urbi novum quoque nomen indidisse. Ita abolita veteri appellatione Spira dicta est. Anno 1333 celebravit hic Comitia Imperii Ludovicus Bavarus. Anno 1526 convenere eodem Imperii Proceres, & renovaverunt Wormatiense edictum; sed intercedentibus Saxoniæ Duce & Lantgravio Hassiæ cum aliquot Germaniæ civitatibus, dilata est executio in publicum nationale vel Oecumenicum Concilium. Anno 1529 rursum fuit, in hac urbe conventus Imperii, quo cum abrogato priore edicto Spirensi Wormatiense illud esset repetitum, protestati sunt contra Proceres Luthero addicti, & ob factum illud vocati sunt *Protestantes*. Sed imprimis ingens urbi decus accessit, quum Tribunal Forense, quod antea Imperatorem sequi consueverat, quodque postea Maximiliani I instituto Francofurti erectum, atque inde Wormatiam translatum fuerat, tandem Spiræ figi cœpit, anno 1530, ubi adhuc ingenti Reipub. Germanicæ bono servatur. Præsidet in eo semper vel Comes, vel Episcopus: Iudicant Generosi duo cum delegatis à Moguntino, Trevirensi, Coloniensi, Palatino, Saxone, Brandeburgico singulis, Cæsareis duobus, Austriaco uno, Burgundico uno, Francicis duobus, Bavaris duobus, Suevicis duobus, Rhætiæ superioris duobus, inferioris totidem, Saxonicis duobus. Ordinarii adjecti sunt ab Electoribus Ecclesiasticis unus, à Saecularibus unus, à Francico, Bavaro, Suevico, Rhætiæ Superioris, Rhætiæ inferioris, & Saxonico, singuli. Post hos sunt Advocati, Procuratores, Protonotarius, Notarii, Ingrossistæ, Magister nunciorum, Lectores, Nuntii, Famuli Cancellariæ, aliique. Imprimis visendus est Spiræ mons Oliveti adfabre factus. Cæterum de urbe sic David Sigemundus:

Wormatia.

Qua Nemetum Rheno miscetur Lutarus urbe,
Imperii surgit nobile Spira forum.
Quæ sex Cæsaribus tribuit commune sepulchrum,
Francorum summi quos genuere Duces.
Totius hæc regni communia jura tuetur.
Hic sua Romanus fœdera Cæsar habet.
Gnosius hic Minos leges, hic Æacus urnam,
Quas solvat lites hic Rhadamantus habet.
Huc veniat prisco Gracchus revocatus ab ævo,

Soli fertilitas.

Aut

Aut legum fulmen Scævola, mutus erit.
Tanta ibi dicendi gravitas, & copia legum,
Tanta viget rerum gloria, tantus honos.

Wormatia. *Wormatiam* sic describit Ligurinus libro 1, agens de Friderico Barbarossa,

Wormatiam petiit, medio quæ gurgite Rheni
Gallica Germanis opponit rura colonis,
Vtraque vinetis exuberat, utraque pomis,
Piscibus, atque feris, & cunctis rebus edendis.

Otto Frisingensis eum tractum sic depingit, *Imperator proximum natale Domini Wormaciæ celebravit. Ea namque regio, qua Rhenus nobilissimus fluvius, ex trium Europæ nobilissimorum fluviorum unus intersecat, ex una ripa Galliæ, ex altera Germaniæ limes, frumento & vino opima est, venationibus & piscationibus copiosa. Habet enim ex parte Galliæ vicinum Vosagum & Ardennam, ex parte Germaniæ silvas non mediocres barbara adhuc nomina retinentes.* Nomen Wormatiæ videtur per contractionem formatum ex vetere Borbetomagi, quod Ptolemæo est βορβετόμαγος, Antonino Bormitomagus: fuit autem Vangionum quondam civitas, dictaque est ipsorum specula: sed eversa primum à Vandalis, Duce Godegesilo, post ab Attila, non ante Clodovei Francorum regis tempora restaurata est. Eversionis illius à Vandalis factæ meminit quoque Hieronymus epistola undecima: *Moguntiacum capta atque subversa est, & in Ecclesia multa hominum millia trucidata. Vangiones longa obsidione deleti.* Dagobertus etiam Palatium hic habuisse dicitur, quod postea Ducum Vangionum Prætorium fuit. Sed quum lapsu temporum abiisset in receptaculum latronum, præsertim sub Ottone Duce, visum fuit Henrico II è republica, suadente Burchardo, Episcopo, civitatem illam transferre Bruxellam, eoque oppido jus suum quod in urbe habebat, permutare. Tunc ergo mutatum est Palatium Ducis in monasterium, ex quo postea facta est Ecclesia Collegiata, quæ dicitur S. Pauli. Exstat privilegium Imperatoris Friderici Barbarossæ, quod anno Christi 1180 Wormatiensibus civibus dedit honorificum & amplum. Fuit autem hic initio sedes Archiepiscopalis, quæ postea translata est Moguntiacum. Anno 348 legitur hic fuisse Episcopus Victor, qui Coloniam profectus, etiam interfuit Synodo illi quæ habita est movendi Episcopatu Euphrathis Ariani caussa. Nulla vero est Germaniæ civitas in qua frequentius de Republica & rebus Ecclesiasticis conventus acti sunt. Antiquissima non commemorabo. Anno 1521 Carolus V Comitia habuit Wormatiæ, ad quæ evocatus est Lutherus rationem fidei suæ redditurus, & librorum à se editorum. Anno 1560 Colloquium Wormatiæ institutum est inter Theologos utriusque partis ad dirimendas controversias in religione obortas.

Soli fertilitas. Inter Wormatiam, Heidelbergam, Neostadium, Crucenacum, Oppenheimium generosissimæ sunt vites. Nec totus hic tractus ulli Germaniæ territorio soli ubertate & amœnitate cedit. Flumina maxime celebrata sunt Rhenus & Necarus. Hic prope Ladeburgum Rheno immergitur, piscium, & imprimis mullorum fœcundus. Inter silvas habet *Ottonicam*, partem Hercynii saltus.

Latitudine sua excurrit à Neccaro usque ad Mœnum, longitudine à montana via, quam vulgo *Bergstraet* vocant, usque ad fluviolum ignobiliorem Tuberum. Pertinet ad sextum circulum Imperii, qui est quatuor Electorum, Palatini scilicet Rheni, & trium Archiepiscoporum, Moguntini, Trevirensis, & Coloniensis; tum civitatum liberarum, ut sunt Moguntia, Colonia, Treviri, Gelenhause. Principum & Dominorum Palatini cum suo territorio, Comitis Nassaw & Beilstein, Domini in Reifferscheidt & Rheineck: Præfecti Ordinis Teutonici Confluentiæ: Abbatis S. Maximini, juxta Treviros: Præpositi Seltzensis, Domini in *Nider Eisenburg*.

SERIES
COMITVM PALATINORVM.

1 RVpertus, Ruperti fil. Adolphi N. magni & exaggerati animi vir fuit. Eo juvene adhuc factus est imperator Wenceslaus, totumque imperium bellis civilibus conturbatum, Helvetico inprimis & Suevico. Cæso autem ab Helvetiis Leopoldo, convenere tres Ruperti Ambergæ, & fœdus inter se sanciverunt, quo comprehensi sunt etiam Albertus Ludovici Imperator. filius, Comes Hollandiæ, nepotes Imperatoris, Stephanus, Ioannes & Fridericus. In hoc bello maximè eminuit virtus Ruperti istius adversus Wenceslaum; quæ etiam non infima caussa fuit cur in Romanorum Imperatorem eligeretur. Habuit quidem ille multos liberos, eoque factum est, ut ditio ejus in minutas portiones distributa sit, sed aliorum excessu omnia ad Stephanum & Ludovicum tandem devoluta sunt. Ejus filia Margareta nupta est Carolo Lotharingiæ Duci: Elisabetha Friderico Austriaco, Agnes Adolpho I Cliviorum Duci. Filius Pipan Imperatori Sigismundo adfuit in Hungaria, quum adversus Turcam pugnaret.

2 *Ottoni* obvenit Mospachium ad Nicrum flumen, cum Neumarkia in Bavaria. Successit ei filius Otto: quo sine liberis extincto, rediit omnis ea ditio ad Principem Electorem. Friderico cessit Amberga; qui quum & ipse prole legitima careret, revoluta est quoque ejus portio ad Electorem Palatinum. Ioannes possedit Neoburgum, non Danubianum, sed illud quod in limine est silvæ Bohemicæ: Exstruxit cœnobium Gnadebergam; Filium habuit Christophorum Daniæ regem, ex filia Ducis Pomeraniæ, quam ipse uxorem duxerat. Post hujus obitum pars quoque illa Bavariæ delapsa est ad Palatinum.

3 *Stephanus* Ruperti filius fuit, à quo post quartam progeniem Electoratus Palatini dignitas devoluta est ad Fridericum III, qui Dux fuit Bipontinus, Siburgensis, & Zimmerensis: uxor ipsi Anna, filia unica Friderici Comitis Veldentzensis & Spanheimensis; ex qua liberos quidem plures habuit, sed non omnes paternæ ditionis hæredes, quibusdam vel extinctis præmaturè, vel ad Ecclesiasticos honores promotis: Ruperti quoque Pipan Ottonis filii uxor, post mariti obitum, ducta studio augendi Palatinatum, quinctam

quinctam partem ditionis suæ legavit Ludovico Barbato.

4 *Ludovicus* Barbatus Ruperti filius, Elector Palatinus in Consilio Constantiensi exequutor fuit decretorum Imperialium. Hic tandem profectus Ierosolymam luminibus orbatus est ante obitum. Vxorem habuit reginam Cypri, ex qua tres liberos genuit, Ludovicum Mansuetum, Fridericum, & avo cognominem Rupertum.

5 *Ludovicus* Mansuetus uxorem duxit Margaretam, filiam Amedei Ducis Sabaudiæ, (qui quum seculo renunciasset, in Concilio Basileensi electus est in Papam :) defunctus est juvenis admodum, an. 1449, relicta conjuge gravida, quæ postumum enixa est Philippum. Margarita illa quum duceretur Ludovico, vidua fuerat regis Siciliæ Ludovici, & post Palatini obitum tertium maritum habuit Vdalricum Comitem Wirtenbergicum, quicum postea Fridericus bellum gessit. Anno 1460.

6 *Fridericus* Victoriosus defuncto fratre Ludovico, filii ipsius Philippi tutor fuit. Ejus monumento inscriptum est hoc elogium Heidelbergæ, *Fridericus Bavariæ Dux, Comes Palatinus, Elector, salus Patriæ, prædonum fulmen, tres illustres hostes vicit*, Episcopum Metensem, Carolum Marchionem Badensem, & Vlricum Wirtenbergicum, *Principatum auxit, & pie vivis excessit. Fuit ejus vitæ socia virtus, gloria mortis comes.* Filius ipsi fuit Ludovicus Comes in Lowensteyn nothus, cujus tamen matrem in ipso mortis articulo uxorem duxit.

7 *Philippus* Ingenuus Elector Palatinus uxorem habuit Margaretam filiam Ludovici, vel, ut alii volunt, Georgii Divitis. Instituerat autem Georgius ille Philippi filium Rupertum hæredem, data ipsi insuper filia sua, cum Bavariæ parte dotali. Displicuit hoc factum Maximiliano Imperatori, qui Alberto II Bavariæ Duci genero suo favebat impensius. Proscripsit ergo Philippum. At is adjutus Bohemorum auxiliis jura sua gnaviter defendit. Victus tandem intercessione Friderici Ducis Saxoniæ, hoc obtinuit, ut Ruperti filiis (nam pater interea obierat) Neoburgensis tractus omnis inter Danubium & Nabum concederetur. Acta hæc Coloniæ, anno 1505, nec multo post excessit è vivis Philippus.

8 & 9 *Ludovicus* Pacificus & *Fridericus* Pius Palatini fratres, Philippi filii, placide composuerunt dissidium quod inter ipsos & Wirtenbergensem Ducem diu intercesserat. Magna autem Friderici & excellens virtutis ac prudentiæ fama fuit. Anno Christi 1519 missus est in Hispaniam ad Carolum V, ut decretum Septemvirale de ipsius electione ei significaret. Idem quoque à Carolo præfectus est Iudicio Cameræ Imperialis, & in conventu Spirensi Legatum Cæsaris egit. Anno 1529 in Comitiis Spiræ celebratis dux belli adversus Turcas electus est. Ac triennio post auspicii Ferdinandi res gerens, 15 Turcarum millia fudit prostravitque, Duce etiam ipsorum Cosono interempto. Anno 1541 præses & moderator fuit colloquii inter Theologos habiti Ratisponæ. Ac biennio post extincto Ludovico fratre Electorali quoque dignitate auctus est. Religionem in suis ditionibus mutavit. Obiit Heidelbergæ an. 1556. Vxorem habuit unicam Dorotheam Christiani Secundi Regis Daniæ filiam.

10 Friderico Pio successit *Otto Henricus* Ruperti Virtuosi filius, natus anno 1502. Vxor ipsi fuit Susanna filia Alberti Ducis Bavariæ : obiit anno 1559, nec reliquit post se prolem. Ejus frater Philippus Bellicosus sub Carolo V militavit in Italia contra Gallos. Deinde in obsidione Viennensi anno 1539 fortiter Turcam repulit : obiit anno Christi 1548.

11 Extincta Ludovici Barbati sobole, devolutum est Electoralis Palatinatus jus ad Stephani Bipontini, qui Ludovici frater fuit, posteros : in his proximus fuit *Fridericus* Ioannis fil. Ioannis N. Friderici abnepos, *Dux Zimmeriæ*, qui ejus nominis Tertius Elector & Archidapifer factus est, anno Christi 1559. Vir citra controversiam magnus; sed qui prudentiam ad pacis artes & pietatem potius quam ad bellicas actiones retulit. Vxores habuit, priorem, Mariam filiam Casimiri Marchionis Brandeburgici; secundam Ameliam Comitissam Meursensem. Militem in Galliam misit, ductu agnati sui Wolfgangi Comitis Palatini Biponti, anno 1571, qui in ea expeditione obiit, octava die Iunii : quem Fridericus quinquennio post secutus est; extinctus quippe anno Christi 1576, relictis liberis, Ludovico & Ioanne Casimiro; nam Christophorus jam obierat, anno Christi 1574. Porro Zimbrenses Comites originem habent à Cimbris, quorum pars in Nigra silva atque alibi consedit. Itaque in illa sunt Herrenzimbern, Waldzimbern, Marschalchzimbern, Heiligenzimbern, Rotenzimbern. Et constat, in antiquis monumentis Barones istos scribi cum c littera, Cimbern. Ipsa quoque insignia idem arguunt. Barones quippe Cimbrenses pro signo militari habent Leonem gestantem pedibus suis bipennem; quod quidem etiam Norwegiæ regum insigne est.

12 *Ludovicus* IV Palatinus Rheni Dux Bavariæ, Comes Zimmerensis & Spanheimensis, patri Friderico in Electoratu successit : nec diu ea dignitate functus est, obiit enim anno 1583, relicto filio impubere Friderico Quarto, quem ex Elisabetha filia Lantgravii Hassiæ susceperat, & Anna Maria, quam habuit ex Anna Erhardi Comitis Embdani filia.

13 Friderici impuberis tutelam gessit *Ioannes Casimirus*, vir gloria militari celeberrimus : nam anno Christi 1567 copias in Galliam duxit ad juvandum Condæum, & in Belgicam adversus Ioannem Austriacum profectus est anno 1578, & suppetias Gebhardo Truchsesio Archiepiscopo Coloniensi tulit adversus Bavariæ Ducem Ernestum, quem Truchesio Pontifex substituerat. Sed & togatas virtutes habuit, prudentiam, gravitatem, sobrietatem, constantiam; quibus ille pupilli sui bona mirum auxit : mortuus est Heidelbergæ, anno Christi 1592 quum jam *Fridericus* annos natus 18 capax Electoralis dignitatis factus esset. Natus quippe fuit an. Christo 1574. Is postea uxorem duxit Ludovicam Iulianam, filiam Guilielmi Principis Auriaci, ex eaque liberos suscepit, Fridericum, natum an. Christi 1596. Ludovicum Guilielmum, natum an. 1600 Mauritium

ritium Christianum, natum anno 1601. Ludovicum Philippum 1602. Loisam Iulianam, natam anno 1594, nuptam Ioanni Duci Bipontino. Catharinam Sophiam, natam anno 1595. Elisabetham Carolam, natam anno 1597. Annam Leonoram, natam an. 1596.

14 *Fridericus* V Friderici Magni, anno 1611 extincti filius, extrema patris sui voluntate commissus est tutelæ Ioannis Ducis Bipontini, præterito agnato proximo Philippo Palatino Neoburgico, quod is morienti nollet promittere, se nihil in religione publica innovaturum. Ita ergo posthabita bullæ aureæ sanctione, Bipontinus simul & administrator Electoratus, & Vicarius Imperii factus est. Sed postquam pupillus adultior uxorem duxit Elisabetham Iacobi, Magni Britanniæ regis filiam, cœpit ipse Reip. & Electoratus curam gerere. Nec multo post in Bohemiæ Regem electus, & Pragæ coronatus est, anno 1619. Non licuit tamen diu frui hac fortuna. Quippe à Cæsare Ferdinando II in auxilium ascito Bavariæ Duce, in monte Albo ad Pragam prælio victus & regno exutus est; nec tantum regno, sed & toto Palatinatu superiore & inferiore, ut & Electoratu privatus est; donec tandem major filius,

Carolus Ludovicus, anno 1617 natus, Pace Monasterii conclusa, & Electoratum & Inferiorem Palatinatum recuperaret, remanente octavo & novo Electoratu cum superiore Palatinatu apud Domum Bavaricam, cujus ope Cæsar usus fuerat. Superstites adhuc sunt alii ex Friderico V liberi, Elizabetha nimirum, Robertus, Louisa Hollandina, Eduardus, & Sophia. Carolo Ludovico Charlotta, Guilielmi Landgravii Hassiæ filia, Carolum peperit anno 1651, & Elizabetham Charlottam anno 1652.



HASSIA SVPERIOR.

Contenta.

Omprehendit Superior Hassia,quoad situmCattamen singulorum Dominiorum præeminentiis & prærogativis illæsis) Superiorem & Inferiorem Cattimeliboci Comitatum , Comitatum Dietzensem , Ringaviam , Wetteraviam , Comitatus Nassow, Solms , Königstein , Wittgenstein & Nidda ; Dominium Epsteinense, & Principatum ad Lanum,qui propriè Hassiæ superior Principatus vocatur.

Principatus ad Lanum.

Principatus ad Lanum nomen exinde habet quod ad utramque Lahni ripam se extendat. Respicit orientem versus Abbatiam Fuldensem, ad meridiem Wetteraviam, occidentem versus Comitatum Nassaviæ, & Hassiam Inferiorem ad Septentrionem.

Marpurg.

Prima inter urbes se offert *Marpurgum* , eadem cum Taciti Mattio & Ptolemæi Mattiaco ; vetus sive Cattorum, sive Mattiacorum sedes, ad Lanum amnem , qui haud procul oppido Wittgenstenio ortus in montibus , multis ambagibus sese in occasum sinuans, tandem in Rhenum exonerat ad Lanstenium. Est autem Marpurgum Hassiæ totius Metropolis, multis antiquissimorum ædificiorum structuris veneranda , prudentissimorum Senatorum incorrupto ordine conspicua. In ea forum elegans , & in foro Curia speciosa. Arx eminens in colle , inter quam & flumen interjecta est Ecclesia satis venusta , indicans, ad summi Honoris templum non dari aditum nisi per templum Virtutis. Fluvius ipse non tantum plurima delicatissimorum piscium genera educat , sed etiam occulta quadam vi medica clarus est , ut qui impetiginem sanare credatur. Itaque complures audias , qui quum glabræ cutis nitorem alibi thermis, fontibus, lavacris , potionibus non potuerunt procurare , eum hic dicant adeptos se simulatque aliquoties salubri sese fluvio mersissent. Arcem imprimis commendat structura visendi plane operis ; utpote quæ raras sibi similes habeat in eo Germaniæ tractu. Prospectus ex ea patet in urbem , inque vicinos colles, & loca remotiora , jucundo & grato spectaculo. Exstruxit eam Ludovicus Episcopus Monasteriensis , Henrici III Lantgravii Thuringiæ filius. Sunt & horti omni herbarum genere consiti, areolis, stirpibus , sepibus , arbusculis ornati. Sed ante omnia commendat arcem Principis sedes. Lano impositus est pons lapideus , ex quo gratus est in omnem partem obtutus. Est etiam in altera urbis parte domus Teutonica Commendatoria, splendidi operis. Colles vicinos vestiunt vites , agros segetes , montes silvæ,prata oves,boves, capræ.

Academia.

Vniversitas Marpurgensis , ex quo Lantgraviorum Hassiæ singulari in Remp.munificentia erecta est,ab anno 1525, nunquam non habuit viros in omni doctrinæ genere excellenteis ; quo factum est , ut ea quoque inter primas semper totius Germaniæ habita sit , ad eamque magnus numerus studiosorum , etiam ex remotioribus locis confluxerit.

Viri docti.

Habuit hæc inter Doctores Gerardum Noviomagum , amicitia Erasmi satis ex scriptis notum : Habuit eadem in Pædagogio quondam Iustum Vultejum. Habet adhuc excellentes in omni scientiæ genere viros , sive linguarum notitiam spectes , sive artium , & sapientiæ, tum divinæ tum humanæ.

Collegia.

Collegia sunt Marpurgi satis venusta, in Pomœrio, & ad Lanum. Vici nobiliores duo , alterum vocant *den Grien*, alterum *Bylgenstein*. Plateæ duæ,unam appellant *Steinweg*, alteram *Weidenhausen*. Cives imprimis commendat frugalitas , cui à teneris adsuescunt ; tum laborum patientia , & fides in Principem : videntur corpora regioni respondere. Terra clivosa est, aspera, horrens : corpora vegeta , robusta , procera, facta ad tolerantiam : ut de Cattis recte judicaverit Tacitus , eos Batavis esse similes , nisi quod ipso adhuc terræ solo & Cœlo fortius animentur.

Giessa.

Sequitur Marpurgum urbs *Giessa* 6 mill. Francofurto distans , anno primum 1530 vallo fossisque à Philippo Hassiæ Landgravio cincta est : cum autem dictus Landgravius à Carolo V captus esset , ejusdem jussu munimenta hujus urbis Reinhardus Solmensis Comes diruit , quæ tamen anno 1560 reædificata, & intra quinquennium absoluta sunt. Exinde additum à Ludovico Seniore armamentarium tormentis bellicis aliisque apparatibus refertum ; & à Georgio hic illic multa propugnacula urbi adjuncta. Anno 1607, Ludovicus Iunior eximium Collegium & Academiam hic condens , impetravit ab Imp. Rudolpho privilegia in optima forma , concessis præterea studiosis pluribus immunitatibus. Mirum quantum nova illa Academia brevi temporis spatio invaluit,accurrente undique ex Germania, Suecia, Dania, aliisque regionibus innumera studiosorum caterva. Anno autem 1625 à Ludovico Marpurgum Academia translata est.

Francken-berg.

Francoberga in confiniis Westphaliæ & Hassiæ sita urbs, 3 mill. Marpurgo discreta est. Primus ejus conditor Theodoricus Francorum Rex fuit ad annum 520. Adhæsit Franciæ ducentos annos ; inde Hassiæ adjuncta itidem fere 200 annos fuit : Postea cum omni vicina regione ad Romanum Imperium devenit , tandem post multas devolutiones ad Hassiam rediit , cujus etiamnum est. Tempore Caroli Magni, qui singulari Francobergam affectu prosecutus est , Ederam fluv. ver-

versus, ampliata sunt urbis pomœria, & ex 3 portis quinque resurrexerunt: post multa urbi concessa privilegia, vetus templum dirui & novum è fundamentis exstrui in honorem B. Virginis, Imperator jam dictus curavit, eique plurimas à Pontifice indulgentias impetravit. Ius quoque exercendæ capitalis justitiæ & monetæ cudendæ dedit, novisque insignibus ornavit, quæ in cœruleo campo aureum castellum cum porta ostentant. His Conradus I, Imperator, postea & hoc addidit, ut rubræ ceræ sigillum imprimeret. Anno 1286 eximia parochialis Ecclesia hic exstrui cœpta, diruta vetere, quam Carolus M. ædificaverat. Anno 1509 nova curia urbs ornata est, & anno 1590 argenti & cupri fodinis noviter inventis non parum ditata. Non longe hinc ante silvam quandam jacet arx *Wolckersdorf*, quam anno 1310 Eberhardo ab Helsenberg Landgravius Otho, ut feudum, obtulit: item *Sachsoberga*, Saxonum olim contra Hassos castellum; & *Hessenstein*, certissimum Hassicæ virtutis monumentum, & antiquissima arx.

Battenberg. Est & prope Francobergam arx & oppidum *Battenberg*, an. 134 ante Christ. n. à Batone Cattorum Rege condita, quæ deinde suos Comites habuit, & anno 1277 Widekindum natum Comitem Witgensteinensem, à cujus posteris primo ad Episcopatum Moguntinensem, & postea ad Henricum Hassiæ Landgravium anno 1464 pervenit.

Oppida. *Wettera* oppidum inter Francobergam & Marpurgum situm, haud multis ab hinc annis è pago *Oberwetter* dicto, in oppidi jura & vires transiit, & mœnibus cinctum est. Dedit hoc oppidum orbi multos claros viros, inter quos Sylburgius, Mylius, Crollius, Vultejus, Kirchovius, Pincierius, Lælius, Breulæus eminent. *Bidencap* etiam non adeo vetustum oppidum est, sed arcem habet, quam anno 1300 Henricus Landgravius, Henrici Brabantini inobediens filius destruxit, & in frontispicium montis supra pagum transtulit. *Staffenburg* exiguum oppidulum, cum castello in sublimi monte situm, ad Lanum; non procul hinc ingens saltus *Kühemarck* dictus se offert, in quo olim præclarum forum Boarium habebatur, at ob multifarias & perniciosas prædationes abrogatum fuit. *Allendorf* ad Lomam amnem in valle jacens, itidem parvum oppidum, anno 1479 fulgure accensum, & trium horarum spatio funditus conflagratum, iterum anno 1602 ingens ex incendio detrimentum accepit. *Grunberga* oppidum cum arce in rupe situm, amœnissimum & elegantibus suburbiis circumdatum, & vicinum arci Merlæ, in valle à Ludovico Seniore Landgravio elegantissime ædificatæ; in hac plaga multæ silvæ & commodæ venaturæ sunt. *Vlrichstein* in arduo monte situm oppidulum, arce gaudens eximia, quam Henricus Landgravius 1293 ob direptiones expugnaverat. Prope jam dictum oppidum aliud in valle est *Schotten*, fœcunda circum planitie cincta, suum quoque castellum habens. *Homburgum* ad Ohmam fluv. amœno monti inædificatum, habet arcem, sed quæ non habitatur, & vicinas *Sweinesburg*, *Holtzhausen*, *Leobach* & alias complures. Ad Ohmam quoque situm est oppidum *Kirchain*, haud vetustum, sed grato & jucundo situ spectabile. Swalmæ porro fluvio adjacet oppidum *Alsfeldt*, affabre exstructum & spaciosis suburbiis circumdatum, quod olim ante Francobergæ initia Hassiæ urbs metropolitana, & vetustissima habitum fuit, & primum Evangelii lucem accepit. Non longe hinc initium suum habet silva *Apswaldt*, & ab introitu ipsius Swalma fluvius, qui postmodum Yffa & Berffa rivis auctus, in Zigenhainensem Comitatum se effundit. *Romrod* quoque arx cum pago ad eandem sylvam sita est, à Ludovico Seniore renovata, & multis ædificiis aucta. *Grebenavia* peculiaris est præfectura, ubi antiquitus Equites Iohannitæ habitaverunt, postea Landgravii Dominis de Plesś illam in feudum virile tradiderunt: proxime oppidum conspicitur arx *Hertzberg*, & domus Döringenbergensis.

Qualitas. Regio hæc omnis generis frumentorum & fructuum fertilissima, egregias sylvas, venationes, vernantia prata, stagnaque, flumina piscosa habet; Aër ubique clemens & saluberrimus est. Præcipui qui hunc irrigant Principatum fluvii sunt, *Lahnus*, *Loma*, *Edera* & *Ohma*.

CATTIMELIBOCVM SVPERIVS.

Cattimelibocum Comitatus suos olim Comites habuit, quorum ultimo Philippo absque prole decedente, Henricus Landgravius Hassiæ, cui Philippi soror nupserat, Comitatum hunc sibi suisque vendicavit. Adhæsit itaque Hassiæ; sed cum Henrici filius Wilhelmus Iunior anno 1500 gravi casu mortem sine prole oppeteret, intercesserunt Comites Nassavii, & Comitatum ad se trahere conati sunt: unde ortæ inter Hassiæ Landgravios illosque controversiæ, anno demum 1557 decisæ sunt his conditionibus; ut Philippus Hassiæ Landgravius Comitibus Nassoviis 450 millia florenorum appenderet, partem Comitatus Dietzensis &, titulum Comitum in Dietz & Catzenellenbogen concederet: item, deficiente mascula Hassiæ Landgraviorum stirpe, superior vel inferior Cattimeliboci Comitatus pars ad Nassavios rediret, seu ejus loco, si id mallent, hæredes Hassiæ 300 millia florenorum iis exsolverent.

Divisio. Dividitur Cattimeliboci Comitatus in Inferiorem & Superiorem; Superior Comitatus extenditur à confluentibus Rheno & Mœno ad Palatinatus fines & saltum *Odenwaldt* dictum: comprehendit autem urbem *Darmstatt*, ubi Comites Cattimelibocenses munitam arcem habuerunt. *Darmstatt.* Anno 1546 Comes à Bueren Cæsarianorum Dux bis urbem aggressus, & repulsus est, donec inter transigendum tacite subrepens eam vi cæpit & diripuit, arcemque funditus incendio delevit: concesso tamen eximiæ virtutis elogio civibus Darmstatensibus. Cum autem Georgio à Philippo patre Landgravio hic Comitatus testamento legatus esset; idem ille Georgius arcis rudera eruit, novam è fundamentis erexit, & insignibus hortis ornavit, in quibus vini satis magna co-


HASSIA SVPERIOR
et
MOGVNTINVS
ARCHIEPISCOPATVS.
Milliaria Germanica communia.
Septentrio
Meridies
Occidens
Oriens
Frankfurt
Maintz
Hanaw
Aschaffenburg
Wirtzburg
Coblentz
Gießen
Wetzlar
Marpurg
Fulda
Wormbs

74

copia, fructuum & exoticarum herbarum incredibilis abundantia provenit. Sæpius deinde successor Georgii Landgr. Ludovicus, & ejus filius Georgius sedem hic fixerunt, & regiminis formam constituerunt: unde in templo quoque multa horum & agnatorum Principum monumenta visuntur. Est & in hoc Comitatu urbs *Zwingenberga*, ad montem Melibocum sita, cui nomen à compescendo vel cogendo inditum, quod hæc urbs ita fossis, lacubus, sylvis & montibus circumdata sit, ut totum exercitum detinere, cingere & cogere possit: Templum hujus urbis Comes Eberhardus, qui anno 1403 fato functus, ædificari curavit. Non longe dissita est perpulchra arx *Liechtenberg* ad introitum saltus Ottonis, quæ quadrangulari forma constructa, undique montibus & silvis circumdata est. Ex pagis hi quidem eminent: *Gerau* in fœcundo solo ad Schwartzbach amnem situs; *Trebur*, splendida olim urbs, quæ 2 milliaria in circuitu complectebatur, sicut adhuc rudera & vestigia ruinarum indicant, & in quo Concilium Triburtinum celebratum est. *Russelheim* arx est eximia, munimentis & propugnaculis in omnes hostium assultus tuta. Cœnobium quoque *Hofheim* memorandum, quod in Xenodochium conversum inter quatuor magna Hassiæ Xenodochia nomen invenit. Regio ipsa ferax est omnis generis frumenti, vini, amygdalorum, castanearum, aliorumque fructuum, & olerum: arva habet fœcunda, præstantes piscinas, cupri & argenti fodinam: aëre fruitur satis prospero.


Zwingenberg.

Qualitas.



COMI-

COMITATVS NASSOVIA.



Nominis ratio.

NASSOVIA dicta est, quasi Nassgavia, quæ vox humidam & uliginosam regionem significat. Oppidum enim, quod ditioni nomen dedit, in colle est situm, cincto undique humidis campis Germanis autem *Nass* humidum, *Gaw* & *aw* ditionem significat. Sic Bat-aw, Batavorum terram notat; Thurgaw, regionem aridam; Rhenanam, Rhyn-gaw; laudatam, Brisgaw; honorandam, Ar-gaw; Orientalem & Occidentalem, Ostergaw, & Westergaw; fœno abundantem, Hengaw. Habet autem Comitatus iste plures alios sibi annexos, *Weilburgensem*, *Idesteinensem*, *Wiesbadensem*, *Dietzensem*, *Cattimelibocensem*, *Beilsteinensem*. Comites vero Nassovii Dilleburgenses terminantur Austrum versus Comitatu Wiesbadensi & Idesteinio: ad ortum Isenburgico & Solmensi cum Hassia: septentrionem versus Westfalia & Comitatu Witgensteinio: ad occasum Ducatu Bergensi & Comitatibus Widdano & Seynensi. Ambactus sive præfecturas habet multas, Freudebergensem, Sigenensem, Nephensem, Ferndorfensem, Hilchenbacensem, Hægeranam, Ebersbacensem, Dillenburgensem, Dringenslainensem, Herbornensem, Dridorfensem, Libenschidanam, Beilsteinensem, Longergensem, Eurichenhaynensem, Burbacensem, Marenburgensem, Rotsenhainensem, Rennerodanam, Heenensem, Dernereitanam, Hohnstettensem, Flachtensem, Dietzensem, Frickofianam, Zeutzheimensem, & alias complures.

Limites.

Potestas summa.

Censentur autem Comitatus isti inter liberrimos Imperii, utpote quorum Domini nulli addicti, nisi soli Imperatori, fruantur regalibus præeminentiis, & prærogativis omnibus, quibus præcipui alii in Imperio frui solent. Ius quoque habent cudendi monetam auream, argenteam, æneam: quod & factum à Iohanne Comite Nassovico, liquet ex nummis aureis, qui adhuc in hominum manibus versantur. In eorum parte una legitur, *Moneta Seygen*: in altera, *Iohannes Comes de Nassaw*. Cattimelibocensis Comitatus fructum percipit Hassiæ Lantgravius, titulo etiam ipsi cum Nassoviis communi, ex quo anno 1557, Philippus Hassorum Princeps cum Nassoviæ Comite transegit, adnumeratis ipsis sexcentis aureorum millibus, cedensque Comitatu Dietzensi: manentibus interea titulis communibus.

Regionis facies.

Regio alibi in planitiem extenditur, alibi in colles adsurgit; alibi silvis horret, alibi vitibus læta, ut in Comitatu Dietzensi & ad ripam Lani; alibi pratis, pascuisque amœna est, aut fertilis segete, olere, legumine. Habet vero & fodinas metallorum haud ignobiles. In territorio quippe Sigenensi ex lapide ferrea quædam massa eliquatur, ex qua postea fornaces, ollæ, tubi, incudes, globi conflantur. In oppido vero & circumjacentibus pagis omnis generis instrumenta ferrea cuduntur. Freudenbergæ chalybs præparatur optimæ notæ, qui postea per universam Germaniam distrahitur. Sunt & similes fodinæ officinæque in tractu Dillenburgico, Hægerano, Burbacensi: in quo & plumbum eruitur, & cuprum, sicut etiam in agro Ebersbacensi, qui & vitriariam officinam habet.

Silvæ.

Silva præcipua est Westerwaldt, Herciniæ pars: minores, & veluti prioris illius segmenta, Kalteych, Heygerstruth, Schelderwalt, *die Horre*, *der Calmberg*, in quibus ad venationem ferarum copia est ingens.

Amnes.

Amnes præcipui sunt Lanus, Siga, & Dilla, qui singuli oppida alluunt non inamœna.

Oppida.

Ad Sigam est Sigena, ad Dillam Heigera, Dillenburgum, Herborna. Ad Lanum Dietza, Nassovium, Lohnsteinium, ubi Lanus Rheno miscetur. Thermæ Emsanæ Comitibus Nassoviis Dillenburgicis communes sunt cum Lantgravio Hassiæ. Eas ob occultam vim aquarum etiam longe dissiti adeunt, & experiuntur ut plurimum salutares. Aciduli fontes sunt Kodingæ & Cambergæ, quorum aquæ haustæ calculum pellere creduntur. Herbornæ Schola est illustris, fundata à Iohanne Comite Nassovico, anno 1582, quæ post decennium translata est Sigenam, ad quam tanquam ad virtutis omnisque eruditionis mercatum confluunt ex Germania, Polonia, Livonia, Dania, aliisque locis, permulti studiosi. Non est incelebris neque obscura ejus fama. Imprimis commendat regionem istam genius civium ad virtutem, constantiam, fortitudinem, tolerantiam, parsimoniam, liberalitatem, prudentiam, justitiam factorum. Statim à crepundiis imbuuntur pietatis semine. Exercentur etiam ad labores: mentiri, fidem fallere, pro immani scelere habentur. Hinc illa dictorum factorumque constantia. Nobilitas Nassovica imprimis libertatis amans, ac non suæ tantum, sed alienæ quoque propugnatrix est. Hæc Adolphum Nassovium olim, licet infelici fato, Imperatorem dedit. Hæc Belgis sub Hispanorum Imperio, dedit Gulielmum, postea Auransiorum Principem: inde Mauritium; Fredericum Henricum, Guilielmum II & III, compluresque alios Comites, qui rem Batavam consilio & armis promovere conati sunt; inter viventes eminent Principes Guilielmus, Frisiæ Gubernator, & Mauritius Vicarius hoc tempore Marchionis Brandenburgici, Principes pietate, prudentia, militari arte clari, omnique prædicatione majores.

NASSOVIA
Comitatus.

Septentrio

WESTPHALIAE PARS

HASSIAE PARS

COMITATUS SIGEN

COM: DILLENBURG.

SOL: Solms

Westerwaldt

WIDDAN COM.

SEYN COM.

ISENBERG COM.

COM BEILSTEIN.

COM: WEILBURGENSIS.

WETTER AUGIA

MENSIS COMITATUS.

COM: DIETZ

COMIT: NASSOV.

COM: CATZENELLEBOGH

COMITATUS WISBADENSIS.

HANOVIENSIS COM.

Occidens

Oriens

Meridies

Notularum explicatio.
Parochia
Schola pub. seu Acad:
Arx
Cœnob.
Sed. Nobil:
Pagus

Milliaria Germanica communia.

Horæ itineris

Amstelodami, Guiljelm. Blaeuw Excudit.

Salomon Rogiers sculpsit.

75

CATTIMELIBOCVM INFERIVS.

Situs. NOn absurdum fore arbitror Nassovio Comitatui Inferius *Cattimelibocum* subjungere. Iacet hic Comitatus inter fluenta Rheni, *Qualitas.* Ringaviam, Comitatumque Nassovium, montosus satis, sed quod incommodum natura plurimis donis rependit, quippe qui frumenti copiosum proventum habeat, vinique nobilissimi sit feracissimus, quibus majorem gratiam adhuc addunt acidi hinc inde fontes. Montes, de quibus paulo ante, accolis *Hunnsruck* vocantur, Latinis *Hunnorum juga*, quo sub Attila Rege diversa in hisce locis castella construxisse annales produnt.

Arces & oppida. S. Goar. Arces & oppida, ut & vici perampli in hoc Comitatu multi sunt, ut est, *S. Goar*, oppidum primarium trans Rhenum situm, quod nomen à pio quodam & sancto viro Aquitano, *Goar* nominato appellationem derivat, qui temporibus Hildeberti & Sigeberti Regum Galliæ, anno 570 templum ibidem exstruxit, ac in eo docuit. Hodie certe illo oppido ad Rhenum nullum celebrius hac de causa, quod omnes novitii, qui Rhenum subvecti Francofurtum prima vice tendunt, sacris quibusdam sed ridiculis initientur, & ex Iudæis, ut tunc vocantur, Christiani fiant, abluti ordinarie vino, & torqui æreo colla indentes Paulo infra oppidum in sublimi montis culmine Arx *Reinfels* jacet, quam Dietericus I Comes Catt. ex Monasterio *Maneburg* dicto in arcem mutavit, anno 1245: at post novem annos vectigal ibidem constituit; unde factum ut iratæ vicinæ ad Rhenum urbes numero sexaginta, collatis viribus quasi ad commune restinguendum incendium, accurrerent, quorum impetus per annum & aliquot septimanas arx delusit, ita ut re infecta discedere & Comiti telonium solvere cogerentur. Cum dein anno 1623 inter Wilhelmun Landgravium Cassello-Hassiæ & Ludovicum Landgr. Darmstadio-Hassiæ controversiæ de successione inferioris Cattimeliboci ortæ essent, ex sententia Cæsaris, Comitatus cum hac adeo munita arce Ludovici interea mortui filio Georgio adjudicatus est in perpetuum anno 1626. Non longe abhinc ad citeriorem Rheni ripam, oppidulum *Gewerhusen* situm est, & supra illud in prærupta rupe arx *Novum Cattimelibocum*, ab incolis *Catz* vocata, & anno 1393 ædificata: hic Rhenus admodum angustus & profundus multos gurgites habet, ita ut multam aquam ibi amittere credatur. Paulo quoque ulterius pergenti occurret mons *Lorley*, qui quod multis foraminibus pateat, adeo resonabili Echo voces datas repercutit, ut plurimis explosionibus clamoribusque prætereuntes animum illa suum exhilarent. In extremo Cattimeliboci angulo offert se oppidum *Braubach*, cum adjacente arce Marcksburg, abruptæ rupi imposita, quam Landgr. Philippus Georgio Darmst. Landgr. certis pactis tradidit, qui illam renovavit & magna sui parte auxit: infra illam autem ad Rheni ripam Philippus Iunior Landgr. *Philippiburgum*, anno 1568 exstruere cœpit, quod anno 1571 absolutum. Diversi hic in vicinia acidi fontes inveniuntur. *Hohenstein* arx excelsæ rupi inædificata, in circuitu suo habet pervetustam arcem *Cattimelibocum* & vicum *Langen Swalbach*, qui propter scaturientes ibidem acidos fontes celebris valde & amœnus, quorum nobilissimus in valle vicina *Muntzebach* ferventi murmure & strepitu, colore claro & pellucido instar chrystalli æstate frigidus, hyeme vero tepidus erumpit, gratus gustui & generosiori vino apprime conveniens. *Gruna* olim Cœnobium, nunc in Xenodochium conversum, ex quatuor majoribus unum numeratur. *Reichenberg* arx structuræ admirandæ, anno 1270 à Wilhelmo III, Comite Cattimelibocensi more Asiatico non tecta, sed superne fornicata, duabus turribus condecorata est; imposita est prærupto saxo intus plurimis fornicatis cameris pervio: videtur tamen opus necdum perfectum esse, mortuo interea temporis Comite. Anno 1629 à Gallo-Wimaricis occupata & firmata præsidio, noctu à præfecto arcis Reinfels tacite adrepente recuperata est. *Lahenstein* Arx ad confluentem Rheni sita, à fluvio Lano nomen habet; paret cum adjacente oppidulo Electori Moguntino.

COMITATVS DIETZ.

Veteres Incolæ. PRiscis temporibus Teucteros post Mattiacorum discessum hunc Comitatum cum Cattimeliboco & Ringavia incoluisse, & dein à Suevis & Cattis expulsos, Annales produnt; totamque hanc regionem à Cattis nomen accepisse, quod postea obsoletum, vel in alia recentiora commutatum est. Paruit hic Comitatus olim suis Comitibus, quorum ultimus Gerhardus duas tantum filias reliquit, quarum natu major Adolpho Nassovio Comitis Iohannis filio nupsit, & Comitatum in Familiam Nassoviorum transtulit: factum id circiter annum 1386: *Situs.* situs est ad utramque Lani ripam, solum habens fertile, multisque naturæ dotibus locupletatum, unde & olim Aureus Comitatus dictus fuit.

Dietz. Nomen Comitatui dat oppidum *Dietz*, duplici arce in singulis saxis exstructa nitens, amœnissimo loco ad Lanum situm, multis undique egregiis cœnobiis cinctum, qualia sunt *Dierstein*, *Gnadenthal* & *Thron*, quæ anno 1628 Elector Treverensis ad se traxit, sed anno 1632 & 36 ea restituere in Scholarum & Ecclesiarum usum coactus fuit. Sunt in hoc etiam Comitatu *Thermæ Embsanæ*, quæ Weisbadensibus Thermis longe præferuntur: *Camberga* & *Kirckberga* in modico, in Dietzano Comitatu oppida, à Comite Gerhardo anno 1355 & 57 ex vicis, quales ante semper fuerant, commutatæ, in medio Cœnobium Gnadenthall habent, de quo jam diximus.

Idstein. Eodem ordine Rhenum versus apparent oppida *Idstein, Epstein, & Wisbaden.* Idstein arx & oppidulum eleganter in valle conditum, non vinetis sed fructuum proventu gaudet, Comitis Iohannis Nassovii sedes: vicinam habet arcem *Adolphseck*, quam Imperator Adolphus rotundæ & præaltæ rupi imposuit, circumcirca piscina cinctam; fossæ arcis ipsis rupibus incisæ sunt.

Epstein

Epstein. *Epstein* arx, cum oppido adjacente, proprium & singulare dominium est plurimos pagos complectens: quod etsi maximam partem Landgravio Hassiæ subjectum sit, media tamen oppidi & arcis pars Moguntino Electori addicta est. Arx ipsa inter duas admodum altas rupes sita est. Vicina huic est arx *Reiffenberg*, egregium certe munimentum, quod suis Baronibus paret.

Wisbaden. *Wisbaden*, Veterum *Mattium*, ut aliqui existimant, ab Adolpho Imper. Comitibus Nassoviis cum adjacente & vini frumentique optimi feracissima regione in feudum sub Comitum titulo concessum fuisse creditur, additis multis privilegiis, & potestate cudendi monetam. Ante aliquot annos autem à Cæsare Electori Moguntino traditum ab eodem adhuc possidetur, relicto incolis libero religionis exercitio. Distat oppidum Wisbaden unum circiter milliare Moguntia, & quatuor Francofurto, nulla re magis quam thermis celebre, quæ hic complures & multis morbis sanandis aptæ. Cœlum salubre, & soli fertilitas multos huc incolas excivit, ita ut iner victnia oppida multum emineat.

ISENBVRG COMITATVS.

Budingen. ISenburg non adeo magnus Comitatus Weida & Sema fluviis includitur: Hujus caput est oppidum Büdingen, ad Semam Fl. situm, arcem habens conspicuam, in qua Comites utplurimum habitavere. Aër incolis salubris est, regio fructifera, in collibus vina, & in vallibus fructus, proferens, & pratorum bonitate armenta distendens. Milliare hinc distat arx perpulchra *Bierstein*, quam Conradus Dominus in Trymberg, anno 1335 Comitibus Isenburgicis vendidit. *Mariebron* Cœnobium celebre est, cui anno 1286 Ludovicus Comes multa privilegia concessit, & reditus cœnobii Haugk addidit.

Beilstein. Nec ampliores sunt Comitatus Beilstein & Weilburg. *Beilstein* pervetusta arx & sedes Comitum Nassoviorum, in eleganti valle inter amœnos montes sita est. Comes Georgius Senior anno 1617 eam inhabitavit, qui non exiguum illi decus contulit, è fundamentis novum erigendo templum, & pulchros construendo hortos, aliisque ædificiis locum hunc augendo.


Weilburg. *Weilburgum* elegans cum oppidulo arx, suo Comitatui nomen communicat: Arcem jam rimas agentem Philippus Comes Nassovius destruxit, & è fundamentis novam erexit, cui ultimam manum addidit filius ejus Albertus; conspicitur in ea alta turris & perpulchrum atrium.

COMITATVS SOLMENSIS.

Termini. SOlms Comitatus primarius includitur ab Oriente Wetteravia, Comitatibus Dillenburg à Septentrione, ab Occidente Wisbadensi & ab Occidente Nassovio. Nomen ab antiquissima Arce *Solms* trahens, quæ ad alterius differentiam *Burgi* agnomen assumens, rudera & vestigia tantum ostentat. Ex oppidis quidem primas meretur *Braunfels*, non adeo amplum aut spatiosum, eximia attamen arce spectabile. *Braunfels.* Multis illa cladibus affecta ultimis Germaniæ bellis, sed tandem anno 1642 rogatu Comitis Iohannis Alberti Gubernatoris Trajecti ad Mosam & hujus loci Domini, à belligerantium præfectis impetravit, ut neutrarum esset partium, discedentibus Gallis, qui eam occupaverant. *Laubacum* modicum itidem oppidulum, insignem arcem habet in valle situm, & in proximo loco, ubi multa & pretiosa terra sigillata invenitur. Pertinent ad hoc oppidum Castellum seu Domus *Ruddelen*, & quidam alii vici. *Licha* amœnum & elegans Solmensis ditionis in Wetteravia oppidulum, vix trecentos habet annos, ex quo conditum est: gaudet cathedrali Ecclesia & arce, in qua Comites resident. In vicinia sunt, dives illud & pulchrum cœnobium *Arnspurg*, (è quo præteritis bellis organum & Bibliotheca ablata sunt & distracta,) & oppidulum *Hungen* cum annexa arce. *Solms* pervetustum castellum à Rheno-Suevici Fœderis ductoribus dirutum: *Greiffenstein* itidem eximium castellum est, cujus conditor ignoratur: id constat jam ante Solmensis arcis destructionem extitisse.

WETTERAVIA.

Nomen.



W*Etteravia* olim singularis Comitatus fuit, nomen mutuata à Wedrevis sive Wedreviis veteri populo, qui illam olim habitavit: sic aliqui: alii autem à Wedera Fl. qui prope Laubacum emanans prope Assenhemium Niddæ confluit, nomen ejus derivant. Clauditur autem Franconiâ ad Orientem, Principatu Hassiæ Inferiori ad Septentrionem; à meridie vero Hanoviensi, & ab Occidente Solmensi & Nassoviensi Comitatibus. Complectitur autem Wetteravia etiam urbes aliquas Imperiales, Francofurtum nempe, Fridbergam & Wetslariam, quædam Isenbergensia & Moguntina oppida, Dominium Epsteinense, & Comitatum Konigstein, Nassauw, Solms, & Hanauw.

Termini.

Qualitas.

Totus hic tractus frumenti vinique feracissimus, aëre fruitur clementissimo, unde vina quæ hic proveniunt optimæ notæ sunt: Nec caret acidis fontibus, quorum aquæ ut salutiferæ, ita & gratæ jucunda mixtione vino confunduntur, cujus vires paululum infringunt, ne bibentibus cerebrum turbet.

Wetzlar.

Wetzlaria urbs S. R. I. libera; fertili in solo ad confluentes Dillam & Lanum, unum milliare infra Giessam situm, pervetusta est, multis regalibus, privilegiis & immunitatibus à Cæsaribus dotata. Anno 1643 misero sed fortuito incendio plusquam septuaginta ædes in favillas abiverunt, quarum multæ fructibus aliisque rebus refertæ erant.

Fridburg.

Fridburgum itidem libera Imperii civitas ad montana situm, quæ ab altitudine nomen *Höhe* acceperunt: anno 1211 ab Imp. Friderico II, & insequentibus temporibus à diversis Romanis Imperatoribus & Regibus eximia privilegia acquisivit, quorum adhuc compos est. Sæpissime hic Imperatores aliquos commoratos fuisse historiæ docent, & inter eos Fridericum II, arcem urbi addidisse, ex suo nomine deinceps *Friderici Castrum* appellatam. Certum est longe ante Friderici illius tempora urbem hanc exstructam fuisse, sed quæ gravibus incendiis media sui parte diminuta foret, templo antea media in urbe existente; quod nunc fere medium milliare extra urbem conspicitur: Nundinas enim hic antea celebratas esse constat, locumque amplum ubique deponendis & asservandis mercibus fuisse, donec Ludovicus IV, Imp. anno 1340 Francofurtum illas transferret, ad promovenda mercatorum commoda, quibus incommodum, merces Francofurtum aqua subvectas, dein tria ulterius milliaria curribus transportare. Postea tamen quatuor annuas alias nundinas ab Impp. impetravit, quæ adhuc vigent, & magna frequentia celebrantur. Visitur hic in platea, ubi Iudæi habitant, pervetustum monumentum, nempe puteus eximiæ artis & magnitudinis; rotundus enim arcuali forma per octoginta quatuor lapideos gradus ad aquam descensum præbet, exinde sub aqua adhuc tredecim aut quatuordecim gradus profundus; per hos gradus ascendere & descendere licet: Iudæi conduxerunt hunc puteum, ad purificationes suas commodius exercendas. Anno 1631 urbs hæc cum arce, quæ in rupe satis largiter ædificata, in Suecorum; & anno 1640 in Saxonum manus venit, quam eodem anno Cæsarei recuperaverunt.

Oppida.

Fridburgum sequitur oppidum *Stada*, non adeo spaciosum, sed multorum nobilium familiis inhabitatum; aditus ex oppido in arcem Hassiam versus sex pontibus interclusus est: præter utilem sibi fluvium Niddam, qui medium oppidum perlabitur, multos quoque acidos & salutares fontes habet, & circumcirca bonæ notæ vineta. *Ortenburg* cum arce, oppidum prope *Glanberg* situm, in quo monte grandis olim urbs ab accolis diruta, vicum sui nominis ex ruderibus reliquit, & cœnobio *Conradsdorf* exstruendo lapides subministravit. *Mintzenberg* ad montem Höhe situm, egregiam olim arcem habuit, cujus binæ sed destructæ turres adhuc supersunt. *Butzbach* modicum sane oppidum, eximiam arcem & adjunctos illi ornatissimos hortos ostentat, medio inter Fridbergam & Giessam situm loco, utraque duobus mill. distans. Anno 1633 die S. Ioannis incuriâ alicujus aurigæ plusquam 100 ædificia conflagrarunt, cum maxima arcis parte, quam deinceps Ludovicus Senior Landgravius restaurari curavit.


COMITATVS HANAW.

Nomen.

NOmen *Hanovia* ab Hunis accepisse fertur, populo olim cis Rhenum celebri & bellicoso: pars est Wetteraviæ, vino, frumento ferarumque multitudine abundans.

Hanovia.

Caput autem totius Comitatus *Hanovia* urbs sita est ad fluvium Kintz, qui paulo infra hanc Mœno confluit, loco commodissimo, 2 milliar. Francofurto, 6 vero mill. fluvio Rheno distans. Dividitur illa in urbem veterem & novam, quarum illa sordidior, arce tantum & firmis propugnaculis gloriatur: hæc autem ante paucos annos ab Hollandicis mercatoribus auspiciis Comitis Hanoviensis condita, vere nitorem Hollandorum refert, adeo expolita & quadratis platearum discriminibus distincta, ut nihil supra: nec munimenta quoque desunt, imo veteri urbi, quod hæc attinet, non multum cedit; major tamen est, & ecclesiam, in qua Gallice & Belgice verbum Divinum docetur, cum nova & sibi propria Curia habet. Anno 1631 Hubaldius Suecorum Dux stratagemate urbem ceperat, & veterem à nova urbe diviserat, donec anno 1638 iterum stratagemate occupata Domino suo Comiti Philippo Mauritio restitueretur. Hoc Comite fatis functo, vidua, ex Anhaltinorum Principum familia oriunda, nomine minorennis filii urbem suo præsidio tenuit, usque dum hoc mortuo patruus Comes Ioannes Ernestus regimen adipisceretur: hoc



WETTERAVIA. Vulgo die Wetterauw.
Septentrio.
Meridies.
Occidens.
Oriens.
Millaria communia sive Horae Itineria
Giessen
Wetzlar
Weilburg
Busecker thal.
Grunberg
Lich
VOGELS BERG.
Butzbach
Usingen
Muntzenberg
Budin ger Waldt.
Ortenburg
Nydd
Fridberg
Homburg
Staden
Assenheim
Wechtersbach
Budingen
Gelnhausen
Steinaw
Salmunster
Wertheim
DIE HOCH
Konigstein
Cronburg
Windecken
Hanaw
Hochst
Franckfurt
Sachsenhausen
Offenbach
Franckfurter Walde
DREY EYCH
O. Steinheim
Seligenstatt
SPESS HART WALD
Hofheim

quoque septimo post mense decedente in alteram ejusdem tribus familiam Comitatus recidit, nempe ad Fridericum Casimirum Comitem Hanoviæ Lichtenbergensem, qui tum temporis vix decimum nonum annum ætatis egressus erat.

Oppida. *Bobenhausen* porro modicum hujus Comitatus oppidum, Aschaffenburgum versus situm est, eleganti arce superbiens; anno 1631 à Tillicis militibus astu captum, sed à Suecis deinde recuperatum est; *Steinheim* prope Salmunster huic Comitatui accensetur, Ducatus alias Herbipolitani feudum. Cognomentum *Ad viam*, An der Straß/ accepit, quod omnes, qui Francofurto Lipsiam tendunt, per hoc oppidum transire cogantur, ad differentiam alterius Moguntini oppidi, trans Mœnum siti, quartam milliaris partem Hanovia distantis. *Schlüchter*, Cœnobium *Solitariense* dictum, in confiniis Fuldensis Abbatiæ, cum oppidulo adjuncto, Comitibus Hanoviensibus paret; qui idem Cœnobium in Gymnasium converterunt. *Hirtzenhain* & *Conradsdorp* duo cœnobia, tribus Dominis diversis subdita sunt, quorum unus Comes Hanoviensis.

Gelnhausen. Paulo supra Hanoviam ad flumen Kintz urbs Imperii libera *Gelnhusa* sita est, proxime saltum *Spessartum*, qui viginti milliaria in longum exporrectus, quatuor vel quinque in latitudinem extenditur. De hac urbe ita Reusnerus:

Vitiferos colles Gelnhusa ostentat, & ædem
Insignem cultu divitiisque sacram.
Cæsaris hinc arcem Friderici nomine Primi,
Quæ magnum decus est urbis & alter honos.

Divisa est tamen urbs ab hac arce, & Imperio tantum subdita, proprium habens dicasterium, Burggravio nullum nisi in ipsa arce jus exercente.

KÖNIGSTEIN COMITATVS.

Comitatus hic continet urbem *Vrsel*, cum arce & oppidulo Königstein, amœnisque aliquot pagis, profert autem vina & frumenti copiam grandem, quibus ardua nemora & venationes addere lubet.

Königstein. Arx ipsa *Königstein* excelso & spatioso monti imposita, oppidulo quasi imminet, in qua Carolus M. olim frequentem conventum instituit. Adjacet prope arx *Kronenburg*, in qua multa veterum monumenta conspiciuntur, olim *Trajani Castrum* dicta, qui eam ad Cattorum excursiones arcendas & retundendas exstruxit. Ab altera Konigsteinii parte offert se arx *Falckenstein*. Non longe post decimum quintum à nativitate D. nostri Iesu Christi sæculum, ad Archiepiscopos Moguntinenses hujus Comitatus possessio delapsa est, qui eum adhuc in sua potestate retinent.

WITTGENSTEIN COMITATVS.

Situs. Situs est *Wittgensteinensis* Comitatus inter montana, quorum pars *das Rothhaar* appellatur: ex hoc monte quatuor primaria flumina ortum ducunt, Lanus Orientem versus cursum dirigens, & exinde incurvans se Marpurgum alluens; Dilla meridiem & Dillenburgum versus; Sega ad Occidentem Sigam & Coloniam respiciens, Edera autem Septentrionem versus Francobergam & Cassellam præterfluens.

Arx. Arx ipsa ad Lahnum excelsæ inædificata rupi, jam anno 800 in Annalibus memoratur, cujus Comes ultimus anno 1360 fato functus, unicam filiam reliquit, quæ postea Comiti à Sayn nupsit. Oppida tantum duo hic Comitatus continet, *Lasphe*, & *Berleburg*, quod à præterlabente amne nomen mutuatur, conditum demum anno 1258; vicinum habet densum saltum, olim ursis plurimis quasi refertum, unde oppido antea *Berenbach* nomen inditum. *Lasphe* vero antiquissimum hujus ditionis oppidum, ad Lahnum infra arcem Wittgenstein situm est. Adeo autem copiosus Comitibus proventus ferarum, piscium, avium, frumenti & armentorum redit, ut nulla re nisi asello, halece & aromatibus ad culinæ suæ sustentamentum indigeant.

COMITATVS NIDDANVS.

Comitatus Niddanus vicinos habet Comitatum Isenburg, Wetteraviam, Vogelsberg & Principatum ad Lahnum: regio pinguia & fertilia arva habet, & egregium salis fontem; quibus circumjacentes ditiones superat, in reliquis naturæ donis ne unguem quidem illis concedens. Caput hujus est oppidum & Arx *Nidda*, cui olim proprii Comites præfeure; nunc autem Hassiæ Princeps Dominus est. Hospitali seu Xenodochio Niddano Comes Ludovicus, anno 1268 prædium *Brungesrode* cum omnibus suis appendicibus 40 marcis argenti vendidit. *Nidda.* *Ringaviam* quidem hic adderem, utpote quæ in Superiori Hassia sita sit; quia vero plurima ejus oppida in Moguntini Archiepiscopatus descriptione enumeravimus, repetere eadem supervacuum videtur.

TER-

TERRITORIVM FRANCOFVRTENSE AD MOENVM.



Ertur Carolus Magnus Francorum Rex, quum Saxonas bello urgeret, sæpius rebelles, & Mœni fluminis alveo præsidentes, quod nullus adhuc pons ripas jungeret, subito occultis vadis Francos traduxisse, & Saxonas in adversa ripa nec opinanter devicisse, inque ejus rei memoriam loco nomen, & prærogativas quasdam dedisse. Atque hoc voluit Ligurinus, quum de electione Friderici I Barbarossæ Francofurti facta sic scribit:

Elogium.

Conveniunt Proceres, totius viscera regni,
Sede satis notâ, rapido quæ proxima Mœno
Clara situ, populoque frequens, murisque decora est:
Sed rude nomen habet, nam Teutonus incola dixit
Francofurt, nobis liceat sermone Latino
Francorum dixisse vadum, quia Carolus illic
Saxonas indomitâ nimium feritate rebelles
Oppugnans, rapidi latissima flumina Mœni
Ignoto fregisse vado, mediumque per amnem
Transmisisse suas neglecto ponte cohortes
Creditur: inde locis mansurum nomen inhæsit.

Vrbis divisio.

Dividitur urbs in duas partes, ultra & cis Mœnum: major Francofurtum, minor Saxenhusium vocatur, quasi dicas Saxonum domum. Vtraque vero uno eodemque jure & Magistratu regitur. Insignis autem est hæc urbs jure Cæsarum Romanorum ibi deligendorum, quod inde usque ab Arnulpho I usurpatum, ac lege tandem Imp. à Carolo IV lata (quam auream Bullam vocant) confirmatum est. Adeo ut si forte in electione duo Cæsares nominentur, alter alterum cum exercitu in agro suburbano exspectare teneatur, & vel prælio decernere, vel sponte cedere. Ac tunc quidem victor in urbem recipitur, & Rex Romanorum salutatur. Tale certamen fuit inter Henricum Lantgravium Thuringiæ, & Conradum, Friderici II filium. Item inter Ludovicum Bavarum, & Fredericum Austriacum: & inter Guntherum Swartzenburgicum Comitem, & Carolum IV. Habet præterea hæc urbs ædificia sacra & profana, augusta. Templum S. Bartholomæi, opus Pipini Francorum Regis: Domum Teutonicam in sinistra ripa; pontem ex saxo adfabre factum, curiam, forum, Carmelitarum ædem, in qua Apellæa tabula Dureri. Habet & nundinas quotannis binas, frequenti non Germanicæ tantum nationis, sed Gallorum quoque, Belgarum, Anglorum, Italorum, Sarmatarum panegyri celebratas, quarum alteræ vernæ sunt, alteræ autumnales; quibus emporium istud toto orbe famosissimum inclaruit. Obsedere eam anno 1552 Albertus Marchio Brandeburgicus, & Mauritius Saxoniæ Dux. De hac sic olim Iulius Scaliger:

Multa laboratis debet Francfordia sulcis,
Multa racemiferis vinea culta jugis.
Quid referam quanta & quæ convexêre metalla?
Quæ Mars bellipotens, quæ petit alma Ceres?
Huc Italus patriis miratur partibus Orbem
Advectum, stupet huc Gallia magna suum.
Hic Oriens, hic terra novis comperta sub astris
Agnoscit genii semina plena sui.
Nec tamen in brutis sola hæc commercia rebus,
Hic animi æternæ sed cumulantur opes.
Quod si res paucas operosa est dicere merces,
Num magis est cunctas res operosa dare?

Nescio quid viris bonis in mentem venerit, quod putarint eam unquam vocatam Helenepolim; & tamen in hac credulitate video etiam fuisse Henricum Stephanum, cui suffragatur quoque Munsterus; à quo & quando sic vocari cœptum, non addit. Tali autem informamur documento historiarum, ejus famam ante Caroli Magni tempora celebratam fuisse; siquidem Pipinus Francorum Rex, Caroli Magni Pater, hic templum in honorem Salvatoris instituit, quod Carolus Magnus anno 794 ingentibus donis & beneficiis ditavit, & post annum in Cathedralem Ecclesiam evexit, cujus Diœcesis S. Bartholomæi dicta fuit. Petrus Gregorius Tholosanus in suo Iuris syntagmate refert, Concilium hic fuisse celebratum sub Zacharia Papa anno 742, in quo Magia & huic arti addicti damnati fuêre. Cæterum ex aliis Latinis Historicis constat, non solum Carolum Magnum, verum etiam reliquos post illum Romanorum Imperatores & Reges domicilium hic fixisse, multosque Imperii conventus celebrasse, qua de causa *Villa Regia* nominari meruit; siquidem semper ab iis amatus hic locus, ideoque eum multis privilegiis & immunitatibus ornarunt præ cæteris urbibus. Franciscus Irenicus in Exegesi sua Germaniæ testatur, à se visos in cœnobio quodam hujus urbis septem libros, quos Diaconus aliquis, nomine Entrandus, de hac urbe conscripsit. Vbi autem Iccorum, & an adhuc existant, sciri non potuit. Optandum quidem esset, ut non solum hujus urbis libros, sed & aliarum rerum antiquarum elogia haberemus. Quod ejus nomen concernit, Francofurtum tantum significat, quasi diceres, Francorum trajectus,



Novam Hanc TERRITORII FRANCOFVRTENSIS Tabulam
Nobiliss.is Magnificis, Ampliss.is Prudentissimisq. Dominis
Dnn. PRÆTORI, CONSVLIBVS, SCABINIS ET SENATORIBVS
inclytæ ejusdem vrbis et Reip. Francof.
Viris prestantissimis, Humanissimis, integerrimisque, Domins fautoribus suis
in reverentiæ signum merito D.D.D. Johan. et Cornel. Blaeu.
IVSTITIA
CONSILIVM
CON CORDIA
H. Johan Maximilian Kellner alter Burgermeist
H. Hieronymus Steffan von Cronstetten Schultheis
H. Johan Maximiliã Zum Jungen Junger Burgermeist
H. Joh. Philips Weiss von Limburg
H. Hector Wilhelm von Gunterode
H. Thomas Daller
H. Hans Jacob Seckel
H. Johan Schwindt
H. Hieronymus Stalberger
H. Johan Maximilian Kellner
H. Johan Cristoff Treudel Doctor
H. Hieronymus Eberhart
H. Hans Heinrich Zum Jungen
H. Johan Treudel
H. Caspar Philips Fleischbein
H. Hieronymus Humbracht
H. Oyer Christoff Volcker
Dr. Melchior Erasmus Sindicus
Dr. Maximilian Faust von Ashaffenburg Syndicus
Dr. Georg Hieronymus Marstaller Syndicus
H. Johan Maximilian Zum Iungen
H. Johan Christoff Kellner
H. Philips Christian Uffsteiner
H. Hans Jacob Muller
H. Vincentz Stemmeyer
H. Johan Christoff Bender I.V. Licentiat
H. Johan Adam Uffsteiner
H. Achilles von Hynsberg
H. Hans Georg Grambs
H. Johan Cless
H. Philips Ludwig von Melem
DER BORNHEIMER BERG
DAS BVCHER
DIE DRIE EICH
DIE ROEDER MARCK
FRANCFORT
Hoechst
Hanaw
Offenbach
Moenus fluvius
Der Mein Flus
Bergen
Egels bach
Messel
Dimidium Milliaris

jectus, cujus frequentissimus fuit usus, Carolo Magno adversus Saxones bella gerente. Secundum Trithemii opinionem, quam Munsterus in sua Cosmographia adducit, nomen accepit à Franco Marcomiri filio, urbis hujus autore. Altera pars hujus civitatis, quæ ad sinistram Mœni ripam posita cernitur multo minor, annectitur majori, ponte quodam insigni lapideo. Caroli Magni tempore non tanta in ambitum patuit, quanta nunc temporis, siquidem paulatim rerum fortuna crescente, magis magisque adaucta, ejusque pomœria hinc & inde extensa fuêre, præsertim sexaginta annorum intervallo præclaris ædificiis & palatiis nitere cœpit. Territorium Francofurtense terminatur ad orientem Comitatu Hanovia; ad meridiem districtu Darmstatensi, qui Lantgravii Darmstatensis est; ad occasum Moguntinum intuetur Archiepiscopatum, & septentrionem versus habet Wetteraviam.

Limites.

Anno 974 Carolus Magnus, Pipini filius, qui plerumque hic suum domicilium fixit, Synodum Episcoporum instituit contra Felicis hæresim, qua damnata, etiam de imaginum usu tractatum est. Eo ipso anno Fastarda Imperatoris conjux obiit, sepulta ad *S. Alben* prope Moguntiam.

Dissidium.

Anno 1240 cum fidem Christianam filius cujusdam Iudæi professus baptismo initiari vellet, parentibus vero & amicis plane renitentibus, magnus tumultus inter Christianos & Iudæos ortus est, quo non solum Christianorum quidam, sed & Iudæorum centum & octoginta interierunt, partim ensibus confossi, partim flamma absumpti, quam ipsi Iudæi passim per civitatem habitantes excitarunt: quo tempore media civitatis pars pene incendio conflagravit. Videntes Iudæi fore ut in vitæ & necis periculum incurrerent, viginti quatuor una cum Rabbino ad Baptismum confugerunt.



HAS.

HASSIA

LANTGRAVIATVS.

Veteres populi.



Assi sunt Catti, mansitque nominis vestigium in Cattis Melibocis, quorum sedes nunc vocant *Catzen-Elbogen*. A populis postea transiit appellatio ad regionem. Nam veteres nullam Cattiam vel Hassiam nominant. Habet autem regio ista ad Ortum Thuringiam; ad Austrum Franconiam, cum Hennebergensi Comitatu; ad Occasum Westphaliam; ad Septentriones Ducatum Brunswicensem, cum Episcopatu Mindensi & Paderbornensi. Ac initio fuit Comitatensis. Sub an. vero Christi 1042 evecta est in Lantgraviatum. Diserte enim sic legitur in libro Torneamentorum: *An. Christi 1042, Ludovicus Comes Hassiæ fuit Hallis in ludo militari ibi celebrato: sed factus deinde Lantgravius ascendit filia supra matrem.* Sunt autem Lantgravii Comites majore quam cæteri Comites dignatione. Tales vero Provinciarum Præfecti & Comites in Romana republica fuerunt, quemadmodum ex Notitia Imperii liquere potest. In Germania ad imitationem Romanorum variis locis constituti sunt, titulo ipsis dato vernaculo, Germanicæ originis. In Hassia & Thuringia præcipui fuere.

Termini.

Olim Comitatus.

Regionis indoles.

Pleraque Hassia montosa est, ferax frumenti, lini, & leguminum. Mineralia, metallorum venas, lapicidinas, carbones fossiles, fontes acidos, Thermas, salinas, & quæcunque porro terræ munera regio desiderare potest, affatim subministrat. Ferarum aviumque & piscium ubique copia ingens, nec non jumentorum passim errantium innumeri greges ubique omnium oculis se ingerunt.

Flumina. *Montes.* *Incolæ.*

Flumina habet Visurgim, Lupiam & Adranam, amnes Tacito celebratos, ac præterea Lanum, Fuldam, aliosque. Montes, Melibocum, Taunum, Abnobios. Gens omnis gravis, animosa, sobria, laboris patiens, ingeniosa, fidei amans, libertatis suæ & publicæ conservatrix.

Divisio.

Dividitur omnis Hassia in Superiorem & Inferiorem, quarum hæc Inferiorem Hassiæ Principatum, Comitatus Zigenhaim & Waldeck, & Abbatiam Hirschfeldensem complectitur. Caput Inferioris Principatus est *Castellum Cattorum*, sive, ut vulgo nunc usurpatur, Cassella, *Cassel*. A Druso conditum est. L. Florus res gestas Drusi describens extremo suo opere, Præterea, inquit, in tutelam provinciarum præsidia atque custodias ubique disposuit, per Mosam flumen, per Albim, per Visurgim. Nam per Rheni quidem ripam, quinquaginta amplius castella direxit. Itinera vero & profectiones Germanici in Cattos descripsit prolixe Tacitus primo Annalium. *Germania.* Ac posuit castellum illud consulto Drusus in ripa amnis læva, quod hæc Rheno esset & Mattiacis propinquior. Mattiaci enim inter Cattos & Rhenum siti, minus erant alieni à Romanis. Certe Taciti ævo ita ipsis addicti, ut in eodem eos dixerit fuisse obsequio cum Batavis, sede quidem finibusque in sua ripa, Germanica scilicet, sed mente animoque cum Romanis agentes. Ad amnem ergo Fuldam, læva ejus ripa, novem millibus passuum à confluentibus Visurgis castellum struxit Drusus Germanicus adversus Cattos, gentem Germanorum fortissimam; cujus virtutes moresque prolixe ipse libello singulari exequitur. Habemus igitur Castellum Cattorum in Germania, sicut alibi, Castellum Menapiorum, Castellum Morinorum, quæ eadem flexione vocis, *Cassel* vel *Kessel* vernaculo sermone appellantur. Quæ quum ita sint, nescio cur Fr. Irenico placuerit dicere, hanc esse Ptolemæi Stereontium. Vrbem præterlabitur Fulda, uti diximus, irrigant Ana & Trusula. Sedes hic est Lantgravii. Ager suburbanus fœcundus; prata ovibus imprimis pascendis apta, quarum insignis copia non tantum carnes suppeditat ad cibum, sed etiam vellera ad vestem, lanam ad textrinas. Est ergo in hac urbe lanæ lucrosa negotiatio, quam etiam ex Buchonia omnique reliqua Thuringia cives sollerti cura coëmunt, & ingentibus saccis stipatam ad exteras regiones deferunt. Ipsi etiam Angli, quorum lanificia imprimis hactenus laudata sunt, magnam lanæ vim quotannis hinc ad se asportatam caro emere consueverunt, pannosque suos Hamburgi, Stadæ, & Francofurti ad Mœnum divendere. Solebatque Antverpiæ ejus negotiationis sedes esse, atque inde lana Londinum transmittebatur.

Cassel. *Fertilitas.* *Mercatus.*

Eschwegen.

Secunda hujus Principatus urbs est *Eschwega*, grato in colle ad fluvium Werram sita, originem suam Carolo Magno, vel ad minimum mœnia sua accepta refert, qui itidem in S. Cyriaci monte cœnobium virginum fundavit, nunc in Scholam commutatum. Cum deinde bello Hungarico destructa esset, Henricus II cognomento Sanctus, urbem reædificasse & multis novis ædificiis exornasse legitur. Anno 1581, Landgravius Wilhelmus arcem magnificis & splendidis structuris renovavit; Mauritius autem an. 1595 artificiosis picturis & amœnissimis hortis auxit; tria præterea templa in hac urbe spectantur, parochialis Ecclesia in urbe veteri, S. Spiritus autem & sanctæ Catharinæ templa in nova urbe, non minimum urbi ornamentum adferunt: huc accedunt Xenodochium in Augustinorum cœnobio, Curia item, Cella vinaria publica & Domus Mercatorum, ut & multa alia minora ædificia publica, nec non privata, quorum nitor urbem hanc longe super alias vicinas elevat.

HASSIA Landgraviatus.

Brunswicensis Ducatus.

DVCATVS WESTFALIÆ PARS.







THVRINGIÆ LANDGRAVIATVS PARS.

ANDERLOON FORSTENDOM.

Milliaria Hassica.

Mill. German. comm.

FVLDENSIS DIŒCESIS PARS.

COMIT HENNENBERG



Homburgum Hassiæ. *Homburgum* nomen suum cum duobus aliis oppidis commune habet, quorum ad discrimen hoc *Homburgum Hassiæ* vocatur; in loco eminentiore situm, gratum in adjacentes campos prospectum habet. Templum eleganti turri conspicuum anno 1374 fundatum est: anno 1512 nova & vetus urbs, quarum illa Xenodochium quoque & templum habuit, cujus turris cupro contecta erat, in unam Communitatem & Senatum redacta est. Anno 1636 Cæsarianorum Dux Gotzius urbem brevi temporis spatio occupavit; arcem tamen, nonnisi cum multa suorum cæde & magno temporis detrimento, deditione in potestatem redegit.

Milsungen. *Milsunga* amœna, quamvis non adeo grandis, urbs Fuldæ fluvio adjacet. Adjecit illam suis ditionibus, ut annales memorant, Hermannus Thuringiæ Landgravius tempore Imper. Henrici VI, cum antea Episcoporum esset Moguntinensium. Arx, seu palatium, Landgraviorum an. 1550 de novo erecta & multis structuris aucta est à Landgravio Guilielmo Seniore, qui dein novam in urbe curiam ædificari fecit, sicut & ejus successor Mauritius Fuldam lapideo ponte stravit.

Rotenburg. *Rotenburg* præcipua quoque hujus Principatus urbs, prope Hirschveldiam ad Fuldam fluv. sita est, altissimis undique montibus circumdata; arcem habet multis egregiis cameris, atriis aliisque structuris decoram; in qua præterea templum totum ex marmore, & splendidissimi horti conspiciuntur: nec non in magnifico quodam atrio totius Hassiæ nobilitatis insignia, quæ dein ligneis typis incisa & divulgata sunt.

Spangenberg. *Spangenbergæ*, inter Homburgum & Eschwegam sitæ initia quæ fuerint, non constat: Arx rotundo & excelso monti inædificata est, propugnaculis, muris, fossisque mediocriter munita.

Trefurt. *Dreifurtum*, olim *Drivordia*, Werræ fluvio adjacet, suis antea Dominis subdita, qui cum ad an. 1329 multa mala in Hassia & Thuringia committerent, tandem ab Hassis, Thuringis & Moguntiacis obsidione pressi, arcem dedere coacti sunt; hinc adhuc in tres partes hoc Dominium divisum est. Plura præterea oppida numerantur in Principatu Inferiore: *Cappel, Grendelborg, Geismar, Guderberg, Lichtenaw, Wanfried, Witzenhausen, Zierenberg*, & multa alia; item arces *Boineburg, Sensenstein*, & *Plessen*, quod sui juris pervetustum Dominium est.

Genealogia. Qui hodie rerum in Hassia potiuntur, originem ducunt ex duabus Illustribus familiis, una Brabantina, altera Thuringica. Ac fuit Lantgraviatus iste Thuringico nexus, usque ad Henricum Magnanimum Brabantiæ Ducem, qui ducta uxore Sophia Ludovici Lantgravii & S. Elisabethæ filia unica, ditiones istas conjunxit. Nec manserunt diu junctæ; Henricus quippe Puer & Henricus Mansuetus fratres, de paterna hæreditate disceptantes, ita inter se transegerunt, ut Mansueto quidem Brabantia cederet, Puero vero Misnia, Thuringia, Hassia. Itaque ab illo deinceps Genealogia ducitur Ducum Brabantiæ, ab hoc Lantgraviorum Hassiæ. Brabantinorum vero Procerum series usque ad Henricum Magnanimum sic se habet:

Lambertus Longicollius Dominus Lovanii, interemptus à Gothofredo Duce Lotharingiæ, an. Christi 1015.

Henricus I, Lamberti filius Comes Lovaniensis, periit an. 1038.

Ex hoc natus *Lambertus* II, Comes Lovanii, Marchio Rhiæ, interemptus an. 1054.

Huic successit *Henricus* II Lamberti filius, occisus in lecto, an. 1068.

Hujus filius fuit *Henricus* III Comes Lovaniensis, qui obiit an. 1095.

Henrico successit filius ejus, *Gothofredus* I Barbatus, qui obiit anno Christi 1120. Vxor ejus prior fuit Sophia filia Henrici IV Imperatoris; & Clementia, filia Guilielmi Comitis Burgundiæ.

Gothofredum patrem excepit *Gothofredus* II filius, primus Brabantiæ Dux factus à Conrado Tertio Imperatore. Excessit è vita anno 1143. Vxor ei Lutgardis filia Gebhardi Comitis à Sulzbach, soror Gertrudis Imperatricis.

Hunc secutus est *Gothofredus* III, qui ex uxore Margareta filia Henrici Comitis Limburgensis, suscepit Henricum Probum, Albertum Episcopum Leodiensem, Henricum Cuchii Dominum, & Gulielmum Dominum Parnesii: obiit anno 1183.

Henricus Probus ex Mechtilde filia Matthei Alsatici filium habuit unicum, Henricum Magnanimum: obiit an. 1230 Coloniæ.

Henricus Magnanimus uxorem habuit, priorem quidem Mariam filiam Philippi Imperatoris: posteriorem vero Sophiam, filiam & hæredem Ludovici Lantgravii. Liberi fuere ex altera Henricus Mansuetus, ex quo profecti sunt Duces Brabantiæ & Comites Hornæ; ex altera Henricus Puer Lantgravius Thuringiæ & Hassiæ, per quem series postea Lantgraviorum decurrit. Porro Magnanimo filiæ fuere Mechtildis, Ruperti Artesii uxor, & Maria, nupta Ludovico II Palatino, de qua suo loco diximus.

1 *Henricus* I infans ex eo dictus fuit, quod eum pater moriens vix bimulum reliquit, natus est enim an. 1245, pater è vivis excessit anno 1247. Ab hoc exstructum est templum Francoburgense: obiit anno 1308. Vxores habuit Adelheidam, filiam Alberti Ducis Brunsvicensis, Mechtildem filiam Theodorici VI Comitis Cliviæ; & Annam filiam Ludovici Severi Comitis Palatini: liberos permultos: Filiæ fuere Elisabeth, primum nupta Ioanni Comiti in Sain, postea Gebhardo Comiti in Epstein: Mechtildis, uxor Gothofredi Comitis in Zigenheim: Adelheidis, elocata Bernhardo Comiti Hennebergico: Sophia, Ottoni Comiti in Waldeck, nec non alia quædam nupta Alberto Comiti Gortzio.

2 *Otto* Henrici filius, Hassiæ Lantgravius, uxorem habuit Adelheidem Comitissam Ravensburgicam; obiit anno Christi 1329. Ejus frater Ioannes Lantgravius extinctus est anno Christi 1311, habuitque uxorem Adelheidem filiam Henrici Mirabilis Ducis Brunsvicensis. Ludovicus Episcopus Monasteriensis desiit vivere anno 1320.

3 *Henricus* dictus Ferreus, Ottoni successit, qui cum fratre suo Ludovico ditionem partitus est, ea lege,

lege,ut quum uterque eandem virginem ambiret, Elisabetam, Friderici Admorsi filiam, is qui repulsam ferret, cælebs permaneret. Nupsit autem Henrico, à quo tamen postea repudiata est, anno 1340, ducta altera conjuge Mechtilde filia Theodori IX Comitis Cliviæ. Ioannes frater promissi immemor,uxorem duxit Margaretam filiam Comitis in Spanheim.

4 *Otto Sagittarius* Lantgravius Hassiæ, mortuus est anno 1354, improlis. Ejus soror Elisabeth filia Henrici Ferrei, nupsit Ottoni Duci Saxoniæ Inferioris. Adelheidis vero Casimiro regi Poloniæ, à quo domum remissa est, anno 1356. Ita deficiente hîc linea, cessit Lantgraviatus posteris Ludovici.

5 *Hermannus,* Ludovici filius, Lantgravio Thuringiæ Balthasari adversus Ottonem Brunsvicensem suppetias tulit anno Christi 1327. Senex admodum vita functus est, anno Christi 1414. Ejus uxor prior fuit Ioanna filia Ioannis Comitis Nassovii: posterior Margareta,filia Friderici III Burggravii Norinbergensis. Filia ejus Margarita nupsit Henrico Duci Brunsvicensi: Agnes vero Ottoni Duci, Domino in Gottingen.

6 *Ludovicus* cognomento *Mitis,* natus an. Christi 1402, primus fuit Comes Zigenheimii & Niddæ. Hic ille est, qui Imperii summum honorem ad se delatum in alium rejecit: mortuus est anno Christi 1458. Vxorem habuit Annam filiam Electoris Saxoniæ. Liberi ex ea fuere, Hermannus Archiepiscopus Coloniensis, qui obiit anno 1508. Henricus & Ludovicus ambo Lantgravii; Fridericus, qui puer vitam finivit; Elisabetha, uxor Ioannis Comitis Nassovii in Weitburg.

7 *Henricus* III major natu filius, natus anno Christi 1440, Marpurgi aulam habuit, auctus Comitatu Cattimelibocensi ab uxore Anna, ultimi Comitis Philippi filia, mortuus est anno 1483. Filium habuit Guilielmum dictum Iuniorem, ut à duobus aliis Guilielmi Ludovici III filiis distingueretur: hic in venatione ex equo lapsus interiit, anno Christi 1500 sine liberis, relicta vidua Elisabetha, filia Philippi Palatini Electoris. Filiæ Henrici fuere, Mechtildis, nupta Ioanni II Duci Cliviæ; & Elisabeth, uxor Ioannis Nassovii Comitis in Dillenburg.

8 *Ludovicus* III, Comes Zigenhemii & Niddæ, aulæ sedem habuit Cassellis: duos sustulit filios ex uxore Gulielmos, alterum dictum Seniorem, alterum Iuniorem; obiit anno 1471. Vxor ei fuit Mechtildis, filia Ludovici Comitis Wirtenbergici. Hermannus ejus frater Archiepiscopus Coloniensis, & Præpositus Paderbornensis, vir fuit excelsi animi: Novesium à Carolo Burgundo obsessum strenue defendit, oppositusque est Ruperto Palatino Archiepiscopatus competitori, anno 1475.

9 & 10 *Guilielmus* Senior hæreditatem paternam cum fratre post excessum Ludovici divisit, sed ob leves caussas, cum ingenio esset querulo, resiliit. Captus, ditionibus suis exutus est. Obiit anno Christi 1515. Vxorem habuit Annam, filiam Guilielmi Ducis Brunsvicensis, ex qua non nisi filias suscepit, Mechtildem nuptam Cononi Comiti Tecklenburgico; Catharinam uxorem postea Adami Comitis à Beichlingen; Elisabetham nuptam primùm Ludovico Palatino Bipontino; postea Georgio Palatino Simmerensi. *Guilielmus* ergo *medius* auctus tot ditionibus potens fuit. Ab hoc profecti sunt quotquot nunc Hassiæ Lantgravii dicuntur. Vxores habuit duas, priorem Iolantem, filiam Friderici Comitis Vademontii; alteram Annam, filiam Magni, Ducis Mechlenburgici; filium Philippum: filiam Elisabetham, uxorem Ioannis Ducis Saxoniæ.

11 *Philippus* totius Hassiæ Lantgravius, Comes Cattimelibocensis, Ziegenhemius & Niddensis, tumultus rusticorum adversus Præsules Moguntinum & Herbipolensem repressit. Anno Christi 1527 Academiam fundavit Marpurgi. Sequenti, copias ingentes armavit adversus eos qui ipsum & Electorem Saxonicum dicebantur oppressuri. Ad compescendos etiam Anabaptistas, Duce Ioanne Leidensi tumultuantes Monasterii Westphaliæ oppido, militem suum misit. Anno 1546 cum Fridericus Saxoniæ Elector captus esset, persuasus ab Electore Brandeburgico & Mauritio Saxone, ultro se fidei Imperatoris commisit dediditque, à quo in carcere habitus est totum quinquennium, frustra intercedentibus pro ipso Germaniæ Principibus. Tandem tamen quum vis ostentaretur, dimissus est. Anno 1557 composita est controversia inter ipsum & Comitem Nassovicum de Comitatu Cattimelibocensi, quæ jam annos pene quinquaginta duraverat. Conventum, ut abrogata Cæsaris sententia, qui Nassoviis eum adjudicarat, Comitatus ille in potestate maneret Lantgraviorum Hassiæ, ea lege, ut is Comiti Nassovio sexies centena millia aureorum exsolveret, & Comitatu insuper Dietzensi cederet, utque Lantgravii nihilominus titulum haberent Dietzensium Comitum, & arma gentilitia: Comites vero Nassovii etiam vocarentur Cattimelibocenses, & arma illa in suis insignibus gererent. Ita plenus ævi obiit Philippus an. 1567. Vxor ei fuit Christina filia Georgii Ducis Saxoniæ. Filii, Guilielmus, natus anno 1532; Philippus, natus anno 1534, qui infans obiit. Philippus alter, natus anno 1541, & Georgius natus anno 1547. Filiæ, Agnes nupta Mauritio Electori Saxoniæ, ac post illum Ioanni Friderico Duci Wimariensi; Anna nupta Wolfgango Bipontino Comiti Palatino; Barbara, quæ primis nuptiis habuit maritum Georgium Comitem Monpelgardensem; secundis, Danielem Comitem in Waldeck; Elisabetham, uxorem Ludovici Comitis Palatini; & Christinam, nuptam Adolpho Duci Holsatiæ.

12, 13, 14, 15, *Guilielmus* fratrum natu maximus, testamento patris (quod filii omnes ratum habuerunt) semissem bonorum paternorum obtinuit. Sed ita, ut cum Ludovico Academiam Marpurgensem, forum vero juri dicundo fratres omnes commune haberent. *Ludovicus* ergo Lantgravius Comitatum nactus Cattimelibocensem, Zigenhaim, & Nidda, Marpurgi sedem fixit aulæ suæ. Vxores habuit Heduigem filiam Christophori Ducis Wirtenbergensis, ac post eam Mariam, filiam Ioannis Comitis Mansfeldensis. *Philippus* tertius frater, Reinfelsii aulam habuit. Vxor ei Anna Elisabetha, filia Friderici Palatini. *Georgius* quartus frater, Darmstadii in superiore

Comitatu Cattimelibocensi vixit: habuitque uxores duas, priorem Magdalenam, filiam Bernhardi Comitis Lippensis: posteriorem Leonoram, filiam Christophori Ducis Wirtebergici, viduam Ioachimi Ernesti Anhaltini: obiit anno 1596, relictis multis liberis: Henrico, nato anno 1590, qui diem extremum clausit octavo Ianuarii anno 1601. Ludovico, nato 24 Sept. anno 1577 (cui ex uxore Magdalena Marchionis Brandeburgici filia nati sunt, Elisabeth Magdalena anno 1600 die 6 Aprilis. Anna Eleonora, anno 1601, 30 Iulii. Maria, anno 1602, die 11 Decemb. Sophia Agnes anno 1604, 12 Ianuarii. Georgius, natus 17 Martii, anno 1605. Iuliana, anno 1606, die 14 April. Amelia, anno 1607, die 20 Iunii, & Ioannes 17 Iunii, anni 1609. Elisabetha nata 26 Novemb. anno 1579. Philippo nato 26 Decemb. anno 1581, qui duxit uxorem filiam Comitis Diepholdensis; Anna nata 3 Martii, anno 1583, quæ post obitum patris nupsit Alberto Comiti Solmensi, anno 1560; ac denique Friderico nato 5 Martii, anno 1585. Sed fuit præ cæteris Philippi Magnanimi filiis *Guilielmus* non à natura tantum, sed etiam à studio, cura, & exercitatione artibus Principalibus ornatus, ad quas etiam litterarum & historiæ imprimis cognitionem adjunxit. Obiit anno 1567, relicto ex Sabina, filia Christophori Ducis Wirtebergensis, unico hærede filio Mauritio; nam Christianus jam anno 1578 extinctus fuerat.

16 *Mauritius* Lantgravius Hassiæ, natus anno 1573, virtutum paternarum hæres pariter & æmulator, ea modestiæ, prudentiæ, eruditionis, ac pietatis fama viguit, qua vix alius ex omnibus Germaniæ Principibus, beatam constituens ex sententia Platonis Rempublicam. Ejus uxor prior fuit Agnes, filia Georgii Comitis Solmensis; posterior autem Iuliana, filia Ioannis Comitis Nassovii. Soboles numerosa. Otto natus anno 1594. Mauritius 1600. Elisabeth an. 1596. Guilielma anno 1602. Philippina an. 1605. Agnes 1606.

17 *Wilhelmus* in Cassel, natus 14 Febr. 1602, in matrimonium sibi junxit Amaliam Elisabetham, Philippi Ludovici, Comitis in Hanaw, filiam, anno 1619; obiit 21 Sept. 1637.

18 *Wilhelmus* natus 23 Maji, 1629. Uxorem duxit Hedwigen Sophiam filiam Georgii Wilhelmi Electoris Brandeburgici, quæ peperit ei Charlottam, natam 27 April. 1650; Wilhelmum, 21 Iunii, 1651; Louysam 11 Sept. 1652; Carolum 3 Aug. 1654; Philippum 14 Dec. 1655.

COMITATUS ZIEGENHAIN.

Origo. Comitatus *Ziegenhain* inter præcipuos quidem annumerandus, initium habet à Friderico Ludovici Ferrei Thuringiæ & Hassiæ Landgravii filio, qui primus Ziegenhain & Treisam ædificavit, & anno 1173 in bonorum inter hæredes divisione Comes ipsorum locorum denunciatus ac declaratus est. Circa annum Christi 1277 Gothofredus Comes regionem hanc gubernavit, qui deinceps cum Elisabetha Henrici Primi Landgravii filia matrimonium contraxit; anno 1358 Iohannes Comes fato functus est. Ultimus Comes fuit Ioannes Magnus, vir eximii roboris, quem loco suo plaustrum vini demovisse, historici testantur. Exinde ad Landgravios Hassiæ hic Comitatus venit.

Ziegenhain. *Ziegenhain* munimentum ad Swalmam fluv. situm, longè celeberrimum est: solum circum circa uliginosum & palustre est. Philippus Senior Landgravius illud prævalido vallo, propugnaculis & duabus fossis cinxerat, quod deinde Wilhelmus VI splendidis ædificiis, frumentariis & armamentariis, ut & novo castello auxit. Cum an. 1547, munimenta Cassellis, Giessæ & Russelshemii diruerentur jussu Caroli V, qui Philippum Landgravium captivum detinebat, hujus præfectus Heintz à Ludder advenienti cum eodem proposito Comiti Solmensi portas clausit, & se captivo & ad subscribendum coacto Domino parere non velle, respondit; sed ubi eum Cæsar dimisisset, se imperata facturum: quare Comes Solmensis irrito conatu discedere coactus est.

Treisa. *Treisa* maxima est & præcipua hujus Comitatus urbs, sita ad dictum amnem Swalmam penes collem, patria clarissimi I. C. Nicolai Vigelii. In hoc tractu Domus Löwenstein cum adjuncto territorio sita est, unde antiquæ & nobili Familiæ de Löwenstein nomen.

Schwartzenborn. *Schwartzenborn* una ex vetustioribus hujus Comitatus urbibus est, antiquior Ziegenhain & Treisa, in qua Iohannes Comes ad tempus habitavit; ab utroque urbis latere duo altissimi montes siti sunt, in quibus multæ ferri fodinæ exercentur; & ante annos circiter quadraginta duos aluminis fodina reperta fuit.

Oppida. Sunt præterea alia oppida, ut *Newkirch* ad amnem Grenf, quod olim arcem habuit, nunc dirutam & funditus deletam: *Rauschenberg* ante exiguam silvam & montem situm, in quo perpulchra arx conspicitur: *Gemunda*, in valle ad amnem Wohram jacens, cui propinquum præstantissimum cœnobium *Heina*, anno 1221 à monachis Altenheimensibus ordinis Cistercienses exstrui cœptum; est autem hoc cœnobium locupletissimum, amplum & spaciosum, in quo templum, cui vix Hassia par habet: quod deinde Philippus Hassiæ Landgravius anno 1530 in Xenodochium convertit, in quo quotidie circiter quingenti pauperes pascuntur.

ABBATIA HIRSCHFELDENSIS.

Nomen.



Irschfeldensis Abbatia ab Hirschfeldia oppido appellationem trahit: Hoc aliqui antea Herolfsfeld dictum arbitrantur, & nomen à primo conditore Hierolfo sortitum existimant. Vt ut sit, conjectura tantum est, cum nihil certi de eo constet: Nec ipsa res tanti momenti, ut latius deducatur.

Termini. Terminatur ad Meridiem Buchonia, seu Abbatia Fuldensi; ad Occasum, Septentrionem & Orientem Landgraviatu Hassiæ. Territorium non adeo spatiosum hæc Abbatia habet, sed tria solummodo milliaria in longitudinem, totidemque in latitudinem extensum. *Qualitas.* Solum habet satis fertile, frumenti, leguminum aliarumque rerum satis ferax, nisi ubi in montes ac sylvas assurgit, quæ nec ipsæ infructiferæ, sed avium ferarumque magnam copiam suppeditant. Non desunt quoque pisces, quibus Fulda aliique amnes referti sunt.

Hirschfeldt. Oppidum ipsum, valde antiquum, situm est ad fluvium Fuldam, ubi Lullius Episcopus Moguntinus Ecclesiam collegiatam & Abbatiam construxit, quæ postea à Pipino Francorum Rege & filio ejus Carolo Magno, Imperatore præclaris privilegiis est dotata. Adjacentem districtum partim à Bonifacio emptum, maximam vero partem à Thuringia & Hassia illi attributum fuisse volunt. Ecclesia ipsa, anno 1037 plane combusta, deinde ab Abbatibus Maginhero & Ruthardo reædificata, artificiosæ & elegantissimæ structuræ est, & dignæ quæ adspiciatur & perspiciatur: ejus enim dimidia pars sedecim columnis ex integris lapidibus cæsis superimposita est. In hac sepultus est Alcuinus Caroli Magni Præceptor, & eximius Philosophus, Reisnerus Hirschfeldensis, Petri Rami coadjutor, & quondam Parisiis Mathematum Professor. Anno 1569, Michaël Abbas Gymnasium hic fundavit, quod dein Ludovicus Abbas multis reditibus liberaliter auxit. Olim oppidum modica suburbia habuit, sed quæ intestinis Hassiæ dissensionibus, & externis bellis vastata & deleta sunt.

Pagi & Castella. In territorio hujus Abbatiæ plures sunt pagi, nobilium ædes, & castella, ut *Friling*, *Geisa* superior & inferior, *Vtersdorf*, *Kerpeshaus*, *Mengshaus*, *Nedersula*, *Hattenbach*, *Wegfurt*, *Nider-Iosse*, & arx *Zum eichen*, quæ à Ludovico Abbate renovata, postquam jam rimas ageret, pulchra quidem, & amœno loco sita est. Proxime autem hanc Diœcesin ad fluvium Haun, qui in Diœcesi Fuldensi scaturit, & tandem versus Hirschfeldt Fuldæ se insinuat, in præcelso monte Arx *Hauneck*, ad Principes Hassiæ pertinens, conspicitur. Multæ ubique molæ ab amnibus circumaguntur cudendo ferro, æri & similibus, quæ ex hujusce territorii fodinis eruuntur.

Fluvii. Ex montium jugis plurimi decurrunt fluvioli & torrentes, præter quos tria præcipua sunt flumina, *Fulda*, *Weista* & *Wala*.

ABBATES HIRSCHFELDENSES.

1 NOn multum temporis post Hassos ad Christianismum conversos, anno nimirum 736, Abbatia & Diœcesis Hirschfeldensis suum cœpit initium, & *Lullus* Abbas primus Hirschfeldensis ordinatus fuit; successit

2 *Balthardus*, qui Lullum in officio concionatorio quam fidelissime juverat; naturæ satisfecit anno 798.

3 *Buno*, tertius Abbas Hirschfeldensis, Diœcesi multa privilegia à Ludovico Imperatore comparavit.

4 *Brunwart*, anno 846.

5 *Drugo*, anno 865.

6 *Haderadt*, admodum eloquens & literatissimus vir, anno 892.

7 *Dithard*, anno 901, cujus temporibus anno 918, Conradus Imperator in Hirschfeld erat.

8 *Dithardus* junior, Dithardo Abbate adhuc vivente, octavus Abbas Hirschfeldensis denunciatus, postmodum vero Hildesheimensis Episcopus electus fuit.

9 *Burchard*, dein Episcopus Halberstadensis.

10 *Mayingus*, anno 932.

11 *Hagano*, anno 936, qui, quia valetudinarius erat, Abbatiam tradidit Gunthero anno 959.

12 *Guntherus*, hic anno 961 obiit.

13 *Egilolphus*. Huic successit anno 97

14 *Gosbertus*, qui Abbatiam post quindecim annos resignavit.

15 *Bernharius*, qui Petersberg fundavit.

16 *Gothardus*, anno 1005, cum vero ab Imperatore anno 1013, in Episcopum Hildesheimensem vocatus esset, in ipsius locum venit


17 *Arnoldus*, qui Iohannesberg extruxit, postquam vero Abbatia destitutus esset, in Gellingen anno 1032 obiit.

18 *Bardo*, Abbas declaratus, altero anno autem Archiepiscopus Moguntinus electus: successit

19 *Rudolphus* natione Italus, postmodum Episcopus Paderbornensis anno 1035.

20 *Meginherus*.

21 *Ruthardus*, an. 1059 Abbas electus in morbum diuturnum incidit, & Abbatiam tradidit


TERRITORIVM ABBATIÆ HERESFEL-DENSIS.
't Stift Hirßfeldt.
Apud Guiljelmum Blaeu.
Dimidium milliaris Haßici.
Dimidium milliaris Germanici.
Occidens.
Oriens.
HIRSCHFELT
Stift
Gericht.
GRVNT RORBAGH
GEISSE GRVNT
AMPT
AVLA
STEIN

79.

22 *Hartwico*, qui multas dissensiones cum Archiepiscopo Moguntinensi, qui ipsi decimas detrahere conabatur, habuit: is quoque in diuturnum morbum incidit anno 1014, quare Abbatiam resignavit.

23 *Fridericus*, qui deinceps quietam vitam egit.

24 *Guntherus*, nomine undecimus, non diu officio Abbatis functus.

25 *Reginhardus*.

26 *Adelmannus*.

27 *Henricus de Bingarten*.

28 *Willeboldus*, pius & devotus vir.

29 *Hermannus* Primus.

30 *Burchardus*.

31 *Willeboldus* Secundus.

32 *Adolphus*.

33 *Iohannes*.

34 *Henricus* Secundus.

35 *Ludovicus* Primus.

36 *Wernherus*, prudens & pius vir.

37 *Henricus* Tertius, de Böneburg.

38 *Henricus* de Swinrot.

39 *Bertholdus* de Elben.

40 *Simon* de Hutten.

41 *Henricus* de Molsleben.

42 *Andræas* de Heiningen.

43 *Henricus* Sextus, de Romrodt.

44 *Ludovicus* Secundus, de Mansbach.

45 *Ioannes* de Elten.

46 *Bertoldus* de Volckershausen, obiit anno 1380.

47 *Reinhardus* de Bönenburgk, qui Diœcesin multis beneficiis locupletavit, ob singularem probitatem laudatissimus.

48 *Hermannus* Secundus, de Aldenburgk.

49 *Albertus* de Buchenaw, qui anno 1418 electus, cum antea Abbatiam resignasset, anno 1438, debitum naturæ solvit.

50 *Conradus* de Hatzenrod.

51 *Ludovicus* de Eckstedt, anno 1461 obiit.

52 *Damianus* Knoblauch, anno 1483 mortuus.

53 *Wilhelmus* de Volckershausen.

54 *Volpertus Reidesell.*

55 *Ludovicus* de Hanstein, obiit anno 1516.

56 *Crato Meles* de Hungen, anno 1556.

57 *Michaël* Landgravius de Rastorff, fundator Scholæ Hirschfeldensis, & beneficus Dominus, è vita migravit anno 1571.


58 *Ludovicus* Landaw de Heunfeldt, è vita discessit anno 1615, ideo *Crato* Weissenbach Abbas electus, at nunquam confirmatus fuit.

59 Et quia jam dictus Crato paucis abhinc annis plane resignavit, Illustrissimus Princeps ac Dominus, &c. *Ioachimus* Abbas Hirschfeldensis electus & confirmatus fuit.



WAL-

WALDECKIA COMITATVS.



Vintus circulus Imperii, qui Rheni est, tribus ordinibus constat, Ecclesiasticorum, Principum, & Civitatum liberarum. In Principum ordine Principes sunt, Duces & Comites seculares. Inter Comitatus sunt *Waldeck*, *Westenburg*, *Witgenstein*, & *Plesse*. Inter quinque servos seu milites Imperii Comitatus hic primus numeratur. Sunt enim illi *Waldeck*, *Hirten*, *Fulchen*, *Arnsperg*, *Rabnaw*. Waldeck vulgo *die Graffschaft* vocatur. Regio à fertilitate, collium amœnitate, amniumque commodis laudatissima. Magnitudo ejus minime invidenda, ut quæ longitudine ac latitudine sex milliaria non excedit. Vina sua habet & frumenta copiosa satis. Metalla omnis fere generis. Claudit eam ab Oriente Hassia, cujus non minima creditur pars: à Septentrionibus Paderbornensem Episcopatum, ab Occidente Diœcesin habet Coloniensem, à Meridie Hassiæ quoque confinia. Eruuntur quoque hîc saxa & fossilia exstruendis ignibus apta, qualia etiam sufficit ager Leodiensis. Animalibus quoque omnis generis abundat, ut venationibus prædam luculentam præbeat, & incolas ad venandi studia excitet.

Soli indoles.

Termini.

Vrbes. *Waldeck.*

Metropolis regionis est *Waldeccia*, quæ nomen tractui dedit. Arcem habet egregiam, quam Edera fluvius irrigat.

Corbach.

Corbachium urbs mœnibus probe munita, & perantiqua, olimque libera, suisque regalibus donata, quæ tamen ab Henrico Ferreo Comite à Waldeck dissentiens, ab eodem capta & subjugata est anno 1366. Distinguitur nunc in novam & veterem urbem: in nova urbe templum S. Nicolai conspicitur, in veteri S. Kiliani, quem urbs in insignibus habet. Præcipuum civibus è cocta cerevisia lucrum, quæ illinc in vicinas regiones exportatur. Iosias & Wolfradus Comites Cœnobium Franciscanorum in Gymnasium commutarunt, multisque reditibus locupletarunt: Præfuere illi, diverso tamen tempore Rudolphus Goclenius, Lazarus Schonerus, Guilielmus Scribonius, Guilielmus Vrsinus, aliique præclari viri. Prope Corbachium in excelso monte Arx Eisenberg sita est, quam Iosias Comes in Waldeck multis novis structuris auxit & quasi reædificavit. Plurimæ in hoc monte olim aurifodinæ fuerunt, quemadmodum & nunc auri glareæ ibidem inveniuntur, quod ignem melius ferat ac Bohemicum aurum, & bonitate Vngarico vix cedat.

Oppida. *Castella.*

Oppida porro alia hujus Comitatus sunt, *Mengershausen* cum modico castello, amœnissimo loco situm, ubi & cuprifodinæ inveniuntur: vicina huic oppido sunt castella *Arolsen* & *Wetterburg*. *Landaw* oppidum cum castello, viduæ Christiani Comitis à Waldeck, Iulianæ, è Familia Nassavio-Dillenburgica sedes; *Roda*, cui adjunctum castellum, optima venatione clarum oppidum. *Wildungen* egregium oppidum in duas dissectum partes, quarum una rupi satis altæ superædificata, vetus Wildungen appellatur, (in qua & arx perpulchra cum duobus amœnissimis hortis sita est,) altera & major pars opposito, nec adeo excelso monti imposita est; in media valle eximius hortus conspicitur, & in ea fons artificialis, cujus aquæ in rupis summitatem ducuntur. Territorium vicinum plurimis naturæ donis beatum est, ferri, cupri & plumbi fodinis, multis acidis fontibus, &c. Cerevisia hic quoque coquitur optimæ notæ, quam incolæ lucri ergo vicinis regionibus communicant. *Wetterburgum* grato inter Twistam & Aram fluvios situm loco; *Eisenberg* vicinis ferrifodinis & carbonibus fossilibus celebre; & *Eilhausen* ad Vrbam fluvium non minimi nominis castella sunt. *Frienhagen* Carolini Iudicii sedes: Insuper *Saxenhusen*, *Saxenberga*, & *Furstenberga* oppida. Visitur hîc quoque Neuburga oppidum cum arce. Ithera, itidem arx, & Welba monasterium.

Flumina.

Flumina habet varia, inter quæ Edera aureas arenas vectare dicitur, ut non soli Tago aut Pactolo super hoc gloriari liceat. Regionem ipsam intersecat piscosissimus ipse. Originem trahit è Nassoviæ montibus, & per Comitatum Witgenstein ad Francobergam labens, & arcem Waldecensem in sublimi rupe conspicuam alluens, hinc Frislariam Hassiæ oppidum prætervectus, recepto Sualma in Fuldam supra Cassellam, atque inde in Visurgim se exonerat. Reliqua flumina minora sunt, Dimela, Twista, Vrba, Ahra, & Ither.

Silvæ.

Silvæ hic conspiciuntur variis nominibus, Aldewalt, Weterholt, Geppenhage, Plat, aliæque.

Montes.

Montes quoque hic natura posuit, vernacule dictos, *Grunebeckerberg*, *Winterberg*, *der Astenberg*, aliosque.

Comites.

Comitum Waldeccensium origo à Widechindo Comite in Snaelnberg arcessitur. Illum Carolus Magnus Ecclesiæ Paderbornensis à se tum fundatæ, Principem (tunc Advocatum dicebant) constituit. Certior tamen & magis continua series Comitum ab Henrico Ferreo, qui Corbachiam, antea liberam, Comitum imperio subjecit, deducitur. Henricus ille arcem Laudojam exstruxit, Corbachiam anno 1366 sibi parere coëgit; Henricus Fredericum Ducem Brunswicensem electum Imperatorem ad Frislariam occidit, anno 1400. Henricus bellum suscepit contra Paltibergios, quod


WALDECK
COMITATVS.
Septentrio
Meridies
Occidens
Oriens
PADERBORNENSIS EPISCOPATVS PARS.
DVCATVS WESTPHALIÆ PARS.
HASSIÆ LANDGRAVIATVS CONFINIA.
Milliaria Germanica communia.
Amsterdami
Apud Guiljelmum Blaeu.
Heiwaldt
Geppenhage
Prediger Alde Waldt
Schorbrant
Plat
Domel
Hoprn
Waldeck
Nu Waldeck
Korbach
Smallenberg
Frankenberg
Fritzlar

quod finitum anno 1418. Primus se in clientelam dedit Ludovici Hassiæ Principis, anno 1428. Wolradus Comes à Waldeck ab Episcopo Moguntino, Frislariæ & aliis in Hassia oppidis præfectus, anno 1434. Hunc sequutus Philippus Secundus, Philippi I. filius. Wolradus II, pietate, doctrina ac humanitate conspicuus, Præses Colloquii Ratisbonensis anno 1556. Iosias natus anno 1588. Christianus & Wolradus Comitis Iosiæ filii.

Nobiles. Duo Nobilium ordines Comiti Waldeccio parent, unus liber intra Comitatum commorans, alter tam extra, quam intra Comitatum feudo Comiti adstrictum. Stemmata Nobilium liberorum intra Comitatum sunt *Virmunt*, *Meusenburg*, *Gogreven*, *Zertzen*, *Volmerichausen*, *Dalwig*, &c. Stemmata Feudatariorum tam extra quam intra Comitatum sunt: *Witstein*, *Reitesel*, *Spiegel*, *Calenberg*, *Westsal*, *Canstein*, *Malspurg*, *Lebenstein*, *Mengerson*, *Meschede*, *Beinenburg*, *Papenheim*, *Wulfft*, *Volckenberg*, *Vrf*, *Iuden*.



FRAN-

FRANCONIA.



Rimus circulus Imperii Germanici est Franconia. In quo ad consilium evocantur Ecclesiastici isti, Bambergensis Episcopus, Herbipolensis Episcopus, Eichstettensis Episcopus: Tum Magister Ordinis Teutonici, Præpositus Cambergensis, Abbas S. Gilgens. in oppido Noribergensi. Seculares nobiles isti, Marchio Brandenburgensis, Comites Hennenbergensis, Castellensis, Wertheim, Rheineck, Hohenloe: DD. Reichelsperg, Limpurg. Comites Horpach & Swartzenburg. Denique etiam civitates liberæ, Noriberga, Rottenburgum, Winshemium, & Schwinfurtum.

Termini. Est autem *Franconia* Sueviæ ac Bavariæ à meridie vicina: ab occasu Rheno contigua: ab ortu Bohæmia illi adjacet: ad septentrionem Hassia & Thuringia. Ad differentiam Franciæ Gallorum, Francia Orientalis vocatur. De ejus etymo varii varia fabulantur. Illud vero maxime affine, Francos, postquam opes viresque eorum crevissent, jamque jugi Romani tædium ipsos cepisset, nomen sibi à libertate vendicasse, contempta veteri ac tralatitia Germanorum appellatione.

Regionis indoles. Aëre fruitur puro & saluberrimo. Hordeum, triticum & omne frumenti genus, etiam legumina copiose fert. Passim colles vitibus consitos habet, unde vinum laudatissimum ad exteros transportatur. Glycyrhizæ radicis ager Bambergensis tantam vim sufficit, ut plaustra ea onerentur & currus. Regio ipsa partim montosa, partim plana est; montes adscensu non difficiles. Multæ silvæ, & multa venatio est. Terra in multos distincta est Dominos, quamvis Episcopum Herbipolensem Ducem Franconiæ dicant. Moguntina Ecclesia & Bambergensis plurima obtinent loca; Palatinus quoque Comes haud parvam occupat partem. Multæ civitates Imperiales apud Francones florent. De Norimberga dubium est, Franconiæ an Bojariæ cedat. Ipsum nomen indicat, ad Bojarias urbes pertinere. Norimberga enim Noricum montem significat, ob quam rem liquet Noricorum civitatem esse. Noricis autem Bojarii successere, & nunc ea portio terræ Bojariæ, quæ inter Danubium & Norimbergam jacet, Noricum appellata. Ipsi Norimbergenses, nec Bojarios, nec Francones videri se volunt, sed tertium quoddam populi genus.

Populi veteres. Habitavere hic *Ansuarii* & *Salii*. Marcellinus lib. 20 scribit *Ansuarios*, sive (quæ apud Tacitum lectio est) *Ansibarios*, (vel denique *Attuarios*, pro quo vulgata exemplaria vitiose *Actuarios*) transmisso Rheno extimam Galliarum oram inquietasse. *Salii* vero, non à Salis rivo Sala, qui Thuringos à Sorabis dirimit, in Albim se effundens, quod quidam existimant; sed vel à Sala, altero Rheni brachio, qui Isala nominatur, cujus accolæ fuere; vel à saltu & agilitate pedum nomen sortiti sunt; unde Sidonius:

Cursu Herulus, jaculis Hunnus, Francusque natatu,
Sauromates clypeo, Salius pede, falce Gelonus.

atque alio loco, etymon gentis simul aperiens, eam illis velocitatem tribuit, qua vel hastas emissas præterverterent:

Clypeosque rotare
Ludus, & intortas præcedere saltibus hastas,
Inque hostem venisse prius.

Eorum virtus. *Francorum* victricibus armis & præstanti virtute perdomitæ fuerunt Galliæ, & à Gothis assertæ, quæ toties Germanorum sanguine fuerant incassum appetitæ, & quarum pars in hunc usque diem, ad immortalitatem memoriæ, glorioso Franciæ nomine superbit. *Franci* Hispaniam, ab Arabum Scenitarum (qui Sarachi dicuntur) impura gente infessam, subegere. *Franci* insuperabilem Saxonum gentem, & Romano nomini formidabilem, fregerunt, ac Dei cultum, puramque religionem, abolitis simulacris, suscipere coëgerunt. *Francorum* indomitæ virtuti cessit Italia rerum domina, & gentium omnium victrix, quam non Hannibal totius Africæ opibus fultus; non Antiochus, Asiæ terror; non Pyrrhus, Alexandri Magni æmulus; non Persarum fastus, debellare, aut de gradu dejicere potuerant.

Vrbes. Herbipolis. Metropolis Franconiæ est Herbipolis, vulgo *Wurtzburg*, ab herba ita dicta, & ad Mœnum sita, agro plano, collibus undique leniter adsurgentibus, qui vini & quidem suavis feraces sunt. Ad occasum est pons firmi operis, quo itur in arcem monti impositam, in qua Gosbertus Francorum Dux, nomine Theodorici Regis, vixit circa annum Christi 680, quo tempore illic venère Cilianus, Colonatus, Teudomannus, Scoti, & Gosbertum ad religionem fidemque Christi pertraxere; sed Gailana Ducis conjux eos cum Gosberto marito interfici jussit. Heramus filius, qui in religione patris pietatem sectabatur, exstruxit in arce templum B. Virgini sacrum. Nec multo post instituit illic Episcopatum Bonifacius, Archiepiscopus Moguntiacensis, ope Pipini & Caroli Magni, qui Ecclesiæ junxerunt Ducatum Franconiæ. Eo fit, ut utrumque sit Præsul Herbipolensis, Episcopus, inquam, & Dux civilis. Itaque & in sigillo suo habet: *Herbipolensis stola ense judicat sola.* Cæterum non fuerit ab instituto præsenti alienum, cognoscere formulam exequiarum & inaugurationis Episcoporum ac Ducum Wurtzburgensium: Post excessum prioris, designatus Episcopus civitatem cum ingenti & exquisito equitatu ingreditur. Admissus descendit de equo, & deposito ornatu augustiore, per 4 Comites officiales in domum Salvatoris deducitur, capite nudato, nudis pedibus,


FRANCONIA
Vulgo
Franckenlandt.
Excudit Guiljelmus Blaeu.
Milliaria Germanica.
1
2
3
4
Ridefelisch.
Issenburck Comit:
Hanau Co-tatus.
Spesshart.
Henneberg Com:
Thuringer Waldt.
Bohemiæ pars.
Wert heim Comit:
Otten Waldt
Palatina: tus supe rior.
Hohenloe Comit:
Palatinatus Rheni pars.
Occidens
Oriens

bus, vili veste tectus, & solo funiculo cinctus. Officiales sunt, Domini ab Henneberg, Castel, Wertheim, & Rheineck. Decanus ei obviam cum Clero procedens, rogat, Quid petat? Ille demisse respondet, Se indignum præsto esse, munia, ad quæ electus sit, subire, & suo officio ex fide fungi. Tum Decanus, Ego vero, inquit, nomine totius Capituli, Domum Salvatoris mundi, eique annexum Ducatum, tuæ fidei committo, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Mox Clerum in ædem Salvatoris digressum ipse sequitur, indutusque ex more Pontificalem trabeam, sacris primum, postea convivio in arce interest. Defuncti vero Episcopi cadaver exenteratum in sacello arcis primum deponitur, corde interea exemto, inque vas vitreum incluso. Postridie ex arce in monasterium S. Iacobi defertur, dextera pedum, læva gladium tenens, tertio die inde in ædem Salvatoris itur: hic cantus, preces, vota: postea cum pedo & gladio sepelitur. Xenodochium alendis pauperibus tam amplum in hac urbe est, tamque splendidum, ut oppida quædam æquare credatur. Vrbs ipsa amœna est, populosa, pluribus templis ac monasteriis ornata, Academiæ quoque nomine celebris. Tenuit eam armis Suecorum Rex 1633.

SERIES EPISCOPORVM HERBIPOLENSIVM.

1 BVrcardus, natione Britannus, à Bonifacio populari suo Episcopo Moguntino constituitur Episcopus: Præfuit Ecclesiæ annos 40. Hic Cilianum cum sociis suis martyres inter sanctos retulit, templumque iis exstruxit, quod novum monasterium sive novam Basilicam hodieque vocant ipso eo loco quo interfecti sunt. In ejus templi crypta posuit ipse hos versus,

Hi sunt, Herbipolis, qui te docuere magistri,
Qua verum coleres relligione Deum.
Impia quos tandem jussit Gailana necari:
Cælavitque sub hunc corpora cæsa locum.
Ne turpi fine laude situ defossa jacerent
Corpora, Burcardus sub monumenta locat.

Huic Episcopo dedit Carolus Magnus docendos duodecim obsides à devictis Saxonibus missos. Obiit anno 791.

2 *Maingudus* Comes Rotenburgicus ad Tubarum, monachus ordinis S. Benedicti in cœnobio Fridislariensi Hassiæ, electus anno 791, præfuit annos 3, resignavit Episcopatum.

3 *Bernwolphus*, electus anno 794, præfuit annos 6, obiit anno 800.

4 *Ludericus*, præfuit annos 3, obiit anno 804, sub Carolo Magno.

5 *Aigelwardus*, præfuit annos 3, extinctus an. 810.

6 *Wolfgerus*, electus anno 810, rexit annos 21. Hic interfuit Synodo Aquisgranensi, celebratæ sub Ludovico Pio: obiit anno 831.

7 *Hunibertus*, electus an. 832, obiit an. 841.

8 *Godeboldus*, electus anno 841, præest an. 11. Sub hoc deflagravit templum Cathedrale.

9 *Arno*, præfuit annos 36, sub Carolo Calvo, Carolo Crasso, & Arnulpho, interfectus an. 891 à Normannis.

10 *Radulphus* Thuringiæ Lantgravius constitutus ab Arnulpho anno 892. Homo stolidus, obiit anno 908.

11 *Dietho*, electus anno 908, præfuit annos 24.

12 *Burcardus* ex Abbate Hirsfeldensi factus Episcopus ab Henrico Aucupe, præfuit annos 9, extinctus anno 941.

13 *Poppo* I Burggravii Herbipolensis filius, Ottonis Magni cognatus, præfuit annos 19, decessit anno 961 Ratisponæ.

14 *Poppo* II patruus Popponis I, electus an. 961. sedit annos 23, interfuit Synodo Romæ coactæ ab Ottone Imp.

15 *Hugo* Otthonis II Imperatoris Cancellarius, electus anno 984, præfuit annos 5, obiit anno 989.

16 *Bernwhardus* Comes à Rotenburg ad Tubarum, defunctus anno 995.

17 *Henricus* Comes à Rotenburg, à brevi corpore dictus Hetzelinus, cognato suffectus est: fuit frater Heriberti Archiepiscopi Coloniensis. Instituit Episcopatum Bambergensem, obiit anno 1018.

18 *Meginardus*, præfuit annos 15, sub Henrico II, à quo jus impetravit cudendæ monetæ: extinctus est anno 1033.

19 *Bruno* Conradi II Imp. patruelis, filius Conradi Ducis Carinthiæ, præfuit annos 11, obiit in Pannonia, anno 1045, ex lapsu cœnaculi, sepultus Herbipoli.

20 *Adelbero*, electus anno 1045, ejectus ab Henrico IV Imperatore, postea restitutus, iterum ejicitur.

21 *Menigardus* II constitutus Episcopus ab Henrico IV anno 1084, ejectus, restituitur: obiit anno 1088.

22 *Ainhardus* ab Henrico V Imp. factus Episc. præfuit annos 15: sub hoc instituta est expeditio in Palæstinam à Godefredo Bullioneo, captaque Ierosolyma.

23 *Rupertus*, obiit anno 1106.

24 *Ehrlongus* sub Henrico IV & V Imperatoribus variam sortem expertus est, bis à patre ejectus, bis restitutus à filio, sedit annos 16: excommunicatus à Pontifice, ob. anno 1122. Hic primus ensem sibi præferri jussit.

25 *Rugkerus*, obiit anno 1130, contra quem datus est ab Henrico V Imperatore Gebhardus.

26 *Hetzelinus*, defunctus anno 1131.

27 *Embricho*, electus anno 1131, fuit apud Imperatores Lotharium Saxonem & Conradum Suevum in flagranti gratia: ab hoc etiam missus Constantinopolim. Otto Frisingensis autor est, Conradum in litteris ad Emanuelem datis vocavisse ipsum cor suum & animam suam. Obiit anno 1147.

28 *Sigefridus*, obiit anno 1147.

29 *Gebhardus* Comes ab Hennenberg, obiit anno 1161.

30 *Henricus* II defunctus anno 1165, quum Fridericus Barbarossa Comitia agitaret Herbipoli.

31 *Heroldus*, præfuit an. 8 defunctus est an. 1172.

32 *Rein-*

32 *Reinhardus*, defunctus anno 1182.

33 *Godefridus* Friderici Barbarossæ Cancellarius, electus anno 1182, suscepta in Asiam expeditione, obiit Antiochiæ anno 1186.

34 *Henricus* III profectus cum Friderico I in Asiam, statim à reditu extinctus est Herbipoli anno 1193.

35 *Godefridus* II Comes ab Hohenlohe, præfuit annos 5.

36 *Conradus* ex Episcopo Hildeshemensi factus Episcopus Herbipolensis anno 1198, cum Henrico VI Imperatore profectus est in Asiam: postea reversus à duobus nobilibus nefarie occisus est anno 1203. Situs est Herbipoli in summa Basilica.

37 *Henricus* IV commendatus à rege Philippo, eligitur anno 1203, obiit anno 1206.

38 *Otto*, præfuit annos 16, obiit anno 1223.

39 *Theodoricus*, præfuit annos 15, defunctus anno 1224.

40 *Hermannus* Baro à Ledenburg, obiit anno 1250.

41 *Hiringus* sub Rudolpho Habspurgio, sedit annos 16. Vir immaniter crudelis.

42 *Conradus* Comes à Trymberg, electus anno 1267.

43 *Bertholdus* Dominus in Sternberg, electus anno 1268, defunctus anno 1287. Hic cives Herbipolenses factiosos prælio vicit.

44 *Mangoldus*, obiit anno 1302. Huic cum Herbipolensibus perpetua fuit contentio, quæ ægre sopita est à Rudolpho Habspurgensi.

45 *Andreas* Baro à Gundelfingen defunctus anno 1315. Herbipolenses domuit, abrogatis ipsorum tribubus & sodalitatibus.

46 *Godefridus* III, præfuit annos 7, obiit anno 1322.

47 *Wolframus* nobilis à Grunbach, obiit anno 1333.

48 *Hermannus* Baro à Lichtenberg sub Ludovico Bavaro à Canonicis Cæsareis lectus contra Ottonem Wolffskelium Pontificium, sedit an. 2, & resignavit.

49 *Otto Wolffskelius* electus in schismate, confirmatur à Ioanne XXII Papa, & Benedicto XI, sedit annos 10, defunctus est anno 1345.

50 *Albertus* Comes ab Hohenberg à Clem. IV designatus, renunciavit.

51 *Albertus* Comes ab Hohenlohe, electus à Capitulo anno 1345, defunctus anno 1372.

52 *Gerhardus* Comes à Schwartzenburg, præfuit annos 28. Herbipolenses rebelles domuit: obiit anno 1403.

53 *Ioannes* ab Egleffstein ex coadjutore Episcopus, sedit annos 9, extinctus anno 1412.

54 *Ioannes* à Brun, præfuit annos 29, Herbipolenses tumultuantes fregit: interfuit Concilio Basileensi: resignavit Episcopatum anno 1435.

55 *Sigismundus* Saxoniæ Dux, præfuit annos 3.

56 *Godefridus* Baro à Lymburg, sedit annos 12. Hic primus se Franconiæ Ducem scripsit, eo quod Albertus Brandeburgicus hunc titulum usurpasset: defunctus est anno 1455.

57 *Ioannes* à Grumbach, præfuit annos 11, obiit anno 1466.

58 *Rudolphus* à Scherenberg, sedit annos 29. Hujus magnæ virtutes prædicantur.

59 *Laurentius* à Bibra, sedit annos 24, obiit anno 1519.

60 *Conradus* à Thungen Ostrofrancus, rexit annos 21, obiit anno Christi 1540.

61 *Conradus* à Bibra, defunctus anno 1544.

62 *Melchior* Zobelius Ostrofrancus, vir gravis & prudens, nefarie interfectus jussu Grunbachii à Zobicio sicario, anno 1559.

63 *Fridericus* à Wirsberg mortuus anno 1573.

64 *Iulius Echter* à Mespelbrum, qui eximium Xenodochium anno 1580 exstruxit; sedit an. 44. ex hac vita abiens anno 1617.

65 *Iohannes Gothofredus* ab Aschhausen, qui & Episcopus Bambergensis fuit, decessit Ratisbonæ anno 1622.

66 *Philippus Adolphus* ab Ehrenberg.

67 *Franciscus* ab Hatzveldt, anno 1631 electus, postea Bambergensem Episc. adeptus, moritur Herbipoli anno 1642.

68 *Iohannes Philippus* à Schönborn, qui anno 1647 in Archiepiscopi Moguntini, Archi-Cancellarii S. R. I. per Germaniam, & Electoris dignitatem evectus est.

Atque hi quidem fuerunt usque in hunc diem Ecclesiæ Herbipolitanæ Præsules. Inter cæteras vero Civitates in Franconia sitas non parum eam illustrat *Francofurtum* ad Mœnum, de quo vide tabulam territorii Francofurtensis.

Werthem. *Werthemium*, ad Columbum seu Tauber fluvium & Mœnum confluentes situm, Comites præcedenti sæculo proprios habuit: quorum ultimo absque prole mortuo, per Stolbergici Comitis unicam filiam ad Lewensteiniorum Comitum familiam devenit, qui hunc Comitatum sub Dominii titulo adhuc possident. Vrbs hæc satis commoda est; cives, qui ante servi erant, anno 1632 in totum liberi facti sunt, & Lutherana hodie dogmata amplectuntur, quamvis Comites Catholicæ addicti sint.

Bamberga. *Bamberga* sic vocata fuit, quasi *Babemberg*, hoc est, mons Babæ, à Baba Ottonis Ducis Saxoniæ filia, atque uxore Alberti Comitis Bambergensis. Vrbs est Episcopalis, in centro & meditullio quasi Germaniæ posita, ad fluvium Regnitz. *Vrbes minores.* Sunt præterea hic mons Regius, *Konigsberg*, patria Ioannis de Monte Regio, summi Mathematici, cujus exstant doctissima Commentaria in Almagestum Ptolemæi. *Sweinfordia*, *Kitzinga*, *Fridberga*, aliæque. Est & in Franconiensi agro arx *Ansbach*, Marchionatus titulo gaudens.

Flumina. Fluminibus fruitur piscosissimis, quorum præcipua, Mœnus, Sala, octo ignobilioribus comitata, *Sinna*, *Radiantia*, *Asto*, *Tubera*, aliisque. Silvas habet *Speshart*, Ottonis silvam, aliasque à nemore Hercynio natas diffusasque.

Principes prisci. Francorum primus Princeps fuit Genebaldus, qui 30 annos eis præfuit. Hunc secuti Marcomirus, Dagobertus, Ludovicus Primus, Marcomirus Secundus, Waramundus, aliis Pharamundus, qui vocatus ad regnum Franciæ, fratri Marcomiro reliquit Ducatum, Prunmester, Genebaldus Secundus, Suno Luitemarus, Hugbaldus, Helmericus, Gotefridus, Genebaldus Ter-

Tertius, Ludovicus Tertius, cui successere Erebertus, Ludovicus Quartus, Gozpertus Secundus, Hetavus Dux ultimus: hic sine liberis mortuus, Francorum Regi Pepino Ducatum ex commisso reliquit, quem deinceps filius ejus Carolus Magnus Beatus Burchardo Primo infulato Episcopo Wurtzburgensi ejusque successoribus & Ecclesiæ proprium donavit, an. 752. Neque tamen Episcopo omnis Franconia paret: Marchioni enim Brandenburgico parent Kitzinga, & Bristadium: Episcopo Bambergensi Graglingiacum: Herbipolitano Chronacum, Forcheimium, Staphelsteinium, Hochstadium: Moguntino Moguntia, Koningsteinium, Oxenfordia, Carolostadium, Hasfordia, aliaque. Moguntinus vero, ut supra memoravimus, Ducis Franconiæ titulo insignitur.



HEN-

HENNEBERGENSIS COMITATVS.

Termini.



Ennebergensium Comitum territorium, pars Franciæ Orientalis est. Habet ad Orientem & Septentrionem Thuringiam, & Saltum ab ea provincia nomen sortitum, cujus cacumina Thuringiam & Franconiam in hac ditione disterminant. A Meridie fluvium Mœnum & Episcopatus Bambergensem & Herbipolitanum. Porro Occidentalem partem cingit mons, qui ab incolis vocatur die *Rhan*, à qua parte respicit etiam diœcesin Fuldensem & Hassiæ provinciam.

Qualitas. Ditio hæc abundat feris, piscibus, alitibus & cæteris rebus ad vitam degendam necessariis: est quoque metallifera, præsertim ferri, quod magna copia maximo indigenarum emolumento hinc ad alios exportatur. Irrigatur per fontes Visurgis fluvii, qui in eo tractu vocatur **die Werren** / sed rectius **die Weßer** / cui adstipulatur nomen Cœnobii **Veßer** / quod etiam Francisco Irenico & Wolffgango Lazio testibus, ab aquis derivatum esse creditur.

Oppida. Præcipua hujus Comitatus oppida sunt *Mainingen*, cui Castellum adjunctum, ad Werram fluvium; *Schleusingen* cum arce oppidum ad Schleusam fluvium situm; *Masveldt* cum annexa arce, & *Saul* oppidum ad Thuringicum saltum. Est præterea arx *Kundorf* & Abbatia *Fesser* in eodem Comitatu. Oppidum Smalcalda in hoc quidem Comitatu situm est, sed mortuo ultimo Comite Georgio Ernesto ad Landgraviatum Hassiæ rediit, cujus feudum erat masculinum.

Genealogia Comitum. De initio autem vel origine familiæ Hennenbergicæ, incuria tunc temporis scriptorum, nihil certi constat, nisi quod tempore Attilæ & Caroli Magni, nomen Hennebergensium, qui & Comites Franciæ & Burggravii Wurtzeburgenses, claruisse apud Authores invenitur; sic etiam Henrico Primo imperante Gottwaldus, & Otto Hennebergici, contra Vgrorum impressiones, eidem strenuam navarunt operam. Duæ quoque hujus familiæ Boppones, anno Christi 941 & 961, Pontificatui Wurtzeburgensi non sine magna laude præfuere.

Deducitur autem vera Genealogia à Boppone, qui anno 1078 Henrici Quarti Imperatoris partes secutus, in prælio proxime Melrichstadium adversus Rudolphum Suevum commisso, fortiter pugnans occubuit. Huic successit filius Gottebaldus, fundator Cœnobii Vesseræ, Ordinis Præmonstratensium: illum excepit filius Bertholdus: hunc Boppo: eundem alius Boppo, qui in recta linea sibi invicem successere. Hic Boppo suscepit ex secunda conjuge Iutta Thuringica, Hermannum, cujus filius Boppo absque prole defecit. Ex prima vero conjuge Elisabetha Saxonica, procreavit Henricum, qui reliquit tres filios, nempe Henricum, Hermannum & Bertholdum: Henricus genuit Bopponem, & hic Bertholdum qui absque liberis decessit.

Hermanno vero in recta linea successerunt, Henricus filius, Hermannus nepos, Fridericus Pronepos, Georgius abnepos, Fridericus atnepos: hic Fridericus habuit filium Hermannum, qui suscepit ex Margareta Brandenburgica Bertholdum & Albertum, fratres, qui ambo absque prole decessere anno 1549. Tertium ex fratribus Bertholdum autem excepit filius Bertholdus, qui ob ingenii animique excellentiam dona & virtutes, ab Henrico Lutzelburgensi, consentiente Electorum collegio, in Senatum Principum Imperii allectus est, anno 1310. Ob eademque, & quod esset tractandis negotiis prudentissimus & fidelissimus, simulque felicissimus, Ludovico Quarto, successori in imperio extitit longe gratissimus: cujus tempore integra ditio, ejusdem & reliquorum tunc superstitum Principum & Comitum Hennebergensium paruit imperio.

Henrico vero filio sine prole mascula extincto, magna pars territorii, per conjugium trium filiarum Catharinæ, Sophiæ & Elisabethæ, ad Comites Provinciales Thuringiæ & Misniæ Marchiones, Burggravios item Noribergenses & Comites Wurtenbergenses devenit, quibus duobus posterioribus alienantibus, Episcopus Herbipolitanus suam Diœcesin non parum adauxit. Alter vero Bertholdi primi Principis, ex Adelheida Hassiaca, filius Ioannes genuit ex Elisabetha Leuchtenbergica filium Henricum, qui ex Mechtilda Badense Wilhelmum Primum, hic ex Anna Brunsvicense Wilhelmum Secundum procreavit, quem ex Catharina, Comitissa ab Hanau, sequitur filius Wilhelmus Tertius, & hunc è matre Margareta Brunsvicense Wilhelmus Quartus.

Hic Wilhelmus sustulit ex Anastasia, Electoris Brandenburgensis Alberti filia, septem filios, & sex filias, Wilhelmum & Casparum, qui infantes obierunt: Ioannem præsulem Fuldensem: Wolfgangum & Christophorum, qui cœlibem vitam transegerunt, Georgium Ernestum & Bopponem: huic post obitum primæ conjugis Brandenburgiacæ, adjungitur thoro Sophia Lucenburgica, decessit absque liberis anno 1574,



COMITATVS HENNEBERGENSIS.
Milliaria Germanica communia.
1 2 3
Oriens
Occidens
THURINGIÆ PARS
DIOECESIS BAMBERGENSIS PARS
DIOECESIS WURTZBURGENSIS PARS
EPISCOPATUS FULDENSIS
HASSIÆ PARS
Schmalkalden
Meinungen
Hennenbergk
Schleusingen
Romhilt
Schweinfurt
Bambergk
Coburg
Vach

82

4 Martii; Princeps pius, prudens, magnanimus & humanus: ille Georgius Ernestus, mortua conjuge Elisabetha Brunsvigiaca, duxit Elisabetham Wurtenbergicam, & tandem finiente anno 1583 Decemb. die 27 nulla relicta prole pie obdormivit, ætatis anno 73, ultimus hujus familiæ Princeps. Hennebergica hic descripta ditio, hoc tempore diversis Principibus, videlicet Domui Saxonicæ majori ex parte, reliquæ autem Episcopatui Herbipolensi, & Landtgraviis Hassiæ parent. Vlteriorem & exactiorem hujus Familiæ descriptionem qui volet, ex Genealogia Sebastiani Glaseri, quondam Cancellarii Hennenbergiaci, cognoscere poterit.



ERPACH COMITATVS.

Ad primum Imperii circulum pertinet.



Ertinet Comitatus *Erpach* ad primum Circulum Imperii, qui *Franconiæ* dicitur. In hoc siquidem ad Concilium evocantur *Ecclesiastici* isti, Bambergensis Episcopus, Herbipolensis Episcopus, Eickstettensis Episcopus, tum Magister Ordinis Teutonici, Præpositus Cambergensis, Abbas S. Gilgens. in oppido Noribergensi. *Seculares* nobiles isti, Marchio Brandenburgensis, Comites Hennenbergensis, Castellensis, Wertheim, Rheineck, Hohenloë: DD. Reichelsperg, Limpurg, Comites Erpach, & Swartzenburg. Denique etiam civitates liberæ, Noriberga, Rottenburgum, Weinshemium, & Schwinfurtum. Franconiæ ergo pars est non ignobilis, nomen sortita ab urbe primaria *Erpach.* Vicinos habet Palatinatum Rheni, Comitatum Hohenloë, Comitatum Werthaim, & ultra Mœnum Comitatum Hanau. Terminationem habet, qualem Germaniæ loca plurima in *Ach*, quæ uti A A, E E, aquam significat, ut Breed-A A, Wyd-A A, Bry-sach, Eberbach, Murpach, Lan-bach, Auspach, Aberspach, &c. Præstantissimis fluminibus irrigatur, & hinc inde clauditur Mœno & Neccare. Mœnum à Septentrione habet, Neccarem à Meridie. Vicinas quoque urbes habet Francofurtum ad Mœnum, Heidelbergam ad Neccarem, & Wormatiam ad Rhenum.

Franconiæ pars. *Termini.* *Fluvii.*

Aër regionis purus est, saluberrimusque; omnis generis frumenti feracissimus, ac multis in locis colles vitibus consiti vinum gignunt. Est etiam undecunque terra cultissimis pomariis & pratis amœna, animalium domesticorum, ferarumque dives. Gens ipsa viribus armisque potens, nobilitate pollens, ingeniosa, laborum patiens. Præter Erpach metropolim urbeculas plures habet, *Hirschorn* & *Eberbach*, in ripa Neccaris, *Beurfelden*, *Michelbach*, nec longe ab Erpach *Michelstatt*, item *Furstenau*, *Miltenberg* ad Mœnum, aliasque. Amœnissimus eam ad Rheni latus claudit Viæ Bergensis (*Bergstraß* vocant) tractus, arboribus hinc inde, velut de industria, consitus. Excurrit ea à Darmstadio, recto fere itinere Heydelbergam usque, plurimaque loca in *heim* (Germanis ædificium significat) desinentia pertransit.

Aër. *Solum.* *Vrbes.*

COMITES AB ERPACH.

1 CVnradus Senior, Pincerna Erpacensis, 1332.

2 *Iohannes*, 1346.

3 *Eberhardus*, 1367.

4 *Cunradus.*

5 *Eberhardus*, 1413, duxit Elisabetham, Iohannis Com. Cattimeliboci filiam.

6 *Cunradus*, Margaretham Bar. de Bickenbach uxorem duxit.

7 *Otto*, Amaliæ, Michaëlis C. à Wertheim filiæ, matrimonio junctus.

8 *Philippus*, 1471, uxorem habuit Margaretham, Alberti Comitis de Hohenlohe, filiam.

9 *Erasmus*, 1496. Elisabetham Georgii Comitis à Werdenberg, filiam domum duxit.

10 *Georgius*, uxor ei fuit Cordula, Iohannis de Frauenberg, Comitis de Hagen, filia.

11 *Eberhardus*, Comes Erpacensis, Dominus à Bickenbach, 1510.


12 *Eberhardus*, natus 1511, obiit 1564. Dominus in Breuberg 1558. nupsit ei Margaretha, Philippi Rheingravii, filia.

13 *Georgius*, natus 1548, obiit 1605, 16 Febr. uxorem duxit 1, Annam Amaliam C. à Sayn. fil. 1567, 27 Iul. quæ obiit 1571, 27 Iul. 2. Annam, Friderici Magni C. de Solms Laubach, filiam, 1572, 15 Iul. obiit 1586, 8 Dec. 3. Dorotheam Ruthenam 1587, 11 Nov. obiit 1591. 4. Mariam, Alberti, Com. de Barby, filiam, Iosiæ Com. de Waldeck viduam.

14 *Fridericus Magnus*, natus 1575, 18 April. obiit 1618, 26 Aug. uxores ei fuerunt 1, Christina Georgii Landgr. Hassiæ filia, 1595. obiit 1596. 2. Iohanna, Gottfridi Com. in Ottingen filia, 1597, 18 Sept.

15 *Georgius Albertus*, cui uxor fuit, 1, Anna Dorothea, Alberti L. B. de Limburg, filia; quæ obiit 1634. 2, Elisabetha Dorothea, Georgii Friderici Com. ab Hohenloh filia: nati ei sunt,

16 *Georgius Ernestus*, hodie regens, natus 1632, cui frater etiamnum restat *Georgius Fridericus.*


ERPACH
COMITATVS.
AMSTELODAMI
Guiljelmus Blaeuw
excudit.
Milliaria parva, mediocria, et magna.
GERAW.
HANOVI ENSIS COMIT ATVS
WERTHAIM
PALATINATVS RHENI
Rhenus Fluvius
Neccar flu.
Mayn flu.
Heydelberg

83



COMITATVS WERTHEIM.

Fines.



Ptimus hic totius Franconiæ Comitatus in ejus pene extremo Wetteraviam versus angulo situs est. Respicit, Orientem versus, Episcopatum Herbipolitanum; à Meridie Comitatum Hohenloe & Palatinatum Inferiorem; ab Occidente Sylvam Ottonicam, & versus Septentrionem, sylvosum Spessartum montem.

Qualitas.


Aër his in oris saluberrimus, regio ipsa frumenti, vini, & omnium, quæ natura homini conferre potest ad victum necessaria, feracissima est; & Mœno, Taubero aliisque amnibus irrigata: sylvæ quoque hinc inde non exiguæ in hoc Comitatu conspiciuntur.


Wertheim.

Caput hujus Comitatus est urbs *Wertheim*, ad Mœni & Tauberi confluentes sita, ac eximia arce conspicua. Paret nunc Comiti à Löwenstein, olim subdita fuit Comitibus à Stolbergh: Comes enim Ludovicus à Löwenstein suæ hunc Comitatum ditioni adjecit, in uxorem ducta Comitissa aliqua Stolbergica, hujus Comitatus hærede. Veterum Comitum Werthemensium successio in Comite Michaële ultimo intercidit, præcedenti sæculo fatis functo. Vrbs ipsa commodo sita loco ad confluentem, ut diximus, Mœni & Tauberi, commerciorum frequentia satis floret, maximè cum incolæ hujus urbis nunc liberi, & beneficio Comitum anno 1632 omni servitutis genere exempti sint. Dedita est urbs Religioni Lutheranæ, quamvis Comes Iohannes Dietericus Senior ad Catholicos deflexerit, anno 1644 mortuus, relictis filiis Ferdinando Carolo & Iohanne Dieterico Iuniore, Comitibus in Löwenstein, Wertheim, Rochefort, Montagu, Baronibus in Chassepierre, Dominis in Scharpfeneck, Breuberg, Herbemont & Neuf-Chasteau.

Cœnobia & pagi.


Præcipua præterea, quæ huic Comitatui accensentur loca sunt, Cœnobia *Triefenstein*, *Holtzkirchen*, & *Brumbach*; cujus Abbati si aliquid humanitus acciderit, Comitibus clavis & omnia quæ Abbatis fuerunt, servanda tradi debent, usque dum novus defuncto Abbas suffectus sit. Pagi præcipui sunt *Buchenbach*, *Walthershausen*, *Michelriedt*, *Lengfeld*, *Meidenhofen*, &c. Detinet autem Episcopatus Herbipolitanus ex bonis Werthemicis Præfecturas *Schwanberg*, *Freudenberg*, *Remling* & *Lautenbach*.


COMITATVS
WERTHEIM
cum adjacentibus.
Miliaria Germanica communia.
Oriens.
Occidens.
Septentrio.
Meridies.
Wurtzburg
Carlstatt
Gemundt
Wertheim
Miltenberg
Freudenberg



NORIMBERGENSE TERRITORIVM.

De Noricis populis.



Orici olim dexteram labentis Danubii ripam coluere, Lyco amne à Vindelicis discreti. Hi quando transmisso Danubio interiora Germaniæ petiverint, Noricumque Trans-Danubianum fecerint, amisso Vetere, incertum est. Hoc certum, Noribergam & omnem agrum vicinum non à Nerone, sed ab illis nomen traxisse. Nam qui in hæc usque loca penetrasse Drusum aut Tiberium, & in his locis Noricos devicisse, arcemque condidisse putant, non sunt veteris Geographiæ, aut historiarum satis gnari. Norici ergo advenæ lecta hic in saltu Hercynio mansionis sede, quod ea esset ab Hunnorum incursionibus tutissima, & propter amnium Pegnesi & Regnesi viciniam ad inhabitandum commoda, castellum primum in colle, rudi opere condidere, ad amnisque ripas liquatorias & ferrarias elaborandi molliendique ferri officinas, (hac enim arte præ cæteris nationibus excellebant) exstruxerunt, rotasque posuerunt, impetu & rapiditate amnis circumagendas, ad varios artium suarum usus. Aucta dein sobole, & in eandem societatem se jungentibus Hercyniæ silvæ pastoribus, aliisque, qui vel hostium Germaniam reliquam vastantium immanitatem fugiebant, vel novitate rei ducti ex ea hominum colluvie lucrum sibi & vitæ compendia quærebant, congestis saxis & roboribus, fossaque educta oppidum cinctum est. Non defuere, qui ex hoc loco profecti, itinera Hercyniæ insiderent, & Germaniam prædis actis infestarent. Atque hæc causa est, cur ab Imperatoribus Conradis & Henricis castellum cum arce sua direptum aliquoties & expugnatum sit. Neque vero à latrociniis ante temperatum est, quam Imperator exercitum colli admovit, arceque potitus Coloniam ipse illuc deduxit veteranorum, qui communita arce surgenti urbi præsiderent, & circumjectum nemus à latrociniis purgarent, studiose id per Burg-gravium curans, ut neque Noricis vis inferretur, neque ipsi aliis vim inferrent. Durat hodieque consuetudo; & habet Respublica in eam rem equites suos & pedites, qui publicis alti stipendiis omnia silvæ latibula, omnesque recessus diligenti indagine perquirunt, tutamque & securam negotiatoribus viam faciunt. Arcem Caroli Magni ævo hoc loco fuisse constat. Testantur enim historiæ, Carolum, quum Tassilonem Bavariæ Ducem esset oppugnaturus, tripartito divisisse exercitum, unum agmen sedes fixisse juxta Nurnbergam, alterum ad Danubium consedisse, tertium ad Alpes Tridentinas. Popularis ab initio reipublicæ gubernatio fuit. Vna tantum civili discordia atque seditione, Caroli IV Imperatoris tempore, in Aristocraticam est mutata, ejusque tunc auspiciis rerum gubernacula in Patritiorum potestatem pervenere, qui tam æquo jure hactenus temperarunt rempublicam, ut vix ulla memorabilis secessio, aut perniciosa discordia in tanta hominum plebejorum multitudine ac gentium diversitate suborta fuerit. In urbe tres sunt ordines, Patrum videlicet, Mercatorum, & Operariorum sive plebis. Familiæ veteres & honoratiores sunt 28, ex quibus Senatus, sive Patrum collegium suppletur. Constat autem hoc viginti sex viris. Ex his tredecim Magistri civium appellantur, qui de republica simul consultant; alii tredecim populari lingua Scabini dicti, fastis fere diebus jurisdictionem inter cives exercentes, assidentibus tribus Iurisconsultis stipendiariis. Legibus avitis cautum, ne quis professione Iurisperitus aut titulo Doctor ad Senatum aut reipublicæ gubernacula admittatur. Ex bifariam sic diviso collegio Consules utrimque singulis mensibus renovantur, ut unus semper ex unaquaque parte semel in anno per mensem integrum lunarem cum insignibus summi Magistratus prodeat. Quinque ex eodem ordine viri crimina inquirunt, dijudicant, & noxios puniunt. Prætorem habet suburbanum, qui rusticis & paganis reipublicæ subjectis jus dicit. Quæstores inde ærarii duo annuatim creantur, senio, fide ac probitate conspicui, qui vectigalium ac redituum totius civitatis curam gerunt, pecunias publicas recipiunt, ac dispensant. Dicti omnes Magistratus, ceterique alicujus potestatis ex Senatu & solo Patritiorum ordine constituuntur. Ducenti duntaxat ex tribus ordinibus, ac tota civitate quotannis nominantur, qui semel quotannis, ubi res arduæ postulant, à Magistratibus convocati coëunt, & in commune consultant.

Aristocraticum regimen.

Tres ordines in Repub. Norimb.

Iurisconsulti legibus à Republ. semoti.

Consul menstruus.

Commune trium Ordinum concilium ducenorum.

Mercatorum ordo, licet amplissimus, à publicis oneribus liber est, atque immunitatibus multis & grandibus gaudet, ideoque privatas opes negotiationibus variis ex Europa non solum, sed etiam extremis orbis terrarum regionibus ac insulis eo, velut in dives horreum, congerit. Operariorum atque artificum, qui plebejus est, ordo, nulla in urbe conventicula admittuntur, nec publica, nec privata, uti nec epulæ solennes aut festiva convivia multorum, nisi religionis aut exequiarum causa. Paci siquidem publicæ id perniciosum arbitrantur, eo quod sæpius compertum est, factiones seditionesque periculosas pullulare ex similibus plebejorum congressibus. Quod si quæ inter plebejos simultas, aut dissensio fuerit orta, non ad artium decanos, aut operariorum præfectos ea defertur, sed ad ipsum Senatum, qui confestim duos arbitros legit, qui rem omnem cognoscant, & privato colloquio pacem & concordiam tentent. Quæ si conciliari nequit, controversia ad Senatum evocatur, partibusque, causa dijudicata,

Mercatorum ordo.

Operariorum ordo.

Modus componendi simultates inter cives.

Nobilissimis Amplissimis Consultissimisque Viris Dominis D. Consulibus totique Senatui inclytæ reipublicæ Norimbergensis dedicabat *Guiljelmus Blaeuw.*

TERRITORIVM NORIMBERGENSE.

Mensura unius Milliarij

½ I I½

Milliaria Gallica communia

Occidens — Oriens — Meridies — Septentrio

FRANCONIÆ PARS.

MARCKGRAEFSCHAP VON ANSPACH.

NVRNBERG — Zu Lay. — Am Schmaltzperg.

Gr. 49. min. 10 latitud.

Amstelodami Exc. Guiljelm. Blaeuw.

LITTERARVM et NVMERORVM explicatio.

a Nuw Bouw
b Augustiner Clooster
c Vrouwe Kerck
d S. Sebalde Kerck
e Prediker Clooster
f t Stadthuys
g De Marckt
h Vrouwe Kerck
i Kirstener haus
k Zum heilge geest
l Hospitael
m Weise thorn
n Thuch hoff
o S. Iacobs Kerck
p Iser brugh
q S. Laurents Kerck
r S. Clara
s S. Marten
t De peint
u t Schiet
x S. Egidien Kerck
1 De Vesten
2 Lucus landt
3 Lasser thor
4 Werder thurlin
5 Vrouwen thor
6 Water thor
7 Tafel hoff
8 Karten hoff
9 Spitaler thor
10 Haller thurlin
11 Nuw thor
12 Thur Gaertner thor



85

non sine gravi mulcta silentium imponitur. Magna severitate pugnas, rixas, injurias & vim privatis illatam, quietis publicæ conservandæ causa, compescunt, ita ut in Quinque-virali illo judicio, Minoa & Radamanthum suas urnas assidue movere dicas. Et hoc ipso rigore in officio plebs continetur. A Majoribus traditum, Fredericum III, Imperatorem, ex Italia Noribergam redeuntem, ingentis obviam ubique effusæ plebis admiratione motum, interrogasse quendam è Senatu sibi proxime adequitantem, quanam arte, vel industria tantam multitudinem à seditionibus aut tumultu cohibere possent? & respondisse facete Senatorem, *verbis & verberibus*; innuens, bonos cives facile verbis ac rationibus duci posse; pravos & serviles pœnis compescendos.

Vrbis magnitudo & forma.

Vrbs ipsa temporum successu in tantum crevit, ut nunc spatium octo millium passuum implere credatur, triplici muro & fossa una accurate cincta. Cernuntur intra eam veteris oppidi muri fossæque minore ambitu, cum vestigiis priscarum structurarum. Versus meridiem, ubi ab amne recedit, latior est urbs, ad Septentrionem adductior, neque omnino rotunda, sed de industria angulosa, ut oppugnatu esset difficilior. Lapidem ad muros, templa, & ædificia publica, privataque sufficiunt vicini colles, & loca campestria. Ei nondum effosso singularis adest mollities, quæque facile ferro cedat: expositus idem vento & Soli, ita paulatim excoquitur, ut duritie marmor æquet. Fossa urbis lata est cubitos XX, alta fere totidem, inter duos muros ad perpendiculum erectos, interlabente rivulo, cujus cespitem viridem cervi hinnulique depascunt. Turres in interioris muri, qui editior est, ambitu, quadrangulares, paribus intervallis dispositæ, sunt ducentæ, quibus vigiles ad excubias urbis impositi discrimina dierum noctiumque horis distributa denuntiant. In exteriore muro turres fere sunt totidem, sed minores, & ubi muri flexus id exigit, teretes ac rotundæ, singulæ machinis ac tormentis bellicis instructæ. Mœnia pinnata coctili latere tecta sunt. Portæ, quæ diversos Germaniæ tractus spectant, sunt sex majores, singulæ arduis turribus & propugnaculis munitæ. Amnis autem ubi ab ortu per patentes fornicato opere pontes, vallis utrimque bene munitos, in urbem infunditur, duas protinus insulas efficit: quarum una angustior, altera à congesta terra nomen habens, linteis ad Solem exponendis, ac præterlabentis amnis aspergine mundandis, egregium civitati usum præstat. Adjacent thermæ medendis corporibus salubres. Postquam vero amnis per XII pontes sese extra urbis muros evolvit, alluit locum publicum, quo, ut Spartani ad Eurotam, ita juventus Norica festis diebus sese exercet, palæstra, lucta, saltu, disco, hastarum jaculatione, aliisque honestis recreationibus. Propter flumen infinitæ sunt officinæ, cum molis machinisque frumentariis, papyraceis, ferrariis, ærariis, quibus enses, loricæ, galeæ, tela, cultri, novaculæ, forcipes, caldaria, pelves, sartagines cuduntur: fila quoque ferrea in ingentem longitudinem ænea rotarum ope protrahuntur. Plateæ urbis amplæ sunt, mundæ, ad Solem apertæ, saxo durissimo stratæ. Puteos videas publicos CXX, canales & tubos aquarum XX, fontes duos elegantissimo opere exornatos.

Fora.

Fora multa, boarium, olitorium, piscarium, cupedinarium, suarium, vinarium, frumentarium. Maximum vero & spatiosissimum est illud negotiatorum ad Ianum medium, habens fontem secto lapide, multoque auro, ac vario genere sculpturæ ornatum, virorum fortium statuis ingentibus circumpositis. Adjacet foro templum B. Virginis, exstructum à Carolo IV. Ædificia civium spatiosa atque ampla sunt. Collem seorsim adsurgentem, lateribusque suis ab Ortu in Occasum circumductum, ornant infra domus splendidæ Patritiorum, mercatorum, & potentiorum civium, intermixtis diversoriis, quibus vel Cæsaris familia excipi posset. In collis vertice duæ sunt arces: major, in quam ex urbe per excisam petram itur, regias aulas & cœnationes laqueatas late patentes habet. Hæc Romanorum Regum, si quando illic morari velint, domicilium est. In ea Fridericus Imperator, Semiramidem imitatus, hortos pensiles fecit. Altera arx sedes fuit Burg-gravii: nunc horreum est publicum. In colle templa sunt tria, quorum unum in arce Imperiali est, in quo Cæsares illic degentes rebus sacris operari solent: duo publica sunt, sacra B. Margaretæ & B. Walpurgi. Arcis istius muros refecit Senatus anno 1531, additis fortissimis propugnaculis.

Arces.

Situs urbis.

Vrbs non in Germaniæ tantum, sed totius etiam Europæ meditullio sita est, quippe quæ à Codano & Hadriatico sinu paribus intervallis distet, similiterque ab Oceano Atlantico & Tanais ripis. Cives ob vicinorum consuetudinem pro quatuor regionibus, quatuor quoque diversis linguis utuntur, Suevica, Francica, Bavarica, Montana.

Templa in urbe.

Templa in urbe augustiora sunt duo, unum beato Petro sacrum, alterum beato Laurentio. Xenodochia & Nosodochia quatuor sunt. Est & armamentarium instructissimum. De hac Iulius Scaliger ita canit:

Hanc sibi corruptas terras Astræa relinquens,
Fatali statuit sede tenere locum.
Quis putet horrifico sociatas Marte Camœnas?
Sacra tamen duplex tempora laurus obit.
Martis habe, & Phœbi felicia tempora, laure,
Sanctaque sit valido federe juncta fides.


Territorium.

Territorium Noribergense, qua Septentrionem, Orientem & Meridiem spectat, silvam esse dixeris, quam irrigant è fluvio Rednits excurrentes hic illic aquæ & fluvii, *Swartzbach*, *Pegnitz*, *Grindlach*, *Swabach*. Illorum secundus urbem intersecat.

Altorphium.

Paret Norimbergæ *Altorfium*, in qua Academia à Senatu Norico aperta est an. 1579, die 29 Iunii. Primus in ea Rector fuit Valentinus Erythræus. Translatum igitur est eò quicquid erat Noribergæ juventutis eruditioris, ut illic plenius poliretur. Fuerat enim jam ante Norimbergæ Schola satis celebris, ad cujus constitutionem multum contulerat Melanchthon, Bilibaldus Pirchaimerus, Vitus Theodorus, Eobanus Hessus. sub annum 1588 evocatus est Altorfium à Senatu Noribergensi Hugo Donellus Iurisconsultus, & post eum Obertus Giphanius, Scipio Gentilis, Conradus Rittershusius, viri toto orbe celeberrimi.

DANVBIVS.

Vm ex Philosophorum præscripto quæstio nominis præcedat quæstionem rei, primo de *Danubii* nominibus pauca præmittam. Ejus tam frequens est apud Scriptores veteres mentio, ut vix ullus reperiatur qualiscunque antiquitatis, qui non ejus meminerit. Hanc ob causam Eratosthenes ac Apollodorus in 2 de navibus, Homerum sugillarunt, quod multos fluvios Oceano scripserit immergi, & de Danubio conticuerit. Est enim inter Europæos omnium maximus. Multos Scythiæ populos irrigat, per Germaniam, Austriam, Vngariam, & Peucen usque in Græciam labitur, & ad Propontidem usque excurrit. Ab Occidente itidem in Austrum vergit. Primo molli fluxu clementer fluit. Iornandes ducentorum pedum altitudinem & profunditatem ejus esse scribit in pluribus locis. Quidam Danubium Teutonice **Done** & **Donaw** dictum volunt à sono undarum; secundum cæteros à *Dunis* gentibus, ejus accolis. Nuncupatur alio nomine *Ister*, ab Istro Rege, ut placet Beroso. Pomponius Mela lib. 2, Danubium dici vult circa fontes & principia, & inde post longas ejus dilatationes ab accolis Istrum vocari. Iornandes Bessorum lingua hunc Istri nomen ferre asserit. Quidam, sed perperam, putant, Danubium Istri nomen accepisse tempore Augusti, cum Argonautarum ævo Ister nominatus sit, unde Iustinus & Trogus lib. 32, Istriam ab ipso dixerunt, & Portius Cato, qui ante Augustum vixit, hujus meminit. Annius Viterbiensis vult à Mose vocari *Iclim*. Stephanus Byzantius *Matoan* Istrum appellat. Ab Istri & Danubii appellationibus binominis vocatur. Ovid.

De nominibus Danubii.

Stat vetus urbs, ripæ vicina binominis Istri.

Latissimum fluminum Danubium Polybius scribit, & Herodianus hunc latissimum altissimumque prodidit. Nullus autem ita Istrum expressit, sicut Dion Græcus in Trajano. Refert Danubium aquarum multitudine nulli fluviorum cedere, semper copiosissimum, nullo inferiorem, nullum etiam altitudinem & latitudinem ejus enarrare posse.

De ortu Danubii.

De origine ejus non levis est apud scriptores dissensio. Tacitus in monte Arnoba eum oriri perhibet. Alii ex montibus Suevicis, alii ex Germanicis oris arcessunt. Solinus è monte, qui in Scauros Galliæ aspectat. Marlianus ex monte non longe à Rhætiis Alpibus inter Tridentinam & Noricensem diœceses. Eratosthenes Græcus fallitur, qui scaturire ejus fontes vult non longe à montibus Ponti; & Strabo, qui supra Adriaticum fontem ponit, qui idem fontes Rheni & Istri non multum differre asseruit. Claudianus pro Stilicone ex Rhætiis montibus deducit:

Germania.

Prominet Hercyniæ confinis Rhætia sylvæ,
Quæ se Danubii jactat Rhenique parentem.

Hoc verissimum, ex Arnoba monte, qui in Ducatu est Wirtenbergico, defluere, non longe à Rheno, quatuor puta milliaribus. Picus:

Hic & Danubius non magnis devehit undis,
Montibus Arnobæ vix fusus, plurima nondum
Flumina surripuit, nondumque binominis ingens
Alluit Elysios, Ariosque & Pæonis oram,
Et Ligyos.

Munsterus scribit, nullum montem scaturiginem ejus attingere, sed effundi copioso aquarum meatu ex colliculo quodam, cujus eminentia vix habet 15 aut 16 cubitos; quod se diligenter lustrasse ait, in silva Hercynia in pago *den Eschingen.*

Controvertitur inter scriptores, an Danubius Nilo præstet, an Nilus Danubio? Illud tamen certum, Danubium à Nilo secundum esse, uti probat Aul. Gellius noct. Attic. lib. 10, cap. 7. adstipulante Ausonio:

Illyricis regnator aquis tibi Nile secundus
Danubius lætum profero fonte caput.

Herodotus lib. 2. Νεῖλος τῷ Ἴστρῳ ἐκ τῶν ἴσων ὁρμᾶται. *Nilus pari tractu atque Ister meat.* Arrianus Græcus lib. 8. Danubium è fonte parvum exire ait, ac multa flumina sibi admittere, tamen nec numero, nec magnitudine Indicis amnibus æqualia flumina suscipere. Horum maxima esse Ænum & Sabum, qui è Noricorum ac Rhætorum finibus se Danubio adjungunt. Cætera vero flumina nondum navigabilia sunt. Quæ ejus verba longe & à veterum sententia, & à vero absunt. Ovidius vult Nilo non esse minorem in lib. de Tristibus:

Ipse papyrifero qui non angustior amne
Miscetur vasto multa per ora freto.

Et in libro de Ponto:

Innumerique alii, quos inter maximus amnes
Cedere Danubius se tibi Nile negat.
Copia tot laticum, quas auget, adulterat undas,
Nec patitur vires æquor habere suas.

Danubius terminus Romani Imperii.

In hoc flumine terminus fuit Romani Imperii, auctoribus Appiano Alexandrino, Dione Græco, Ambrosio in Hexaemeris, Varrone insuper, Lælio, Salustio, & Ovidio in Tristibus:

Hactenus Euxini pars est Romana sinistri,
Proxima Basternæ Sauromatæque tenent.
Hæc est Ausonio sub jure novissima, vixque
Hæsit in imperii margine terra tui.

Et paulo post Getas ultra Danubium Romanorum terras invadere dixit. Ausonius tamen & totum Danubium Romanis adscribere nititur, adulatione abreptus:

Qua gelidum fontem mediis effundo Süevus,
Imperio gravidas qua seco Pannonias.
Augusto dabitur sed proxima palma Valenti,
Invenies fontes hic quoque Nile meos.

Supra hunc fluvium Trajanus Nerva pontem miri operis in Mœsia construxit, quem denuo Adrianus demolitus est.

De Danubii natura & incremento.

Ejus naturam variam faciunt ſcriptores. Herodotus his verbis lib. 4. eum deſcribit: Quod autem ſemper ſibi ſimilis fluit Iſter, tam in æſtate quam in hyeme, ob id fit, ut mihi videtur; in hyeme enim ningit ac pluit ubique; in æſtate vero nix in hyeme delata, tunc liquefit ubique. Nives igitur in Iſtrum venientes ipſum implent. Et addit: Imbres quoque multi ac vehementes cum nive ipſum augent. Quanto autem plus per æſtatem pluit, & quanto plus aquæ Sol trahit, tam in æſtate quam in hyeme, tantum etiam Iſtro miſcetur. Itaque cum ſemper paria faciat Iſter, tam æſtate quam hyeme, datis aquis ac acceptis, ſemper ſibi ſimilis apparet.

De fluminibus in Danubium ſe exonerantibus.

In Danubium ſe exonerant flumina plurima, numero ſexaginta, ut aſſerunt pene omnes probatæ fidei ſcriptores. Albertus Magnus, Martianus, & Iornandes, per mille ducentorum paſſuum millia à fonte Iſtrum uſque ad Pontum defluere collegit. Nec mirum, cum per tot loca labatur barbara. Valerius Flaccus libro 8:

Torvus ubi & ripa ſemper metuendus utraque,
In freta per ſævos Iſter deſcendit alumnos.

Corteras fluvius, ut Strabo ait, apud Lugeum & Tergeſtum, Sabum intrat, Sabus Draboram, Drabora Noaram, *Noara* apud Scorbiſcas Danubium. *Regus* fluvius apud Noricos, apud Ratisbonam tranſmittitur, Teutonice **der Regen**. Vnde ait Celtes lib. 2 Odar.

Noara. *Regus.*

Sed nunc in oris Vrſula Noricis,
Quà Regus Iſtro ſe ſociat vago.

Almonus.

Inſuper *Almonus* fluvius Aureatenſis, cujus meminit Celtes in Odis: *Baccuntius* fluvius, cujus Bocatius & Plinius lib. 3, cap. 22. recordantur, juxta Sirmium in Savum influit. His adde *Iglam*, qui caput non procul à Marſcheck loco producens, in Danubium ſe inter Trebetzich ac Petronel abſcondit. Curſus ejus ab Oriente in Meridiem eſt. Iglam intrat Mura, prope Treſnitz. Almonus fluvius ſapore piſcium præſtantiſſimus juxta Kelheim ſe in Iſtrum commutat. Bernicus non procul à Werd Danubio ſociatur. Iſarus etiam haud procul à Pletlingio ſe Iſtro aſſociat, oppida tranſiens Landen, Lantzhutta, Sindelfingium, Monacum, Mosburgum, Mittenwaldium. Multa præterea flumina ſunt, quorum Herodotus meminit, quæ per Scythiæ partes olim ita vocatas ad Danubium decurrunt. Primum Poratam vocant Scythæ, Græci vero Pyretum; ſecundus Tiarantus eſt; tertius Araras; quartus Naparis; quintus Ordeſſus dictus eſt. Primus illorum ingens fit, & ad Auroram fluens cum Iſtro communicat. Secundus Tiarantus dictus, ad Occidentem magis vergit. Cæteri tres, per medium illorum fluentes, Iſtro ſe immergunt. Idem Herodotus. Inde, inquit, ex Agathyrſis μάρις fluvius, inde ἄυρας καὶ τίβισις, Auras & Tybeſis: per Thraciam vero ἄθρης καὶ νόης, Athres & Noës, καὶ ἀτάρνης, Atarnes. Ex Pœonia vero ac monte Rhodope κίος, Cius, medium eum interſcindens. Ab Illyriis autem ad Aquilonem ἄγγρος, Angrus, qui planitiem Triballorum percurrens in τὸν βρόγγον, Brongum incidit. Brongus vero in Iſtrum. Inde ex regione Ombricorum κάρπις, Carpis fluvius, & alius ἄλπις, Alpis dictus, verſus Boream tendunt & Iſtro miſcentur. Sunt & alii, quorum Huttenus meminit in ſuo Panegyrico: *Parvus Iſer, curvuſque Lycus, Inus, Eſer, Bemus, Nabus, Ænus, Igla, Theſia,* &c.

Igla. *Bernicus.* *Iſarus.* *Flumina è Scythia in Iſtrum labentia ſecundum Herodotum.*

Item Parthiſcus fluvius Sarmatiæ Iſtro miſcetur, ut ait Ammianus Marcellinus lib. 7, qui dum ſolus licentius fluit, ſpatia longa & lata ſenſim præterlabens, prope exitum in anguſtias accolarum ab impetu Romanorum alveo Danubii defenditur. Arabon fluvius inferioris Pannoniæ in Danubium defertur verſus montem Cecium, juxta Corroduum & Curtam, ut Ptolemæus ait. Eſt & Tibiſus fluvius, qui è Carpatho oritur, & in Danubium defertur.

Parthiſcus. *Arabon.* *Tibiſus.*

At his nobilior luculentiorque eſt Ænus, qui ſecundum Picum in Alpibus oritur:

Ænus.

Atque ſub aëriis perlabitur Alpibus Ænus,
Ænus Cæſareis ardentia tecta caminis
Ducturus, &c.

Revera autem ex Adula monte erumpit, ut Celtes ait:

Qui Rheni Rhodanique parens, Ænique ſonantis.

Deſcendit autem inde uſque ad Ænipontem, cui urbi nomen dedit, **Inſpruck**. Noricos inde à Vindelicis ſeparans Bavariam petit, uſque ad Patavium urbem Epiſcopalem, Teutonice **Paſſaw**. Confluum Ilſum à Septentrione recipiens in Danubium exit. Civitates, quæ non procul ab Æno conſpiciuntur, ſunt Scherdingen, Oſenburgum, Otingum, Muldorffium, Hehennaugia, Roſenheimium, Kopffenſteinium, Waſſerburgium. Idem Ænus Iuvarum recipit, quem Saltzam vocant, qui ſupra Iuvaviam oriens in loco *Zum-hellen* dicto per eandem Iuvaviam, Lauffen, Titmaningum, ac Burckhuſen præterfluens Æno miſcetur, non procul ab Otingen & Pranau. Ilſus autem fluvius è Bohæmia deſcendit, ac ad Patavium Danubio miſcetur. Celtes:

Ilſus. *Iuvarus ſive Saltza.*

Ilſus & à Borea niger exit,
Danubii medios quos accipit alveus amnes,
Creſcit, & impetuoſior undis.

Nabus in Pinifero oritur, & mox ad Orientem ſe convertit. Ptolemæus Nabi, poſtquam de Vindelicis locutus eſt, non meminit, ſed Æni, lib. 2: *Secundum ſciſsionem fluvii ad meridiem vergentis, fluvius eſt, qui vocatur* αἶνος. Nabus autem per Neuſtadium ad meridiem ſe flectit, & juxta Ratiſponam Danubio abſorbetur. Vilſum Celtes ex Hercynia & Pinifero deducit:

Nabus. *Vilſus.*

Qui Nabum vitreis fontibus egerit,
Et Vilſum ſocio flumine concipit,
Qui magnum ſociati patrem Danubium petunt.

Lycus Vindelicorum Fluvius, **der Lech** / apud Valkyrum ortus, aut, ut aliis placet, in Alpibus, poſtquam Reynum, Auguſtam Vindelicorum, Lantzpergum præterfluxit, inter Nuenburgum atque Werd in Danubium exit. Savus & Dravus Flumina Pannoniam complectuntur. Ille recipit Fluvium Ogdolapem & inde Danubium petit, Teutonice **die Saw**. Diſtat à Dravo 11600 paſſus, per Lapiones & Breucos labitur. In Savum Baccuntius labitur juxta Syrinthium. Dravus autem è Noricis tranſit violenter per Serapilos, Iaſos, Scandezetes, Dalmatiarum populos.

Lycus. *Savus.* *Dravus.*

Tractus totius Danubii.

Fonte ſuo prolapſus divagatur in paluſtria, mox

mox in alveum receptus, & subinde allabentibus rivis auctior, multas gentes adit, & primo Suevos permeat, multis anfractibus flexibusque, donec Vlmam imperialem civitatem alluat, à qua dimissus Ingolstadium Bavariæ urbem adspicit, inde Ratisbonam, de qua Otto Frisingensis: *Hæc civitas super Danubium sita est, qui unus trium famosissimorum fluminum in Europa à Topographis dicitur, ex ea parte, qua prædicto amni duo navigabilia Regnus & Naba illabuntur flumina, posita, eò quod ratibus opportuna bonaque sit, Ratisbona dicitur.* Hinc Patavium adit, *Passaw*, ubi tres amnes concurrunt, Danubius, Ænus, Ilsa. Danubius medius est, cui pons injectus urbem ipsam cum ripa adversa nectit, ædificiis turribusque egregie ornata. Recipit hic dextera è Vindelicis Ænum, Iuvavo auctum, læva Ilsam sive Ilissum ex Germania adversa se in Danubium præcipitantem, ad pedem arcis Episcopalis. Tandem in Austriam deductus Viennam salutat, imperialem urbem, mox decimo à Vienna milliari *Posonium*, hodie **Presburgh** præterlabitur, exinde Komaram, ubi Insulam, quam hodie **Schutz** vocant, ambit, post hanc Strigonium radit & Budam in Hungaria citeriore, quam nunc Turca tenet, ereptam Christianis, anno Domini 1519, ab imperatore Solymanno, die 19 Augusti, postquam undecies illam oppugnasset, facta ad muros usque oppressione. Pestham ubi emensus est, Tibiscum fluvium recipit, & è Servia Savum. Hinc Bulgariam adit sive Mœsiam inferiorem, ubi vestigia pontis Trajani visuntur, prope Severinum. Inde vario flexu & meatu per Valachiam raptus in Pontum Euxinum labitur.

De exitu vero Danubii inter autores controversia surgit. Eratosthenes & Ephorus in utrumque mare se exonerare Danubium scripsere. Alii in Pontum Euxinum, ut Strabo, Tacitus, Lucanus, cujus hæc sunt libro secundo Pharsal.

Nec minor hic Istro, nisi quod dum permeat orbem,
Ister casuros in qualibet æquora fontes
Accipit, & Scythicas exit non solus in undas.

Valerius Flaccus lib. 8:

Haud procul hic ingens Scythici ruit exitus Istri.

Theopompus & Eratosthenes etiam in Adriaticum mergi Danubium scripserunt. Nec de ostiis convenit. Arrianus lib. 1 de gestis Alexandri, quinque Danubii ostia ponit, & Claudianus de laudibus Stiliconis, *Thracia quinque vadis Istrum vocat.* Et Dionysius Græcus quinque ostiis tantum Istrum investivit, interprete Prisciano:

Qui poscens ortus Euxini pervenit undas,
Irriguam Peucen complectens gurgite quinto.

Vbi Eustathius ejus enarrator καὶ ὁ αὐτὸς πεντάστομον τοῦτον ἱστορεῖ. Quorum verò opinio est probabilior, septem ostiis Danubium Ponto immisceri scribunt, sex navigabilibus, septimo paludibus consepto. In hac sententia sunt Mela, Solinus cap. 22, Strabo lib. 7, Picus:

——— *tandem rapto tumefactus aquarum*
Euxinum ingreditur bis terno gurgite pontum,
Extremumque caput limosa perdit in ulva.

Mela tot ostia ipsum habere ait, quot Nilus habet. Eorum quæ ad ortum vergunt sub ostio Peuces Troglodytæ sunt. Ostia vero Peucini habitant. Ovidium audiamus:

Solus ad ingressum missus septemplicis Istri,
Parrhasiæ gelido virginis axe premor.

Haud secus Valerius Flaccus septem ostiis hunc ditavit:

Fundere non uno tantum quæ flumina cornu
Accipimus, septem exit aquis, septem ostia pandit.


Nomina ostiorum, ut placet Ammiano Marcellino lib. 22, sunt illa: Primùm Peuce, secundum Nauzocusoma, tertium Calostoma, quartum Pseudostoma, Ammianus Pseudostomum dixit, quintum Baryostoma, sextum Spireostoma, quod dicitur ab Ammiano Stenostoma. Tria posteriora minora sunt, ut & septimum, priora vero eo majora, quod illapsa in Pontum per quadraginta millia passuum non misceantur æquori, dulcemque aquarum saporem servent. Septimus autem meatus sine nomine in paludibus delitescit. Strabo lib. 7 dissentit ab illis. Inter maxima enim Istri ostia Hierostoma dixit, id est, sacrum ostium. Ab illo usque ad Peucen stadia 120 enumerat, ubi Darius pontem struxit. ab eo septimum ostium distat 300 stadiis. Hæc Strabo. Mirum autem, quam apud scriptores varient vocabula & appellationes ostiorum. Georgius Fabritius sex ostia recenset in quodam Itinerario:

Qui centum populos & magnas alluit urbes,
Euxinum irrumpit bis terno flumine pontum.

De eo sic Ammianus: Et constat ab ultimis finibus nostri maris agminatim pariendi gratia petere pisces, ut aquarum suavitate salubrius fœtum educent, nec intercipiantur. Hæc de quibusdam ostiis vera sunt, quæ tanto impetu undarum in mare excurrunt, ut ad longissimam ab ostiis distantiam dulces aquas devolvant.

SVEVIA.

Suevia olim regnum.



Veviam olim regnum fuisse, ex historiarum monumentis constat; deinde in Ducatum redactum. Hodie vero nemo Germaniæ Principum Ducis Sueviæ titulo ornatur. Sub multis siquidem Principibus divisa est. Pars Domui Austriacæ jure hæreditario accessit. Dux Wirtenbergensis plurimam partem occupavit. Multæ in ea sunt civitates liberæ & Imperiales, multæ quæ Ducibus Bavariæ subjiciuntur. Hujus vero gentis tanquam nobilissimæ & antiquissimæ in Italia, nemo veterum scriptorum non meminit. Ad Albim & Suevum fluvium eam olim habitasse, ex Ptolemæo, Strabone, aliisque auctoribus liquet. Hodie autem arctioribus contenta terminis, Germaniæ suprema portio est. À Septentrione illi adjacet Bavariæ Palatinatus, ab Oriente Ducatus Bavariæ, à Meridie Helvetiæ pars, ab Occidente Alsatia. Quondam hæc regio Alemania à lacu Lemano (ut quidam existimant) dicta fuit.

Fines.

Regionis indoles.

Regio est (ut eam pulchre describit Ioannes Aubanus, in suo de moribus gentium pulcherrimo libello) partim plana, partim montosa. Ager fertilis, cujus nulla pars inculta jacet, præter quam aut lacus, aut montes, vel sylvæ occupant. Nemora in ea multa, & ob id genti venatio frequens, aucupium peculiare, frumentorum abundantia, pecorum magna vis. Tota provincia salubritate gaudens, celebratissimis urbibus, vicis & castellis referta. Arces excelsæ, natura & arte munitæ. Circa montes ferrum, argentum & metalla procreat. Gens populosa, fortis, audax & bellicosa, præstantissima Germanorum à Plutarcho dicta. Cujus gloria eo usque crevisse memoratur, ut virtute & armis imperium orbis meruerit, illudque ultra unius seculi spacium magnificentissime tenuerit. Pertinet ad circulum Imperii quartum. Cujus circuli dum mentionem facio, quid hæc res sibi velit, aperiam.

Ad quartum Circulum Imperii pertinet.

Divisum est Imperium Germanicum in Circulos. Circulum vocant Provinciam vel ditionem Imperii singularem, certo jure ac societate junctam, ad mutuam adversus hostiles incursus defensionem. Vastum enim illud Germanici Imperii corpus quum viderent Proceres non posse simul facile moveri, placuit distinguere in certos tractus, quibus singulis præessent consilii capiendi præfecti quidam seculares, ut postea in Comitiis Imperii tanto expeditius per ipsos ea peragerentur, quæ ad communem sui tractus salutem pertinerent. Ac primum quidem sex tantum circuli fuere constituti Augustæ, anno 1500. Postea facti sunt decem, anno 1522 Noribergæ, quod tamen alii Treveris factum adserunt anno 1511. Primus Circulus est *Franconiæ*, Secundus *Bavariæ*, Tertius *Austriæ*, Quartus *Sueviæ*, Quintus est *Rheni*, Sextus *Quatuor Electorum*, Septimus *Westphalicus*, Octavus *Saxoniæ Superioris*, Nonus *Saxoniæ Inferioris*, Decimus *Burgundicus*.

Divisio.

Dividitur autem Suevia in plurimas partes, quales sunt, *Algovia, Hegovia, Kleckgovia, Schwartzwald, Mortnavia, Kreichovia*, Marchionatus *Badensis*, Ducatus *Wirtembergensis*, ambæ lacus *Constantiæ* ripæ, *Ergovia*, *Turgovia*, quæ maximam partem Helvetiis infestæ, Marchionatus *Burgavia*, prope Augustam, ad Archiduces Austriæ pertinens; præterea parva territoria *Alb*, *Albuch*, *Scher*, *Hanenkam, Hertfeld, Wernitz*, *Riez*, *Reichnavia* & *Viragrund*, *Valles Danubii*, *Rocherthall*, *Remsthall*, *Premsthall*, Episcopatus *Argentoratensem* & *Constantiensem*, Comitatus *Hohenzollern*, *Herffenstein*, *Hohenlohe*, *Montfort*, *Furstenberg*, *Sultz*, *Luffen*, *Zimbern*, *Hohenberg*, *Ottingen* & *Fuggerorum*; Baronatum *Waldburg*, Abbatias *Kempten*, *Lindaw* & *Buchow*, *Elbwangen*; *urbes* item *Imperiales*, quæ totidem quasi respublicæ sunt.

Fluvii.

Fluvii Sueviam humectantes sunt, *Danubius*, *Rhenus*, cæterique, qui in eum se exonerant, *Neccarus* seu *Nicer*, *Lycus*, *Wertavus*, *Isera*, *Mindela*, *Brentz*, *Rems*, *Entz*, *Iaxt*, *Nagolt*, *Wernitz*, *Wiltz* & *Kocher*.

Mores.

Incolæ utplurimum pulchri, proceri, audaces, bellicosi sunt; simplicitas quoque eorum adeo grandis, ut in proverbium abierit. Ditissimi quoque inter illos mercaturam exercent, non quidem ipsi in propria persona, sed per ministros & servos suos; reliqui autem texendis telis addicti sunt, quarum unum genus illis *Barchet*, Hollandis *Bommesyn*, Gallis *Futaine* appellatur; alterum ipsis peculiare *Golsch* dicitur: ita ut Vlmæ singulis annis harum telarum circiter centum millia conficiantur, quæ deinde in vicinas regiones exportatæ, non mediocre mercatoribus lucrum adferunt.

Status.

Constat Sueviæ Circulus tribus Ordinibus, Ecclesiastico, Principum & Civitatum Imperii, quæ liberæ respublicæ sunt & solum Cæsarem agnoscunt. Inter civitates Imperii liberas cum longe antecellant Augusta, Constantia, Halla, Nordlinga, Gemunda, & Rotweila, accuratius illarum urbium memoranda deducentur.


Augusta Vindelicorum.

Augusta interdum Rhætorum, interdum Vindelicorum esse dicitur, quia Rhætia illa communis habet in se Rhætiam singularem, ac præterea etiam Vindeliciam Lyco amne à se invicem discretas. Tacitus eam vocat splendidissimam Rhæticæ provinciæ coloniam. Quum autem credibile sit, Vindelicos aliquid etiam in adversa ripa terrarum habuisse, non est mirum, si quæ proprie Rhætorum fuit, ob hanc causam etiam dicta sit Vindelicorum, ipsis quoque Vindelicis in altera fluminis ripa ab hac parte nomen trahentibus. Vindus quippe in Lycum se exonerat in Rhætia, & ab hoc confluxu, qui ad Augustam fit, dicta est Augusta Vindelicorum. Est autem vetus admodum & antiqua hæc urbs, imo

imo & ante Romanorum imperium celebris inter Rhætos & Germanos. Sed in eam postea auspiciis Cæsaris Augusti deducta est colonia, ex eoque illa Augusta dici cœpit; quomodo ad Danubium Augusta Acilia; in Gallia Augusta Ausciorum; in Hispania Augusta Bracarum; in Lusitania Augusta Emerita: in Comagena Augusta Euphratesia: Prætoria in Salassiis, Rauracorum ad Rhenum; Veromanduorum, Suessonum, Taurinorum, Tiberii, Trevirorum alibi. Et verisimile est, coloniam huc ductam, quo tempore Tiberius & Drusus Nerones, Rhætiam, Vindeliciamque devicerunt subsidio adversus rebelles, & imbuendis sociis ad officia legum, ut ait Tacitus. Ab Augusta addita Germanicæ vocis terminatione dicta est *Augsburgum* quasi dicas πύργον, burgum sive oppidum Augusti. Nunc ea Sueviæ accensetur, ex quo fortis Suevorum natio transito Danubio illa etiam loca insedit. Post calamitatem ab Attila illatam cœpit se urbs paulum erigere, sub Ostrogothorum Rege Theodorico. Quum vero exactis Romanis Suevi Danubium Imperii limitem transgressi, Rhætiam omnem invasissent, ac cum Allemannis ipsi quoque de pellendis Francis consilia agitassent, victi ad Tolbiacum cessere potestati victorum, paruerunque Augustani Austrasiorum Regibus, usque ad Carolum Martellum. Anno 1051 Henricus Niger conventum hic habuit Imperialem Calendis Febr. Anno 1077, Rudolphus Sueviæ Dux Hildebrandi Papæ instinctu contra Henricum IV Cæsar electus, comitia hic celebravit, una cum legato Romano. Sub Sigismundo aucta sunt urbi privilegia & immunitates. Anno 1496 celebravit hic festum Maximilianus Austriacus cum Philippo filio suo Archiduce. Sub eodem Maximiliano sæpius hic agitata Comitia. Anno 1518 evocatus Lutherus rationem fidei suæ hic reddidit, & sub Carolo V, in Comitiis oblata est Confessio ab hac urbe post denominata, anno 1530. Decimo octavo post anno cusa est moderatio religionis, quam *Interim* vocant, per Iulium Pflug, Michaëlem Heldum, & Iohannem Islebium. Biennio post habitis ibi Comitiis ursit Carolus V, Concilium Tridentinum. Sub Ferdinando confirmata est pax Augustana. Et ne Ecclesiastica sileam, circa annum Christi 190 fertur Augustæ prædicasse Euangelium Lucius quidam, & Prætorem Campestrium ad religionem Christianam convertisse; quod tamen quia certis historiarum documentis non probatur, in medio relinquimus. Certiora hæc sunt: sub Diocletiano Narcissum Gerundensem docuisse, & primum illic Episcopum constituisse Dionysium Cretensem, qui cum Afra, Digna, Eunomia, Euprepia, multisque aliis sanctis à Cajo Diocletiani Duce interfectus est, quorum martyrum memoria incidit in quintam & duodecimam Augusti. At anno Christi 400 missi sunt ab Ambrosio Mediolanensi Episcopo Augustam Albanus & Theomnestus, ut Ecclesiam ibi Arianа hæresi infectam purgarent. Anno Christi 618 præfectus est Ecclesiæ Sozimus, qui primus Episcoporum Augustanorum censetur.

Templa complura habet pulchritudine & antiquitate spectabilia, quæ inter primaria sunt tria. Templum Societatis Iesu; Templum cathedrale, ubi ex suprema Chori parte suspensum videtur vexillum Caroli V Imperatoris, ejusdemque inibi repositus gladius, sceptrum, & corona aurea, veluti pacis trophæa, constituta eo loco anno 1555. Templum D. Vdalrici, cujus ibi sepulchrum, ex quo eruta terra vim habet, ut ajunt, pellendi glires: ideoque peregre adventantibus portiuncula ejus donari solet. Hac in æde monumenta sunt Fuggerorum, chorus marmoreus, aliaque. Ornant urbem eorundem Fuggerorum palatia magnifica; aquæ ductus publicus visu dignissimus, quo aqua salubris & limpidissima tanta copia per canales in ipsum castellum sive receptaculum deducitur, ut diversis per ea temporibus aper & dama pusilla delata sit. Memoriæ ejus rei tabulæ ligneæ appensæ ibi monstrantur, indices excultiores magnitudinis & crassitiei, & ipsius quoque temporis. Aqua singulari artificio in fastigium altæ turris sursum propellitur, atque inde per minores canales certa mensura in loca publica & privatorum, quæ eam sibi compararunt, ædes dirigitur. Fons longe pulcherrimus ex marmore candidissimo cum statua ænea Augusti Imperatoris egregia & alta conspicitur prope curiam, ad quem vetusta & rudi Minerva depicta est cædes Quinctilii Vari, & legionum eo ipso in loco, quem hodie *Berler* vocant. Ipsa Curia olim Cybeles templum fuisse perhibetur. Iuxta eam est turris Badina, ubi certus est in urbem introitus mira arte & ingenio factus. Constat ex ponte sicilibus strato, pensili fere, nullisque columnis suffulto, fornicis ad instar. Per portas itur quatuor, quarum singulæ certo pondere, artificio & facili ductu (dirigente ea janitore in superiore domus contignatione) sponte sua ordine aperiuntur, & rursum occluduntur. Ajunt factum esse in commodum Maximiliani I Imperatoris, qui ne portas aperiri sibi necesse esset, iter rectum hac via noctu introivit. Hodie cujusvis commoditati inservit, qui nocturno tempore eques pedesve urbem ingredi cupit, denpenso exiguo isagogico. Bibliotheca Senatus in Academia D. Annæ conspicitur, in qua, præter impressos libros optimorum autorum, bona etiam copia asservatur manuscriptorum antiquissimorum, & pulcherrimorum utriusque linguæ. Nosocomium quoque insigne & Gerontocomium, in quo valetudinarii & senes utriusque sexus distinctis cubilibus honeste, ære ut plurimum publico, habentur. Est & locus *die Fuggerey* dictus, in media urbe, instar oppiduli alterius minutioris, exstructus à Dominis Fuggeris, qui domunculas ibidem pauperioribus opificibus vili locare precio consueverunt. Horti eorundem Fuggerorum extra urbem fontibus artificiosissimis, item vivariis avium pisciumque & omnis generis herbis exoticis ornatissimi, cum palatiis superbis, ubi cervorum cornua miræ magnitudinis parietibus passim affixa, ramorum similitudine conspiciuntur. Non absurde itaque aliquis ita de Augusta cecinit:

Augusta sunt hic omnia & inclyta,
Quæcumque cernis; templa, domus, fora,
Turres & horti, porticusque,
Mœnia, & hospitia, & tabernæ.


SVEVIÆ
NOVA
TABVLA.
Notarum explicatio
Urbs imperialis.
Urbs.
Oppidum.
Monasterium.
Pagus.
Balneum
AMSTELODAMI,
Apud Guiljelmum Blaeuw
Miliaria Germanica communia.
1 2 3 4 5 6 7 8
1 2 3 4 5 6 7 8 9 10
Miliaria Gallica communia.
SEPTENTRIO
MERIDIES
OCCIDENS
ORIENS
SVEVIA
WIRTENBERG DUCATUS
PALATINATUS BAVARIÆ PARS
BAVARIÆ DUCATUS PARS
HELVETIÆ PARS
BASILIENSE TERRIT.
Boden See
Stift Elwang
Herschaft Limburg
HOHENLO CO.
BADEN MARG.

Augustior Respublica nobilis
Virtute præstans & sapientia:
Formis puellarum, virûmque,
Militibus, geniis abundans, &c.

Constantia. Constantia sita est ea Sueviæ parte, qua Rhenus ex lacu Acronio sese in Venetum mergit. Vetustatem indicat nomen, cum tamen nulla ejus in antiqua historia exstet mentio. Quæ enim *Castra Constantia* vocantur, in Gallia sunt ad ostium Sequanæ. Sita est inter Acronium lacum (ut dixi) & inter Venetum, quorum ille major & superior, hic minor & inferior. Sed illum hodie à castro de Podmen Podamicum vocant, hunc ab oppido, quod Cella Rudolphi dicitur, Cellacensem. In extrema ergo lacus superioris parte sita est Constantia. Ager ferax est vini, frumenti, pomorum, olerum. Habet pabula optima, neque quicquam ei denegavit natura, cujus ad vitam necessarius sit usus. Templum Cathedrale sacrum est B. Stephano. Primus Episcopus Constantiensis fuit Maximinus, qui ex veteri Vindonissa cum Episcopatu huc translatus est sub Clotario II, & Dagoberto. Celebrata hic est Synodus Constantiensis dicta, imperante Sigismundo, Episcopo urbis Ottone III.

Hala. Ad Cocherum amnem, qui se in Nicrum ex adverso Wimpfinæ exonerat, est in Suevia civitas Imperialis Hala inter sublimes & præruptos montes sita, natura loci adeo munita, ut nusquam circa ipsam in viciniis castra defigi, nec machinæ ullæ ad quatiendos muros commode admoveri & collocari queant. Ea à salis lacunis initium & nomen adepta est. Heroldus putat hanc esse quæ Ptolemæo ἄλειον dicitur, in quo ipsum fugit ratio. Tacitus enim & Vellejus Paterculus Alisonem castellum ad Rhenum locant. Constat autem hoc ipso loco olim terram silvosam fuisse, asperam, incultam, nec satis tutam à latrociniis. Vbi vero nunc salina est quam *Sulam* vocant, ubi ante sexcentos annos vel haud multo amplius vallem fuisse una cum lacuna aquæ salsæ, ad quam è vicinis silvis feræ currentes salsuginis lingendæ caussa, incolis postea salinas ostenderunt. Nam unus hic fons aquæ salsæ hodie cernitur perpetua scaturigine ebulliens, qui officinas salarias in quibus sal coquitur, centum atque undecim exercet. Ad has ergo lacunas auspiciis Comitum Schongiorum sive Westhemiorum aliquot casæ positæ sunt: quæ postea in vicum, hinc in pagum, ac tandem in oppidum celebre creverunt, sedes suas ibi ponentibus nobilibus vicinis, qui præter domos septem etiam illic castella ædificarunt, Suevorum adversus Francos propugnacula, ob quæ oppidum *Siebenburgum* dixere. Sed & Cæsares locum ludis equestribus cohonestarunt, & jure monomachiæ illic exercendæ, siquando nobiles duo de fama & capite inter se vellent cernere. Rupertus quoque Cæsar civitati libertatem dedit vivæ sepis toti territorio circumducendæ, quæ vocatur *die freyheyt uber Heg und Schleg*. Ea cavetur, ne quis sepem disrumpat sub pœna 50 marcarum auri. Vicinum huic urbi est Camburgum nobile quondam Cœnobium. Martinus Crusius de Hala sic scribit: Hala civitas Imperii agrum seu ditionem habet permagni milliarii Germanici quoquo versus. Ager etsi durior est, tamen exaratur & excolitur. Datque quantum satis est frumenti & vini. Satis etiam aquæ suppeditant pisciculorum. Fossa & viva sepes (*ein Landgrab und Hegzeune*) Halense territorium ambit. Arces olim hoc tractu fuere supra 40: quarum nonnullæ restant: cæteræ aut belli aut dominorum suorum extinctione collapsæ sunt. Fuit autem hæc regio ante civitatem conditam locus silvester, ubi nobilium domicilia erant in arcibus, antequam se Imperio subjecissent. Dividit fluvius Cocherus Halam in duas parteis: nimirum in urbem & suburbium: quæ ambæ ponte Carnificis sic dicto conjunguntur. Vbi hoc pons attingit suburbium, ibi ædes est D. Ioannis: ubi urbem, juxta est scaturigo salis utilissima, quæ *Sula* vocatur, & ortum civitati dedit. Ex eo puteo 15 haustoriis aquæ salsæ hauriuntur. Ea canalibus in salarias sartagines quæ in salariis tabernaculis sunt, defluit. Sunt autem CXI circiter tales sartagines elixando sali servientes, unde multis hominibus civitatis alimonia & victus suppetit. Partes urbis tres sunt. Prima est vetus Hala, ubi templum est S. Michaëlis & Cœnobium Iacobæum à Comitibus Westensibus ædificatum. Altera est trans Cocherum amnem, ubi templum B. Ioannis & Commendatura, ac ædes D. Catharinæ. Tertia Gelbingera platea, ubi forum boarium & pecora. Signum sive vexillum in expeditionibus Imperii inter antecursores & rararios duos habet colores, rubrum & flavum, symbola mortis & vitæ. Licet autem Halensibus cudere monetam argenteam & auream, in qua est manus & crux aurea in aquila. Hæc Crusius.

Gemunda. *Gemunda* urbs Imperialis libera sub Friderico Vnoculo Sueviæ Duce ad Annum Christi 1091 & 1110, nomen primum in Annalibus meruit, à quo muro circumdata fertur. Exinde sub Imperatore Conrado III, ut & Friderico Barbarossa aucta & privilegiis ac jure Civitatis donata, diversa nomina invenit, primo *Keysergereut*, inde *Thiersgaerten*, & tandem *Gmünd* dicta, quod nomen retinuit. Vnde vero illud sibi acquisiverit, quæve illius etymologia sit, in opinionum varietate vix aliquid recti dispicitur. Quia vero circumcirca hæc urbs nulla vineta habeat, nec reliquis uberiora arva, & præterea navigabili fluvio non alluitur, fit, ut cives mercaturæ potissimum dediti sint, quæ præcipue in coronis oratoriis, quas vulgus *Pater nosters* vocat, consistit, quarum immensa copia in longe quoque dissitas regiones distrahitur. Inter templa eminet Ecclesia Cathedralis, quæ Præpositum habet; reliqua sunt templa S. Iohanni, S. Vito, S. Michaëli, S. Sebaldo sacra, & Xenodochia, ut & duo sacella, Cœnobia quoque in urbe complura inveniuntur Ordinis S. Augustini, S. Dominici, S. Francisci, & virginum, quale & extra urbem, in quo olim centum virgines fuisse dicuntur.

Nordlinga. *Nordlinga*, Imperii itidem libera urbs, sita est in media inferiori Rhætia, quæ das Rieß vernacula lingua appellatur. Sunt qui existiment Tiberium Neronem Augusti privignum hic stativa habuisse, è quibus postea hæc urbs suæ magnitudinis fundamenta accepisset: *Aras* quoque

Flavia-

Rotu

Flavianas seu *Flavias*. à Flavio Vespasiano Cæsare ibidem exstructas, nomen urbi dedisse aliqui arbitrantur. Quicquid de eo sit, situs urbis olim alius ac nunc fuit: quippe in colle sita, ubi anno 1546 Protestantes Principes castrametati sunt, in commodiorem locum ad Egram fluvium translata est. Facies illi rotunda planis in campis; platearum series distincta, & grata; ipsæ vero plateæ largæ & dilucidæ. Murus urbem cingit ad veterum normam exstructus, & pro illorum temporum ratione satis firmus, cui undique impositæ turres, & deinde addita propugnacula; ambitus ejus internus 3100 passus, externus vero 9395 passus æquare fertur. Fossarum aliquæ aquis plenæ, aliquæ contra inanes; in quibus aliquando cervi alebantur delectationis ergo. Ædibus non quidem adeo splendet Nordlinga, quæ plurimæ ex ligno. Inter sacra ædificia primum locum vendicat Parochialis S. Magdalenæ & S. Georgii ecclesia, quæ 22 columnis innexa turrim habet, ex quadrato lapide in summum usque fastigium erectam, quæ celsissimum inter omnes Germaniæ turres culmen ostentat. Memorari hic preterea volunt dives illud ad Spiritum Sanctum Xenodochium, Curia, Cella vinaria & Armamentarium. Mercaturam cives non spernendam exercent, maxime lineas telas, & adornatos pelles in vicinas oras exportantes: multum illis quoque prosunt annuæ nundinæ, frequenti peregrinorum mercatorum cœtu celebratæ. Inter multos, qui huic urbi acciderunt, casus, ille maxime notandus, quod cum Sueci anno 1634, urbem obsidioni, qua Imperator Ferdinandus III illam circumdederat, eximere conarentur, prælio inter utrosque commisso, illi fere internecione deleti sunt, captis 6 millibus, inter eos Mareschallo Campi Cratzio, Gustavo Horn, & Majoribus Generalibus Rostein & Schaffelisky; cæsis autem 12 millibus, amissis 300 signis, 10 millibus equorum, 80 majoribus tormentis & 4000 curribus: Altero die urbs arbitrio victoris se permisit, qui urbi liberum exercitium Lutheranæ religionis & privilegia imminuta reliquit.

Rotweil. *Rotweila* ad Nicrum fluvium editiori loco non longe ab ejusdem & Danubii fontibus sita, nunc Imperii libera civitas, olim tantum pagus fuit: unde & inter 4 Imperii pagos nominatur. In hostium assultus latis & profundis fossis munita, maxime ob Imperii conventum Iuridicum celebris est, quem hic instituit Imperator Conradus III, quo civium fidem beneficio aliquo rependeret. Factum id anno 1147. Ditio hujus urbis satis ampla est, urbs ipsa Cantonibus Helvetiæ fœdere in æternum conjuncta. Oppugnavit & cepit eam anno 1642 Wirtembergicus; anno insequenti Dux Gallo-Wimaricorum Guebriantius, qui paulo post in devicta urbe ex vulnere occubuit; eodem verò anno à Cæsarianis recuperata est.

Dinckelspühl. Addam superioribus *Dinckelspühlam*, civitatem Imperialem & liberam, ad Wernicum fluvium, Latinis *Tricollim*, *Zeacollim*, & *Zeapolim* dictam à tribus collibus, quibus adhuc in insignibus utitur, quibus singulis deaurati *Dinggel-Eher*, impositi Origo urbi à villa, **der Dingelhoff**/ cujus dominus sæpissime Herbipolitanos Monachos excipiens illis eandem tandem dono dedit, unde Monachi continuo hic Cœnobium fundarunt, quocum hæc urbs coaluit. Hinc in Carmelitarum Cœnobio hi versus leguntur:

Villicus Agrestis, primus cui pinguia Zeæ
Iugera, venturæ nescius urbis erat:
Turritos ubi nunc spectas exsurgere muros,
Heic illi Cereris dona ferebat ager.
Nam postquam invaluere homines, & turba Potentum
Non voluit mores simplicis Agricolæ.
Sic periit sua villa, suum rus, flumina, sylvæ;
Quæque unus tenuit, nunc ea mille tenent.

Præter dictum Carmelitarum Cœnobium in urbe visitur & illud Capucinorum, ut & Xenodochium, & Cathedralis Ecclesia S. Georgio sacra, opus eximiæ structuræ ex quadrato lapide 24 columnis innitens: Privatorum domus modice elegantes sunt; ager vicinus uberrimus, flumen piscibus abundans, quorum tamen major copia ex circumjacentibus piscinis provenit, quarum numerus omnes anni dies æquare fertur.

Cæteræ Civitates. Sunt præterea & aliæ Civitates liberæ, ut *Gengen* ad Preus fluvium, *Bopsingen* ad Egram, *Eslinga* in valle Neccari; & non liberæ, sed suis Dominis subditæ, ut *Furstenberga*, *Ottinga* ad Warnicum fluvium, *Villingen*, *Dornstetten*, *Cella ad Haymersbach*, *Offenburg* ad fluvium Kintzig, *Sinsheim*, *Wimpfen*, &c. quæ adeo exactam descriptionem non requirunt.

SVEVIA SVPERIOR, quæ olim ALLEMANNIA.

Diviſio.



Iviſa eſt Suevia in Superiorem & Inferiorem; quarum illa à Lemano Lacu, ut diximus, nomen Alemaniæ accepiſſe creditur: quippe quæ quicquid olim Rhæti Vindelicive tenuerunt, comprehendat. Ab Septentrione Danubio clauditur, ab Oriente Lyco fluvio, vulgo *der Lech*, à Meridie Alpibus Suevicis, ab Occidente Lacu Acronio, ſive Brigantino aut Bodamico. Lacus hic ampliſſimus eſt, Sueviam ab Helvetia dirimens, longus ſex ſeptemve milliaria Germanica, latus duo circiter, at inter *Roſchach* & *Buchorn* tria milliaria latitudine explet. Eſt autem Lacus hic duplex, Superior & Inferior. Superior à Lindavio incipit & ad arcem excurrit *Podmen*, unde lacum Podamicum dictum volunt, & corrupta nonnihil voce *Podmenzee*, unde pod fluxerit, *Bodenzee*. Aliis tamen libet Bodenzee dici à profunditate & immenſa altitudine. Inferius mare, quod à Coſtnitz principium capit, exiguum admodum eſt, & à Cella vicino pago *Cellerzee* vocatur. Veteres Lacum Venetum appellarunt. Rhenus medium hunc lacum tranſit, exonerantque in eundem ſe aquæ plurimæ undequaque illabentes, quibus æſtivo tempore lacus auctior fit ſolito, parem ſemper ſervans aquarum limpiditatem. Regio lacui circumjecta frugifera admodum eſt, pagis, arcibus, urbibuſque in ripa conſpicuis inſignita. Quatuor inter eas Imperiales ſunt: *Coſtnitz*, *Vberlingen*, *Lindaw* & *Buchorn*.

Superioris fines. *Lacus Brigantinus.* *Boden-zee vulgo.*

Algaw. Algovia, quam proprie hæc Tabula exhibet, ab Oriente Lyco, à Septentrione Danubio, ab Occidente Lacu Podamico, à Meridie Alpibus circumſcribitur. *Qualitas.* Regio eſt dura ſatis & horrida, populos habens rigidiori vitæ aſſuetos, colo & nendo victum quæritantes, quod ne viris quidem dedecori eſt. Pecorum, vaccarum, equorum, abundans. Hordeum fert. Præcipuus quo rigatur fluvius eſt *Iler*, qui ex Alpibus ortus Kemptam præterlapſus, tandem prope Vlmam ſe Danubio miſcet. *Fluvii.* Etiam in eundem deſinunt minores amnes, *Riß*, *Rott*, *Guntz*, *Carnlach*, *Mindel*, *Schmutter*, aliique. In Lacum exeunt, fluvii *Ober-Arg* & *Vnder-Arg* dicti. *Montes.* Montium nomina ſunt: *Ruchſteigh*, *Thenheim im Loch*, *der Grenten*, *Sach*, *der Pyler*, &c. *Domini.* Pars hujus regionis ad Duces Auſtriæ pertinet, pars Epiſcopo Auguſtæ Vindelicorum paret, necnon Abbati Kemptenſi, & Comitibus Montfordiæ. Etiam Imperiales urbes aliquam ſibi portionem vendicant. Non ita longe à lacu Brigantino ſita eſt Imperialis urbs *Ravenſpurg*, ad fluvium Schuſs, quaſi dicas, *Gravensburg*, cui proxime adjacet arx à Duce quodam Sueviæ exſtructa, nomine *S. Veits-berch*; *Ravenspurg.* viſitur hic Cœnobium *Weingarten*, quod Guelphi Comites Altorfiæ condiderunt. Vrbs autem amœna & vitifera in valle jacens anno 1100 muris circumdata eſt: circuitus ejus in 2600 paſſus circiter ſe extendit. Media in urbe præalta turris eſt, in qua noctu tubicen excubare ſolet, quam anno 1552 ingens ventorum impetus in terram ſtravit: miraculo fuit adſcriptum, quod in ea excubans tubicen illæſus manſerit, occumbente licet filio ſedecenni & uxore gravida. In hujus locum alia iterum nova è fundamentis exſtructa eſt. Templa urbs pulchra habet & multa, Cœnobia tria, Xenodochium, Lazaretum, Curiam elegantem, & alia ædificia publica, ac extra urbem aream publicam hinc inde fructiferis arboribus conſitam, quæ verno tempore amœna ambulacra præbet. Ad fluvium *Ober-Arg*, ſive Superiorem Argum, eminentiore aliquantulum loco civitas *Wangen* poſita eſt, Imperialis itidem, *Wangen.* lineis pannis celebrata. Fluvius cooperto ponte ſtratus molas aliquas papyraceas circumagit, in quibus optima & tenuiſſima illa charta conficitur, *Poſtpapier* dicta: circumjacens regio, dura ſatis, vinetis caret. Vnico à Ravenſpurgo milliari ſpectatur arx *Walpurg*, in alto poſita, unde Domini nobileſque *Truchſaſſen* dicti, de Romano Imperio præclare meriti, oriundi perhibentur. *Yſne* nomen habet à fluvio Iſne. *Yſne.* Primum paruit ſupradictis dominis, poſtmodum ære redempta, Imperio Romano ſubdita eſt. Stupendo incendio anno 1631 plurimas ædes, publica & privata ædificia, templa, Xenodochium, armamentarium, &c. amiſit, eoque adeo rapido, ut ne carbo quidem, ne dicam fragmenta lignea, ſuperfuerit; & quod admirandum, parietes adeo candidi ubique remanſerunt, ac ſi nullum incendium fuiſſet, cujus quoque ne odor quidem aliquis remanſerat, ita ut vix incendium fuiſſe, aliis qui non viderant, perſuaderi poſſet. Ad Iſeram jacet *Kempta* civitas antiquitate venerabilis, *Kempta.* olim dicta *Campidunum*. Proſpectu fruitur jucundiſſimo, & Abbatia opulentiſſima, quam Hildegardis Caroli Magni uxor fundavit, & Comitatu Hillarmontano donavit. Inſignia urbi contulit Imperator Fridericus IV, aquilam nempe mediam

mediam deauratam, & mediam nigram, imperiali corona caput circumdatam; addito privilegio, ut rubræ ceræ sigillum imprimerent. Cum vero aliqui Abbates urbem sibi subjicere conarentur, diremit Imperator Maximilianus I hoc dissidium, addito urbi privilegio cudendi monetam. Vrbs tamen omne postea jus, assentiente Cæsare Carolo V, & Pont. Clemente VII, ab Abbate 32000 florenis redemit. Anno 1633 Cæsariani vi in urbem irrumpentes, misera illam civium & ædium strage impleverunt. Mercaturæ cives utplurimum operam dant, & maxime texendis pannis lineis, quorum magnam copiam vicinis suo cum commodo communicant.

Memmingen. *Memminga* itidem Imperialis est urbs, pulchra satis & valida, ambulacris cincta amœnissimis. Sita est in gratissima planitie, sex milliaria Vlma, 10 milliaria Augusta distans, quam perluit amnis ex vicinis fontibus confluens, qui nunquam glacie constringitur. Magnitudine Vlmæ fere æqualis plateas habet nitidissimas, bina templa, bina Cœnobia, bina Xenodochia, bina ptochotrophia extra urbem, & divitem Antonitarum domum. Munit eam ab uno latere palus. Non longe hinc castella plurima videas & cœnobia, nempe, *Ottenbeuren*, *Munchrot*, *Ochsenhausen*, *Wyblingen*, *Buchsheim*, necnon arces in Ilerthal, puta, *Cronburg*, *Marstetten*, *Lautrack*, *Eroltsheim*, *Kelmuntz*, *Dietenheim*, *Bellenberg*, *Wertingen*, *Zelb*, *Kirchberg* ad Ileram. Oppida autem & urbes, quæ non liberæ, sed quibusdam Dominis parentes, complures sunt, è quibus aliquas delibasse sufficiet.

Mundelheim. *Mundelheim* ad amnem Mindelam oppidum est nitidis ædibus insigne, arce ornatum, quam tenent Domini in *Frundesperg*, quorum virtus ac fides conspicua fuit Carolo V Imperatori bella Italica urgenti.

Burgaw. *Burgaw* prope Mindelam toti Marchionatui nomen dedit. ad quem pertinent pagi & cœnobia plurima, nempe *Wetensen*, *Knoringen*, *Ietingen*, *Reisenburg*, *Frisach*, *Siematshausen*, *Susmarshausen*, *Seisersberg*, *Wallerhausen*, *Thierdorff*, *Gesterhausen*, *Rautenbach*, *Schonfeld*, *Vsterbach*, *Aurbach*.

Baden. *Baden*, Marchionum Badensium urbs Metropolitana in monte sita, superba arce splendet, magis tamen celebris salutaribus thermis, quæ fere per omnes urbis ædes ducuntur. Regio circumcirca montosa, non tamen sterilis, sed fructuum, olerum & frumenti ferax.

Durlach. *Durlach*, altera hujus Marchionatus urbs primaria, valde elegans est, pulchris nitens ædificiis, inter quæ Collegium eminet ad radices montis vitiferi structum. Eximia quoque Marchionum arx non exiguum urbi decus adfert, cui amœnissimi horti adjuncti sunt.

Bregentz. *Brigantia* Germanis *Bregentz*, Comitatus titulo insignis urbs, nomen à fluvio mutuatur, qui ex ejusdem nominis silva profluens, in lacum Constantiæ se exonerat, eique etiam nomen aliquando suum commodat. Valles vicinæ vini frumentique feracissimæ, & multis pagis quasi consitæ sunt: at versus saltum Bregensem austeritas multa, nec aliud fere nisi sylvæ inveniuntur.

Rotenburg. *Rotenburg* ad Nicrum milliare Tubinga distans cum arce in Comitatu Hohenberg jacet, in qua Cœnobium Carmelitarum visitur, in cujus Bibliotheca Biblia pervetusta nitide à *Germania*. quadam puella scripta se vidisse Crusius affirmat. Capucini itidem in hac urbe cœnobium habent. E regione ejus, ad alteram Neccari ripam, templum Collegiatum conspicitur à Comitibus Hohenbergicis anno 1320 fundatum, in quo Præpositus, duodecim Canonici & quatuor Vicarii opulentis reditibus ad suum sustentamentum fruuntur. In valle Rotenburgica invenitur fons acidus, multis morbis certissima medicina.

Veldkirchen. *Veldkirchen*, Comitatus sui primaria urbs ad Illam fluvium sita est, qui medio illinc milliari Rheno se miscet. Ecclesiam habet Cathedralem, Cœnobium Capucinorum & Iohannitarum domum: ipsi cives humani, hospitales & laboriosi sunt; nec minus fœminæ quam viri officio suo probe defunguntur.

Donawerta. Non inconveniens videtur Donawertam hoc loco inserere, quæ quamvis Bavariæ Duci pareat, equidem in Suevia sita est. Alluit eam Danubius fluvius; cui ibidem Wernitz amnis confluit: structa est in edito colle, novem mill. Vlma distans, tria suburbia habens, quorum unum *Riet* appellatum, ab urbe amne jam dicto dividitur, sed ponte iterum annectitur; alterum Septentrionem respicit; tertium vero Orienti objectum *suburbium coriarium* vocatur. Primarium in urbe templum Divæ Virgini sacrum est, cui modica turris imposita: in domo Teutonica porro & in Xenodochio itidem templa sunt, & in domo Keysershemiana sacellum. Habet urbs præterea eximium & amplum Cœnobium ad S. Crucem, curiam, & domum splendidissimam Fuggerorum, **das Pfleghauß** dictam, cui multi vici, pagi, silvæ, piscinæ ab Antonio Fuggero attributæ sunt, qui & munus illud, quod *Pflegerampt* vocant, in æternum familiæ suæ acquisivit. Ad mœnia urbis Septentrionem versus domus est in rupe ædificata, ubi olim Kiburgiorum Comitum castellum fuisse perhibent, unde & nunc adhuc illi domui *Burgi* nomen. Anno 1607 ab Imperatore Rudolpho II, excommunicata urbe, Maximiliano Bavariæ Duci executio mandata est, qui eam vi expugnans, religionem Catholicam restituit, & urbem præsidio in obsequio retinuit, usque dum Gustavus Adolphus illam anno 1632 libertati imaginariæ restitueret, quam tamen non diu conservavit, sed iterum perdidit, cum anno 1634 à Bavaro recuperaretur, qui eam adhuc possidet.

Donawerthal. Vallem quoque hic videas, quæ vulgo *Donawerthal* dicitur, quæ sumpto à Danubii fontibus principio, in Lycum desinit, pluribus pagis, arcibus & oppidis insignis. Ager ubique tritici ferax & hordei; pratis pascuisque alendo pecori idoneis: ferarum insuper captura, aviumque aucupio nobilis. Occurrunt oppidula *Simringen*, Comites Hohensollern dominos agnoscens; *Scherr* castellum, & urbecula *Mengen*: necnon *Reidlingen*, *Sulgen*, *Munderbingen*, & *Lipheim* Vlmæ parens.

Alb. Vltra Danubium tractus est, quem *Alb* vocant, cui solum durum est & vomeris vix patiens, ita ut duodecim vel quatuordecim bobus, necnon equis duobus glebam discindi necesse sit.

Albuch. Huic conterminum territorium *Albuch*, montosum & sylvosum, ligna, aves, feras copiose suppeditans.


ALEMANNIA
SIVE
SVEVIA SVPERIOR
A. Christophoro Hurtero.
Milliaria Alemanica quorum 12 uni gradui respondent.
Milliaria Germanica communia.
EXPOSITIO NOTARUM.
Urbs Imperialis — Reichstat
Oppidum cum Arce — Statt vnd Schloß
Arx cum Dynastia — Schloß vnd herschaft
Monasterium — Closter
Forum — Markfleck
Pagus Parochialis — Pfarzdorff
Viculus seu Villa — Weiler
Ruinæ Arcis. — Burgstall.
BODEN SEE.
Lacus Brigantinus Acronius siue Bodamicus.
Feder See
WIR TEN BERG
DVCA TVS.
KEMP TER
TATVS TYRO
BAVARIÆ PARS.
ALBUCH
HERD
FELD.
Lech thal

87

Vlma.

Vlma Imperialis quoque civitas Sueviæ eſt, ſita ad confluentes Ilari & Blavi, quorum ille ex Algea, hic ex Wirtenbergenſi ditione ortus, ſe in Danubium exonerat. Nomen habet ab ulmis, quarum illic larga eſt ubertas, ſolo ad eas edendas ſua ſponte luxuriante. Et fuit perdiu pagus, ad annum ſcilicet 1300 uſque, foſſa tantum & ſepibus munitus. Nunc urbs eſt valida, florens opibus, & copiis locuples, omnique rerum ad vitam neceſſariarum præſidio ornata. Templa habet multa, ſed præ aliis unum eximium, quod magnificentia columnarum, ſtructuræ artificio, majeſtate & dignitate operis, cætera totius Germaniæ, uno excepto Argentoratenſi, provocat. Habet templum illud turrim præcelſam, quam olim, priuſquam pinnis & lorica cincta eſſet, conſcendit Maximilianus, ut ex ea locorum conterminorum ſitum amœnitatemque proſpectaret. Fertur eo tempore Imperator in extremis turris lapidibus ita ſtetiſſe, ut alterum quidem pedem extulerit, agitaritque, alterius vero pedis partem dimidiam, extra locum in quo conſiſtebat, libraverit, media duntaxat plantæ parte nixus. Oſtenditur hodieque locus in quo ſtetit, cum adjecta nominis inſcriptione. Sunt in eadem urbe duo fora maxima, euripi pulcherrimi, armamentaria inſtructiſſima. Danubio alluitur, qui primum ibi navigabilis efficitur, Ilaro & Blavo receptis. Nullos circum ſe montes habet, excepto illo, qui ad Septentrionem eſt, S. Michaëlis. Muris clauditur firmiſſimis. Forma Reipublicæ ariſtocratica eſt, & ab Optimatibus adminiſtratur. Senatores habet 72, qui ex ordine patritio & plebejo conſtant, quorum prudentia univerſæ res, tum in urbe, tum in agro adminiſtrantur, dum ſingulis ſua certa munera attributa ſunt. Templum primarium in urbe eſt divæ Virgini ſacrum, anno 1464 fundari cœptum, & anno demum 1488 exædificatum. Eo nullum in tota Germania fanum eſt, nec latius, nec altius.



TERRITORIVM LINDAVIENSE.

Lindaviæ situs.




Rbs Imperialis Lindavia sita est in Insula lacus Constantiæ, cujus circuitus 4450 passus conficit prope continentem, cui ponte lapideo annexa est 290 passus longo, ita ut quasi Sueviæ Venetiæ sit, cujus fere extremum angulum possidet, Algoviam ab oriente, Helvetiam ab occidente; à meridie vero Grisonum terras, & à Septentrione reliquas Sueviæ ditiones respiciens. Ab occidente habet late sparsos campos, quos *Insulam* appellant, muris fossisque ab urbe divisos, solis piscatoribus inhabitatos, & vinetis alicubi consitos. Habet urbs in insignibus viridem tiliam arborem, vulgo *Lindeboom*, in campo albo; unde & nomen urbi inditum aliqui volunt.

Abbatia. Eximia est in hac urbe Abbatia virginum Canonicarum seu Regularium, quam Adelbertus à Rorbach Caroli Mag. Imp. consanguineus, grave hic maris periculum tandem effugiens, fundavit ad an. 810. Omnes autem hæ virgines nobili sunt ortæ genere, nulli ordini addictæ, nec specialibus vestibus indutæ, quæ nihil agunt, nisi ut diurnas horas in choro cantent, concesso ipsis matrimonio, ubi dignum illis se offert conjugium; harum Abbatissa Anna Christina Princeps Sacri R. I. Catholicæ Religioni addicta jus cudendæ monetæ, aliaque multa privilegia habet, à solo Imperatore quoad feudum dependens. In hujus Abbatiæ splendidissimo templo singulæ columnæ singuli lapides sunt. *Regimen.* Hac aliisque de causis cœnobium hoc urbis, ut ita loqui liceat, quasi fundamenta jecit, quæ primo ad Suevos, dein ad Imperium recidit; multis à Rudolpho I aucta privilegiis, & contra Abbatissæ sententiam munita est, ita ut Lindavienses pro arbitrio suo Consules & Amptmannum, seu Prætorem, eligerent, qui cum Senatu libere jus dicerent: in rebus autem magni momenti, Religionis, Societatum, Bellorum & sine populi consensu & octo tribunis plebis nihil agerent, ne eorum potentia in tyrannidem verteret. Parochialis Ecclesia S. Stephano dicata est: Xenodochium sive Hospitale eximie dives est agris & servituti addictis accolis. *Mores.* Incolæ & cives plurimum liberi, audaces, & bene vestiti genio mediocriter indulgent; *Mercimonia.* cæterum moribus addicti subrusticis. Vrbs hæc quasi receptaculum est omnium mercium vicinarum & dissitarum nationum, ita ut singulis septimanis 1400 currus onerati portam intrent quæ continenti respondet, quia mercatores ex triginta aut amplius urbibus vicinis singulis septimanis forum frequentant. Bavari & Suevi plurima ibidem construunt reconditoria frumenti, salis, ferri & cupri, quæ deinde Grisonibus & Helvetiis divendant. Importatur singulis sabbathis magna vini copia, ut & frumenti, quod in Turgovia & Hegovia colligitur, & postea in Algoviam, Bavariam, & Sueviam distrahitur. E Brigantia, vicina silva de Montefund, Helvetiæ montibus, Appenzel, ac Grisonibus incredibilis butyri & casei in urbem quantitas apportatur, nec non pisces, & fructus, merces Septentrionales Noriberga & Augusta devectæ hîc deponuntur, ut exinde in Italiam deferantur, & è contra Italicæ merces, Noribergam devehendæ. *Vires.* Hinc tantas urbs vires acquisivit, ut inexpugnabilis videatur, natura & arte munitissima, ac armamentario omni armorum genere referto instructa.

Religio. Quanquam autem, ut diximus, Abbatissa Catholicam Religionem amplectatur, cives & incolæ nihilominus Lutheri opinionibus adhærent, nulla tamen inter illos inde exoriente dissensione. *Qualitas.* Aëre tota regio fruitur saluberrimo: hinc Septentrionem versus virentia late prata se aperiunt, montes vinetis exculti & hortis ornati sunt, fontium optimæ aquæ magnus numerus se prodit, qui ex continente in urbem ducuntur.

Vberlingen. *Vberlinga* ejusdem lacus extremæ oræ adjacens, quæ & inferior lacus & *Cellerzee* dicitur, quinque milliaribus Lindavia divisa est, uno vero celebri & magnifico Cœnobio & Abbatia *Salmonsweyl*; multis illa naturæ dotata bonis, fructiferis undique arboribus atque vinetis circumdata, excelsæ rupi superædificata est, quæ lapidibus cædendis apta muniendæ urbi multum confert: quippe quo magis circa muros rupes discinduntur, eo profundiores fossas efficit, quarum profunditas alicubi turrium altitudinem exæquat; talibus fossis circumcirca munita est, intus autem, iterum in tres partes urbs rescinditur, quarum una vitibus permissa nomen S. Galli habet. Hic itaque situs ita olim Sueviæ Ducibus complacuit, ut hic plurimum aulas suas constituerint, quorum post obitum fidei Imperii se permisit, anno 1267. Possidet autem hæc urbs in vicina ora castella *Hohen Bodman*, *Ramsperg* & *Ittendorf*, quæ olim proprios habuere dominos. Xenodochium hujus urbis inter ditissima Sueviæ nomen meruit; urbis autem reditus egregia administrantium fide adeo aucti sunt, ut vix credibile videatur. Et quia commodus ad urbem appulsus datur, fit, ut singulis septimanis ingens accolarum huc numerus confluat, qui fructuum magnam copiam ibidem venalem exponunt, quæ dein in vicinas regiones plurimo cum oppidanorum lucro distrahuntur. Bello Germanico aliquoties tentata est, præcipue anno 1634 à Gustavo Horn Suecorum Duce, qui tribus diebus continuis vehementissime illam oppugnans, irrito successu discedere coactus fuit. Anno 1636 adeo impetuosa aquarum vis ex disrupta



Hic Fons terminus est inter territorium Lindaviense & Achbergense

Finit hic cum inferiori Vrbis Lindaviæ Regimine Arx Achberg terminatur Hospitali Langenaw, Sub Superiori Iurisdictione Montfortensi

Comitatus Montfortensis, Territorij Lindaviensis, & Dominii Wasserburgensis limite concurrunt ad triangulum hic juxta Semilunâ notatum.

CIVITATIS IMP. LINDAVIENSIS TERRITORIUM.

ita Delineabat Iohannes Andreas Rauhen.



Antiqua Lindaviæ Insignia.



1616.

Nova & vera delineatio binarum Columnarum Pacis ad viam Regiam prope Eschag erectarum & in hac tabula literis b. & c. designatarum, cum insignibus et anni numero in illo latere exsculptis quod urbem respicit

Tertia, literâ a notata, & juxta Achbruch posita priori litera c insignitæ plane similis est. excepto quod, injuriâ temporis parte lapidis ruptâ, vix quidquam dignosci possit. Quartæ vero. quam penes literam d positam fuisse ferunt. ne vestigium quidem apparet.

STATT LINDAW

LACUS BODAMICUS vulgo BODEN ZEE.

88

disrupta nube decidens urbem obruit, ut disjectis portis, inferiorem urbis partem submersisset, nisi porta lacui respondens eadem vi disjecta, & ita impetus ille aquarum in lacum emissus deferbuisset. Admirandum tamen novem & nonaginta fere ulnas altum murum ita radicitus corruisse.

Buchorn. *Buchorn* itidem Imperialis civitas inter Lindaviam & Vberlingam ad Constantiæ lacum sita, quatuor mill. Ravensburgo distat, nomen à vicina silva Buchwaldt adepta, quæ hucusque se extendit. Antea suis Comitibus parens, illorum post interitum ad Comites Altorfianos & Ravensburgicos, & illis emortuis ad Imperium se contulit. Adjacet urbi locuples virginum Cœnobium olim *Liebenthall*, deinde *Lowenthall* nominatum, cujus reditus eximii. Anno 1291 urbs à Constantiensi Episcopo & Abbate S. Galli occupata non tamen diu possessa est: anno 1363 incendio fortuito cum omnibus privilegiis tota absumpta est. Anno 1634 à Suecis valde munita post Nordlingensem pugnam relicta est. Subdita urbi ditio non adeo ampla, multis nihilominus pagis pollet, ita ut hujus urbis divitiæ non spernendæ videantur.

Lacus Constantiæ. Lacus Constantiæ, alias *Bodamicus, Venetus, Acronius* & *Brigantinus* dictus in Inferiorem & Superiorem dividitur. Circuitus ejus trecenta stadia conficit, ut Strabo vult: hodierni vero scriptores, 7 ad summum mill. Germanica in longum exporrectum, & tria milliaria latum esse asserunt; & prope Mersburgum trecenta cubita profunditatis habere.


Insulæ. Continet tres Insulas hic lacus, quarum una in superiori lacu Menovia appellatur, Latinis *Minor Augia*, in qua arx Equitum ordinis Teutonici conspicitur, cujus Præfectus multas alias terras possidet, quæ ipsum ut Dominum agnoscunt. Altera insula in inferiori lacus parte jacens subtus Constantiam *Reichenavia* indigetatur, Latine vero *Major* seu *dives Augia*, medium milliare in longitudinem extensa, & quartam partem milliaris larga, quæ valde locupletem Abbatiam continet, unitam Episcopatui Constantiensi. Tertia est illa, in qua urbs Lindavia. *Vrbes.* Vrbes in ejus ripa Suevica sitæ sunt. *Bregentz*, de qua supra, *Langen Arg*, *Burchorn*, *Merspurg*, quo Episcopi sæpe divertunt, *Vberlingen* & castellum *Bodmen*, illi domui subdita, cujus nomen habet. In ripa vero Helvetica numerantur *Ratolff Cell*, Archiducibus Austriæ parens, *Constantia* eosdem agnoscens, *Arbon*, & *Reinech* Cantoni Appenzell subjecta, quanquam in Grisonum terra sita sit.

Qualitas. Inferior lacus multo magis piscibus abundat ac superior, ita ut una vice aliquando viginti vel triginta illic piscium millia capiantur, quos *Gangfisch* appellant, quique candidi & halecibus paulo minores sunt, palato non ingrati, ubi sale vel fumo conditi sunt: superior lacus clarior est, nec nisi raro glacie obducitur. Licet sæpius videre majores naves plenis velis lacum arantes, quæ ex omnibus penè mundi locis merces advehunt & devehunt.



DVCA-

DVCATVS WIRTEMBERGICVS.



D quartum Imperii Germanici Circulum, qui Sueviæ vocatur, pertinet Ducatus Wirtembergicus. Nomen habet à Wirtenberga veteri ſpecula, quæ nunc in umbilico fere Ducatus ſita eſt, non procul à Stutgardia, montuoſo tamen & editiore loco, licet neque munimine, neque ſtructura hoſti formidabilis ſit. Pro majorum enim & veteris ævi conſuetudine, quibus ferrea magis, quam terrea placuere mœnia, loci potius amœnitate ſpectabilis, antiquitate ſolum commendatur. Hanc ſpeculam Wirtembergici Comites multis retro ſeculis incoluerunt. Inde nomen, genus, inſignia adepti. Sunt qui Wirtenbergicos Principes è Tuſcis aut Rhætis ortum autument. Sunt qui è Gallis oriundos affirment. Ab exteris profectos eſſe indubium eſt, verum, an à Gallia, an Italia prodierint, dubium. Tota regio ad Nicri potiſſimum ripam ſita latiſſime patet. Ad Solis ortum Suevos, Vindelicos, & Noricos attingit: ad Occaſum Comitis Palatini ad Rhenum, & Marchionis à Baden limites, inde Nigræ ſylvæ juga complectitur: ad Meridiem montes Arbonæ pariter ac Suevicæ Alpes prominent. Hoc enim nomine incolæ vocant montes ejus regionis editiores. Ad Septentrionem Francos habet vicinos, & non ita procul Othonis ſylvam. Initium ſumit regio à Nicri fontibus, qui ſublimiter Arbonæ jugis leni fonticulo, in Wirtembergenſi Ducatu proxime ad pagum Schwenningen, oppido Villingæ vicinum, ebullit, à fonte Danubii non amplius quingentis paſſibus. Ab ipſo ſtatim ortu Rotwillenſem percurrit agrum, læva Hercyniæ caput, dextra Suevicas Alpes linquens, Ducatum hunc flexuoſo meatu perlabitur, interjacentibus ſparſim nonnullis nobilium caſtris & Imperii Romani oppidis. Ab origine ſua, itinere quinque dierum plus minus, crebris hinc inde fluviolis accreſcens, ac jam navigabilis, apud Heidelbergam in Rhenum defertur. Ejus tractum omnem his verſibus deſcripſit Felix Fidlerus, Boruſſus:

Nominis origo. *Termini.* *Neccarus.*

Neccarus exoritur celebri conterminus Iſtro,
Imminet Abnobiis qua Nigra Sylva jugis.
Dux ubi jura tenet Wirtembergenſis, in oram
Labitur, & medii perfluit arva ſoli.
Teque, novenarum ſedes Tubinga ſororum,
Alluvie muros prætereunte rigat.
Et petit Elſingam, ſenos ubi virgo per annos
Grande puellari ventre fovebat onus,
Innatumque ſuo deferri corpore monſtrum
Fecerat indigenis hoſpitibuſque fidem:
Germania.
Donec inauditæ commenta latentia fraudis
Turpiter amoto ſunt patefacta dolo.
Flectitur hinc gelidæ factus vicinior Arcto,
Sertaque pampinea fronde revincta gerit.
Credibile eſt ejus, quia nomine gaudet eodem,
Miſceri Superis à Ganymede merum.
At ſimul Encingum, Cocharum, Iaxtumque recepit,
In Rheni virides præcipitatur aquas.

Vniverſa regio glebæ natura, cultu & fructu non ubique ſibi ſimilis. Ea namque pars qua Neccarus oritur, & quæ confinis Hercyniæ, tum quæ Suevicis, inter Danubium & Nicrum ſitis Alpibus eſt contermina, ſubaſpera quidem, vitibus inimica, at pecorum cultui ſatis idonea eſt. Ager in Alpe lapidoſus, at frugis feraciſſimus; item per Nigræ Sylvæ cacumina rubro colore tellus arenoſa, frumento tamen ſic ſatis abundans. Ad Hercyniæ ſaltus hæ præfecturæ Ducatui ſubditæ memorantur: Hornberga, Scultachium, Domſtadium, Nagultum, Wildberga, Kalva, Thermæ feræ, Neuenſtadium: per Alpes aut illis vicinæ præfecturæ, Balinga, Vrachium, Blaubeira, Heidenheim, Geppinga, Tuthinga juxta ripam Danubii. Quæ velut quodam intervallo ſeparantur: at ubique Wirtembergicæ ditioni confines in orbem, quaſi gyro latè circumducto, ſeſe recipiunt ad Nicro vicina loca. Vbi vero Neccarus in campeſtria diffunditur, ibi non aëre ſolum, ſed agricultura quoque terra mitior. Nuſquam non amnes videas piſcoſos, fonticulos ſalubres, lacus amœnos, gratas convalles; undique luxuriantes Bacchi colles, herbida prata, fertiles agros, ſylvarum nemorumque viridaria, quibus ineſt plurima fagus; numeroſa quercus, feræ in ſylvis plurimæ, paſcua florigera, pecoris omnigeni vis undique magna, copioſus paſſim vini, frumenti, pomorumque proventus. Aër æſtate hiemeque temperatior.

Regionis indoles. *Præfecturæ.* *Soli fertilitas.*

Expandunt ſe ad flexuoſiſſimi Nicri ripam urbes celebres: quædam majores, aliæ minores, ſed ædificiis cultuque ſpectabiles. In ſuperiore Nicri regione Hernberga, Tubinga, Nurtinga, Kurcha: deinde Stutgardia, quæ velut medio telluris condita metropolis audit, & regia Principum Wirtembergicorum. In inferiori Nicri regione florent hodie Waiblingia, Schorndorphum, Vinidavium, Bacnaugia, Brackenaugia, Binnica, Beſſica, Bietica, Winsbergia, Mœgimilium, Laupha, Grieninga, Vahinga, nec longe à Stutgardia Bebelinga, Lenberga, Canſtadium, quæ urbes ſingulæ ſuis pollent præfecturis, vicis, viris armiſque validæ. Quid, quod per univerſum Ducatum populus armis, humanitate, conſtantia, religione ſpectatiſſimus ſit. Pagi frequentes, plerique inſtar oppidorum culti, ligneis, at affabre ſtructis ædibus. Arces natura, loco, manuque munitæ, captuque difficiles.

Vrbes.


WIRTENBERG DVCATVS.
Milliaria Germanica communia.
PALATINATVS PARS
ALSATIÆ INFERIORIS PARS
BADEN Comit
EBERSTAIN Comit
HOHENLOE Comit
LIMBVRG Herschaft
STIFT ELLWANG
HELFFENSTAIN Comit
ZOLLERN Comit
HOHENBERG Herschaft
BRISGOW
BAAR Comit
NELLENBVRG Com.
SVEVIÆ PARS
Die Rauch Alb
Stutgardt Vorst
Kirchamer Vorst
Auracher Vorst
Schorndorffer Vorst
Leonberger Vorst
Stromberger Vorst
Neuenstatter Vorst
Heidenhaimer Vorst
Beblinger Vorst
Wilbader Vorst
Zwifalter Vorst
Kinteker tall

Alteram, inquit Iohannes Pedius Tethingerus, Laconiam Suevis inesse diceres. Ea est virorum domi bellique præstantia. Abbatiæ hic sunt complures.

Comitatus. Habuit olim hæc regio varios Comitatus, Kalunensem, Tubingensem, Vracensem, Wirtembergensem, Zabergoiensem, Kriechgoiensem, Helfensteinensem, Zollerensem, Achellensem, Teckensem, Nifensem, Herrenbergensem, Grieningensem, Veringensem, Aspergensem: quibus nunc plerisque abolitis, tituli *Ducatus.* Ducatus solis Wirtembergensibus & Teckensibus Principibus adhæserunt. Initio autem Comitatus non nisi arcem Wirtembergensem cum agro vicino haud valde amplo possederunt, sed bellis conjugiisque crevit ditio.

Stutgard. Metropolis hujus Ducatus est urbs *Stutgard*, sedes Ducis, sita prope Neccarum fluvium, medium milliare Canstadio distans, vallibus excelsisque montibus circumvallata, multisque elegantibus hortis adornata. Arx tres graduum ordines habet, quorum præcipuus adeo largus est, ut duo equites facillime simul illum ascendere queant, usque ad Atrium, *die Ritterstuben* dictum, ubi nobilibus mensa sternitur, præter multas alias, quibus aliquando 200 aut 300 peregrini accumbunt. Ad Orientem pons est, per quem in hortum Ducis descensus patet, in quo cavea grandis sane & magnifica, ubi multa avium genera cibantur. In fossis plurima piscium & avium aquatilium, cygnorum &c. copia: in illa vero, quæ hortum versus est, sicca & aquis carente multæ cervæ & capræ sylvestres nutriuntur. Prope hortum theatrum conspicitur multis fenestris ornatum, & illi contigua area arenâ cooperta ad exercendum torneamentorum seu decursionum lusum; in horto autem Domus apparet multis statuis, imaginibus, veterum monumentis, labyrinthis & monte Oliveto decora: præterea fontes cum suis ex ære meatibus, ranæ, serpentes, rustici & rusticæ ex ære fuso, quæ omnia ore aliisque corporis partibus aquam fontanam dispergunt. Vrbs autem ipsa tria suburbia; tria templa & quinque portas habet, multis ædificiis aliis privatis & publicis nitidissima.

Tubinga. Inter urbes cum post Stutgardiam celeberrima sit Tubinga, de ea paucula adjicere libet. Hæc urbs ad Neccarum sita Orientem versus habet montem Austriacum; versus meridiem vallem Neccarinam; versus Septentrionem vallem Ameranam. Admodum elegans est, frumento & vino & reliquo rerum ad vitam necessariarum proventu abundans, usque adeo, ut bona sua vicinis etiam Suevis communicet. Initio fuit Comitatensis. Nam anno 1148 mentio fit in ludis equestribus Magdeburgi celebratis Ludovici cujusdam Comitis Tubingensis. Vendita est hæc civitas Vlrico Wirtenbergico cum castro & omnibus ad eam pertinentibus, anno Christi 1342. Facta est autem magna urbis amplificatio circa annum 1482, cum ad partem, quæ *Pruel* vocatur, accessit forum, & locus, qui versus Nicrum amnem situs est ad meridiem, cum templo B. Gregorii. Eodem tempore quoque deductus est in Nicrum rivus Ameræ, & pons supra flumen constructus ex saxo. Anno vero 1495 in Wormatiensi conventu à Maximiliano Augusto ex Comitatu in Ducatum evecta est, ob insignes & heroicas virtutes Eberhardi Wirtembergensis & Montispeligardensis Comitis, qui, ut illam redderet illustriorem, ac non suæ tantum ditioni, sed universæ quoque Germaniæ prodesset, Academiam in ea instituit, cavitque, ut in *S. Theologia* (sic sunt verba fundationis) *ordinarii Doctores quatuor: In jure Pontificio & Imperiali sex: In Medicina Theorica practicaque duo: In morali duo: In Poëtica, Oratoriaque duo: In Philosophia naturali ac rationali, duobus in contuberniis, magistri decem per singulos dies statis horis suas profiterentur lectiones, perpetuisque foverentur stipendiis.* Itaque evocati illuc docuerunt Gabriel Biel Theologus, cujus multa exstant scripta; Iohannes à Lapide Carthusianus, Theologus & Philosophus eo seculo celeberrimus; Iohannes Stofflerus Astronomus eruditissimus, cujus elegantem sphæram & multa alia Mathematica instrumenta Munsterus flammis consumpta deplorat. *Denique* (ut habet instrumentum fundationis) *ne ex orbe illo disciplinarum quicquam desiderari posset, linguis ediscendis insignem eruditione virum Iohannem Reichlinum Phorcensem præfecerunt, qui Hebræas & Græcas literas doceret fideliter.* Rector primus constitutus est Ioannes Nauclerus, qui & Præpositus & Cancellarius Ecclesiæ & Academiæ fuit. Docuit in eadem Schola patrum memoria Leonardus Fuschius, primus politioris Medicinæ post veteres repurgator. Nostra quoque ætate ornavit eam Martinus Crusius eloquentiæ & linguarum Professor eruditissimus, & Wilhelmus Schickardus Orientalium linguarum Professor, & Mathematicus celeberrimus. Civitatem porro Tubingensem moderantur Præfecti duo, major & minor. Post eos duo sunt Consules: tum Iudices & Quæstores, & Curatores Decumani, qui Rempublicam administrant. Certis quoque temporibus judicium Atticum & Ecclesiasticum exercetur.

Reutlinga. Præter has urbes, & aliæ quædam liberæ Imperiales sunt, ut *Reutlinga* ad Fl. Echetz sita, qui paulo infra urbem se Neccaro miscet. Comprehendit hæc urbs in circuitu passus 2600, à Friderico II ad annum 1215 muro cincta, & Imperialibus urbibus ascripta. Anno 1506, nescio an fortuito incendio, 160 ædes in cineres redactæ sunt; unde ille locus, cum domus reædificarentur, novæ urbis appellationem traxit. Sexennio ante concesserat ipsis Dux Wirtembergicus jus suum in prætorium munus, telonia, &c. quod olim Comitum ab *Achalm* fuit, castello sito in excelso monte, cujus altitudo adscendentes tres horæ quartas detinet. Addicta est civitas Lutheranæ religioni, fuitque anno 1530 una ex illis, quæ Cæsari Fidei Confessionem Augustæ obtulerunt. Consistit Senatus in 28 personis, habetque privilegium *primæ instantiæ*, & liberos suos judices, qui sunt Consules, Senatus urbium Vlmæ, Eslingæ & Gemundæ Suevicæ. Est & hic asylum ad quod illi confugiunt, qui non data opera alicujus cædis rei facti sunt. Parochiale habet templum satis magnificum, Xenodochium, Curiam, & alia multa egregia ædificia.

Reliquæ liberæ urbes sunt, *Heillbrun*, ex medicinalibus aquis nomen derivans, ad Neccarum fluvium sita; olim habuit celebre peregrinationibus

nibus Carmelitarum Cœnobium, ſed anno 1525 à tumultuantibus ruſticis dirutum eſt: & *Weill* ad Wirmam amnem duobus milliaribus Pforzhemio, tribus Tubinga diſtans. Muros & foſſas habet ſatis fortes, ſi veterum temporum ratio inſpiciatur. Primaria urbis Eccleſia S. Petro ſacra eſt.

SERIES COMITVM WIRTEBERGENSIVM.

1, 2, 3, Conradi altiſſima in hiſtoriis memoria eſt, quem Suevum fuiſſe ajunt ex familia Beutelſpachenſi. Is filium habuit Vlricum, ex quo prognatus Ioannes Comes Wirtenbergicus, circa annum Chriſti 1138. Vxor ei Anna filia Rudolphi Comitis Badenſis. Hoc conjugio acceſſit Studgardia ad Comitatum Wirtenbergicum.

4 *Ludovicus* Comes Wirtenbergicus, an. Chriſti 1179: cui uxor Margareta, filia Comitis de Hohenberg.

5 *Henricus* Ludovici filius fertur condidiſſe Monaſterium Irſinenſe, in quo ipſe cum uxore Irmengardi filia Marchionis Burgoviæ ſitus eſt.

6 *Eberhardus* Primus, vir bellicoſus, natus eſt anno 1202, obiit anno 1253. Vxor ei Agnes filia Bertholdi Ducis Zeringiæ, vidua Comitis Vracenſis: Ex hoc conjugio Teccenſis etiam Comitatus acceſſione auctus eſt Eberhardus.

7 *Vlricus*, à pollice, quem in dextera manu inſigniter magnum habuit, cognomen retulit; Vxor ei fuit Agnes, filia Boleſlai Calvi Ducis Lignicienſis: Filiæ, Agnes nupta Ludovico Comiti Oetingenſi; Irmgardis, nupta primum Rudolpho Comiti Hohenburgico, poſtea Marchioni Badenſi.

8 *Eberhardus* II Illuſtris, ab Henrico Imperatore ob contumaciæ crimen exutus fere bonis, poſtea reſtitutus eſt à Ludovico: obiit an. 1323. Vxor ei prior Adelheidis, filia Baronis Signovienſis; poſterior Irmengardis filia Hermanni Marchionis Badenſis: Eberhardi iſtius frater Vlricus uxorem duxit Irmengardim filiam Alberti junioris Comitis Hohenbergenſis, ex qua natus Vlricus Præpoſitus S. Guidonis Spiræ, qui arces Wirtenbergenſem & Studgardenſem bello vaſtatas reſtauravit.

9 *Vlricus* Eberhardi filius Tubingam ære ſuo emit à Palatinis Tubingenſibus, an. Chriſti 1342: obiit anno 1344. Vxor ei Sophia, filia Theobaldi Comitis à Pfirdt.

10 *Eberhardus* III ſub Carolo IV Imperatore in belo vulneratur, amiſſo etiam filio Vlrico, tandem ipſe quoque extinctus eſt, anno 1392. Situs eſt cum filio ſuo Studgardiæ. Vxor ei Eliſabeth, filia Henrici Comitis de Hennenberg.

11 *Eberhardus* Mitis, Vlrici ejus qui in prœlio occubuit filius, regionem armis vaſtatam prudentia & pacis artibus priſtino cultui reſtituit: obiit anno Chriſti 1417. Conjugem habuit priorem Antoniam, Barnabæ Vicecomitis Mediolanenſis filiam; poſteriorem, Eliſabetham filiam Ioannis Burg-gravii Noribergenſis.

12 *Eberhardus* junior ſuperioris filius, obiit in ipſo ætatis flore, quum ducta uxore Henricâ filia Henrici Comitis Mompelgardenſis, domum Wirtenbergicam auxiſſet eo Comitatu. Hic ille eſt Henricus qui ad Nicopolim cæſus fuit à Turcis anno 1395. Porro Eberhardi obitus incidit in annum 1419. Vxoris vero in annum 1442. Ex his nata eſt Anna, uxor Philippi Comitis Cattimelibocenſis.

13 *Ludovicus*, major natu filius Comes Wirtebergenſis & Montpelgardenſis, ex uxore ſua Machtilde, filia Ludovici Barbati Electoris Palatini, ſuſcepit liberos complures: Filias, Eliſabetham, nuptam Ioanni Naſſovio; Mechthildem, nuptam Ludovico Landgravio Haſſiæ. Fuit autem Princeps gravis & pius. Obiit anno 1450. Frater Ludovici Vlricus, ex moribus dictus *Adamatus*, uxorem habuit Margaretam filiam Adolphi Ducis Cliviæ: poſt hanc vero Eliſabetham filiam Henrici Landshutenſis Ducis Bavariæ; ultimam, Margaretam filiam Amedei Ducis Sabaudiæ.

SERIES DVCVM.

1 Eberhardus VI Ludovici filius, Barbatus, magni animi & virtutis Princeps, ſapientiam ſuam non domi tantum in gubernatione placida, ſed etiam foris in communibus Imperii negotiis declaravit. Reverſus Ieroſolyma à Papa Sixto IV donatus eſt Roſa aurea, an. 1487. Suevico fœderi, quod pacis tuendæ cauſſa initum fuit, ſuum quoque nomen dedit, anno 1488. A Philippo Auſtrio, Maximiliani Imperatoris filio, in ordinem Equitum Aurei velleris adſcriptus anno 1491; ac triennio poſt ſolemni ritu Dux primus Wirtebergenſis & Teccenſis inauguratus Wormatiæ. Magnus fuit in eo literarum & ſapientiæ amor. Capnionem, Nauclerum, amavit & produxit. Academiam Tubingæ conſtituit ope imprimis Vlrici patrui; eamque munifice, imo regaliter, donavit. Exiit è vita anno 1496. Vxor ei Barbara, filia Ludovici Marchionis Mantuæ.

2 & 3 *Eberhardus* VII Vlrici filius, Wirtenbergicus & Teccenſis Dux, Eberhardo ſine legitima prole extincto ſucceſſit. Sed quum male imperaret, pulſus eſt, ſuffectuſque in ejus locum Henricus frater, qui & ipſe haud diu rebus præfuit; abductus eſt enim in carcerem; ac poſt longa tædia mortuus, ſepultus eſt Heidelbergæ. Eberhardi uxor fuit Eliſabeta, filia Alberti Electoris Brandeburgici. Henricus vero uxores habuit Eliſabetam filiam Simonis Comitis à Bitz, & poſtea Evam, filiam Ioannis Comitis Solmenſis.

4 *Vlricus* Dux Wirtenbergenſis & Teccenſis anno 1504 in bello Bavarico ademit Philippo Palatino aliquot oppida, exemplum ſequutus aliorum Principum, qui pro ſe quiſque in Principis proſcripti bona involabant. Anno 1519 Reutlingam urbem imperialem obſedit & expugnavit: ſed mox inde à Suevici fœderis ſociis expulſus, toto inſuper Ducatu ſuo ejectus eſt. Carolus Cæſar ditionem illam à Suevicis fœderatis ſibi oblatam, Ferdinando fratri ſuo conceſſit. Indignam vero judicaverunt excluſionem iſtam quidam

Germaniæ Proceres: itaque postquam Vlricus jam 11 annos exsulasset, egerunt Augustæ in Comitiis anno 1533 apud Cæsarem Landgravius Hassiæ & alii quidam Principes de illo restituendo, qui etiam pro ipso deprecati sunt. Sed perstitit Carolus in sententia sua, & excluso Vlrico in fratrem Ferdinandum publice contulit titulos, honores, dignitatem, & bona Comitis Wirtembergici, Augustæ in Comitiis anno 1533, posthabita etiam intercessione Francisci Galliarum Regis, qui per Oratorem suum Guilielmum Langæum contenderat ne hoc fieret. Itaque armata manu Landgravius rem conficiendam videns, copias eduxit, & Philippum Palatinum, qui pro Ferdinando militans, veterum damnorum ultionem meditabatur, ad oppidum Laufenum agri Wirtenbergici cecidit, magna copiarum parte in amnem compulsa, & ductore ipso Palatino vulnerato. Ita reductus restitutusque Vlricus tandem cum Ferdinando transegit, ut utile dominium Ducatus Wirtenbergici esset suum, directum Ferdinandi. Idem quoque an. 1546 in bello Schmalcaldico Saxonis & Landgravii partes secutus, factum suum postea apud Cæsarem excusare & deprecari coactus est, factus etiam Vlmæ victori supplex. Tandem vero obiit anno 1550. Vxor ei fuit Sabina, Alberti II Ducis Bavariæ filia, ex qua natus anno 1515

5 *Christophorus*; quem puerum Bavariæ Princeps avunculus in aula sua, adultiorem Ferdinandus Viennæ aliquandiu educarunt, tantisper dum hic adversus patrem ejus Vlricum bellum gerebat. Sed quum eum Carolus V clam cum præceptore Tiferno per Carnicas Alpes in Hispaniam conaretur abducere, ut ea ratione Ducatum fratri integrum relinqueret, elapsus in Bavariam primum, inde in Galliam, opem Regis ad restituendum patrem exulem imploravit. Christophorus post patris obitum cuncta ad pacis artes revocans, legibus institutisque salutaribus patriam ornavit. Extinctus anno 1568, ætatis suæ anno 53. Vxor ei fuit Anna Maria, Georgii Pii Marchionis Brandeburgici filia.

6 *Ludovicus* Wirtenbergensis Dux natus anno 1554, paternis artibus Remp. laudabiliter rexit, obiit anno 1593. Vxor ejus prior fuit Dorothea, filia Caroli Marchionis Badensis; posterior, Vrsula, filia Georgii Ioannis Comitis Palatini: Liberi nulli. Itaque Vlrici posteritate extincta, successit fratris ejus Georgii Comitis Mompelgardensis filius Fridericus, natus ex Barbara filia Philippi Lantgravii Hassiæ.


7 *Fridericus* iste, Ludovici patruelis, pari cum majoribus suis virtute & prudentia ditiones hæreditarias administravit, pietatis & eruditionis egregius æstimator. Vxorem duxit, Sibyllam, filiam Ioachimi Ernesti Principis Anhaltini, ex qua plures filios suscepit; omnes patriæ virtutis æmulos.

8 *Ioannes Fridericus*, liberorum Friderici natu maximus, natus anno 1582, uxorem duxit Barbaram Sophiam, Ioachimi Friderici quondam Marchionis Brandeburgici & Electoris filiam, Stutgardiæ, anno 1604, die 4 Novembris; obiit 18 Iulii, 1628.

9 *Eberhardus*, natus 1614, 16 Decemb. uxorem habuit 1 Annam Catharinam, Iohannis Casimiri, Wild- & Rheingravii filiam, obiit 27 Iun. 1655. 2 Mariam Dorotheam Sophiam, Ioachimi Ernesti, Comitis ab Oetingen filiam: ex prima uxore nati Iohannes Fridericus, natus 9, Sept. 1637; Ludovicus Fridericus, natus 1638, 2 Nov. obiit 1632, 18 Ian.; Christianus Eberhardus nat. 1639 29 Nov. obiit 1640, 23. Mart. Eberhardus, natus 1640, 12. Decemb. obiit 1641, 24 Februarii: Sophia Ludovica, nata 1642, 18 Februarii. Dorothea Amalia, nata 1643, 13 Febr. ob. 1650, 27 Mart; Christina Friderica, nat. 1644, 28 Febr. Christina Charoletta, nata 1945, 21 Octobris; Wilhelmus Ludovicus, natus 1647, 7 Ianuarii; Anna Catharina, natus 1648, 27 Novembris; Carolus Christophorus, natus 28, Ianuarii, obiit 2 Iunii 1650; Eberharda Catharina, nata 12 Aprilis 1651; Fridericus Carolus, natus 12 Septembris 1652; Carolus Maximilianus, natus 28 Sept. 1654: Ex secunda, Georgius Fridericus, natus 24, Sept. 1657.

A L S A T I A.

Alsatia duplex.



D quintum circulum Imperii pertinent Alsatiæ Episcopi, Principes & civitates liberæ. Austriacæ ditionis regio est, in duos Lantgraviatus, superiorem & inferiorem, divisa. Ad Orientem Helvetiam intuetur, à qua Rheno disjungitur. Ab Occasu Lotharingiam habet, à Meridie Helvetiæ partem & Burgundiam, à Septentrione Ducatum Wirtembergensem. Ea hujus tractus est præstantia, ea nobilitas, ut nulli alteri ad Rhenum posito cedat. Læta rerum omnium, vini imprimis & frumenti copia gaudet, ut non modo incolis suis, sed & vicinis sufficiat ea, quæ ad victum necessaria sunt. In Sungovia, quæ Alsatiæ contermina est, maxima crescit frumenti vis, imo luxuriant segetes per totam Alsatiæ planitiem usque ad Argentinam. Præter has etiam in montibus Alsatiæ reperias silvas castanearum, ut & fodinas æris & plumbi, præsertim in valle *Leberthal*. Nec desunt gratissima pecori pascua, è quibus probatissimum casei genus fit, in tractu *Munsterthal*. Paruit olim Franciæ Regibus, pars Regni Austriaci. Primum Ducatus titulo gubernata fuit, & ab Hilderico Francorum Rege Eticoni eo titulo collata, anno 684; cum autem præfecturæ nomine ei fuisset subjecta, Eticonem excepit filius ejus Adelprechtus, qui telo ictus Linfridum & Eberhardum hæredes & Alsatiæ Dominos reliquit. Postea familia hæc sedibus suis pulsa fuit per Carolum Martellum Palatinum, & Curiæ Magistrum in Franciæ Regno. Tempore autem Ottonis I, Comites Kiburgenses Imperatoris consanguinei potiti sunt rerum in Alsatia. Sunt qui volunt eos factos Lantgravios Alsatiæ: alii vero dicunt ab Ottone III Alsatiam primum in Lantgraviatus duos erectam, pervenitque tandem Lantgraviatus superior, qui oppidum continet Einsheim & circumjacentia quæque loca, ad Comites Habspurgenses. Alter, à Comitibus Ottingensibus, ad quos, Henrico Lantgravio inferioris Alsatiæ improli defuncto, devolutus erat, Episcopo Argentoratensi venditus, etiamnum ei paret.

Termini.

Regionis indoles.

Imperium.

Religio.

Variant incolæ quod religionem attinet: plurimi namque ac qui sub Archiducum Austriæ, & Episcopi potissimum Argentoratensis imperio sunt, illorum, ut populo mos, exemplum secuti, Ecclesiæ Romanæ se submittunt; alii vero Lutheri vel Calvini opinionibus addicti sunt. [Argentoratum namque hujus generis hominibus incultum Catholicos, seu Catholicæ Religionis exercitium non admittit: Hagenoa Catholicis, Lutheranis & Iudæis concessa conscientiæ libertate, Catholicos ad gubernacula urbis tantum admovet; Schlettstat contra adeo ferventi Romanæ religionis zelo imbuta est, ut reliquis locus non detur, Iesuitarum Collegio plurimisque Religiosorum utriusque sexus cœnobiis tumens.

Vrbes præcipuæ.

Civitates & oppida habet quadraginta sex, omnia muris cincta: arces quinquaginta, tum in montibus, tum in plano sitas; villarum & pagorum numerum infinitum. In Inferiore Alsatia sunt Argentoratum, Tabernæ, Hagenoa, Wissemburgum, Hasla, Schlettstat, Colmar, aliæque.

Argentoratum.

Quod nos nunc Argentoratum veteres secuti appellamus, id avorum nostrorum ætate vocaverunt plerique Argentinam & Strasburgum. Sita est urbs ad Rheni ripam Gallicam, modico à flumine intervallo. Eam perfluunt Ellus & Bruscha, qui postea extra urbem Cincio juncti in Rhenum sese exonerant. Templum urbis initio sub Clodoveo Rege ligneum fuit, sacrum B. Virgini, anno 600. Id postea à Dagoberto factum est Cathedrale: nunc elegantissimum est totius Europæ. Exstrui cœptum est anno 1015. Ei ducentis sexaginta post annis addita est à Senatu populoque Argentoratensi turris miri ac plane stupendi operis, sub Conrado à Leichtenberg, architecto Erkuino à Steinbach, qui 28 annos in illud opus impendit. Perpendiculum à summo ejus fastigio ad imam basim est 574 pedum Geometricorum. Lapides prominentes sunt, exsculpti insigni artificio. Eorum vero tanta est frequentia, ut faber quidam non semel per illos ad summam crucem sine scalarum ope enixus sit. Nodus qui sub cruce est, fertur sex homines capere, quum infra contemplanti non videatur disci excedere magnitudinem. De hac urbe Sturmius in epistola ad Hermannum Adolphum Comitem Solmensem sic scribit: Quatuor res sunt, quas exteri homines & magni viri, quum in hanc urbem veniunt, videre & spectare cupiunt: Harum una est turris primariæ ædis vestræ, cui par nulla vel magnitudine, vel firmitate operis, vel artificio in Europa & Asia invenitur. Altera armamentarium Magistratus nostri, quod ad omnium quidem salutem comparatum est, non tamen omnibus ad spectandum patet. Tertia est, cornu Monocerotis vestrum, raræ & invisæ magnitudinis. Quarta, Academiæ nostræ constitutio, quam mihi si per homines concederetur exædificare, mortem nullam mihi acerbam fore crederem. Miror cur non quinto loco posuerit Reipublicæ formam, ipso etiam phosphoro formosiorem: est enim disposita ordine, mensura, & judicio, ita ut primarii Magistratus pars tertia legatur ex nobilibus; reliquæ partes duæ tam ex patritiis quam ex plebejis. Post Senatores hosce tribus sunt constitutæ viginti, & singulis tribubus Præfecti, Tribunus cum 14 Scabinis. Hi regunt consilia & deliberationes suæ cuique tribui convenientes. Sunt præterea quindecim viri, & tredecim viri. Ac præter Senatum majorem, Senatus etiam minor. Horum omnium solerti cura & industria cuncta ad Reip. salutem administrantur.


ALSATIA
Landgràviatus,
cum
SVNTGOIA
et
BRISGOIA
Ger. Mercatore
Auctore.
Milliaria Germanica communia
1
2
Guilhelm. Blaeu excudit.
Lotharingiæ fines.
Die Hartt
Pars episcopatus Basilien:sis.
BRISGOW
Schwartz Waldt.
Baden march.
90

tur. Est & alius Senatus, qui non nisi difficillimis temporibus cogitur. Is constat trecentis viris ex singulis tribubus delectis. De hac urbe memorabile est Erasmi Roterodami verumque judicium. Hæc civitas (inquit) hodie inter Germanicas vel florentissima est, non solum opibus, ac non Rheno tantum præterfluente, libertate perpetua, diuturna pace, qua jam olim sub clementissimo Cæsare Maximiliano semper Augusto fruuntur; verum multo magis civium moribus, Magistratuum prudentia simul & integritate; quorum opera fit, ut quemadmodum olim à Massiliensium, ita nunc ab Argentoratensium Repuplica, universa virtutum & recte institutæ civitatis exempla petere possis. Adhæc, quod ego vel in prima nobilitatis parte posuerim, in nulla gente plus honoris habetur vel egregiæ virtuti, vel excellentibus ingeniis. Vnde fit, ut non alia magis abundet summis viris, in quibus & eruditionem commendat morum integritas, & morum integritatem ornat eruditio.

Vt autem de ipsa urbe aliquid dicamus necesse est. Sita est illa, ut dixi, ad Rhenum, secantibus eam Illa & Bruschio, qui in urbe in multas diducti fossas aliquibus ansam dederunt comparandi Argentoratum Venetiis, tum ob mercaturam utrimque frequentissimam, tum ob aquarum ductus. Hoc tamen illa Venetiis præstat, quod salubriore & clementiore aëre fruatur, qui marinis vaporibus non infectatur, cum viva Argentoratum fluenta dividant. Hinc late circumcirca uberrimi campi, & frugifera arva, quibus vix reliqua Germania meliora, ne dicam paria, exhibeat. Injectus Rheno ligneus pons, quamvis tremulus, assidua magistratus cura multis impensis annuatim reficitur, quoad formam S literæ non dissimilis, in concessa ob nimiam longitudinem expansa rectitudine. Præter Cathedrale templum sex alia sunt, in quibus singulis diebus Dominicis verbum Divinum docetur. Dominicanorum cœnobium in Scholam conversum, Bibliothecam publicam & Theatrum Comicum in se continet: Senatus quippe nihil aliud suæ urbi deësse videns, & nihil magis necessarium arbitratus, ad Gymnasium erigendum consensit; quod ex indulgentia Impp. Maximiliani & Ferdinandi Secundi, in Academiam, sive Vniversitatem convertit, multisque privilegiis auxit & munivit. Visuntur præterea Domus Equitum Melitensium, & Ordinis Teutonici; Cœnobium Pœnitentium virginum; Turris, in qua argentum publicum asservatur, Hortus Medicus, aliaque multa: platearum ordo ubique amœnus, & privatorum domus nitidæ & sæpissime vario colore pictæ, gratam peregrinorum oculis urbem reddunt: magis tamen eorum animis eximia civium humanitas, qui nulli rei magis quam exteris placere student. Hinc undique adventantium mercatorum immensa vis, quorum numerus aliquando 20 millia excedit. Helvetia vicina frumentum, butyrum, caseum, vinum, lanamque suppeditat; Suevi, Saxones, Westphali & Belgæ vini, aceti, vini adusti, aliarumque mercium, imprimis panni, halecum & sale conditorum piscium copiam urbi communicant: Itali sericum, Angli stannum & pannos, Galli aromata, Lotharingi & Burgundiones sal, porcorum greges & magnam cupri vim aliis in urbe mercibus commutant. Hinc vires huic Reipublicæ stupendæ, & 300000 thalerorum annui reditus. Possidet hæc autem Baronatum *Barr*, qui ejusdem nominis oppidum & decem pagos comprehendit; *Walsheim* cum arce & multis pagis oppidum; urbem *Balbrin*; munitum castellum *Herrnstein*, continuo præsidio firmatum; Toparchias *Illkirch* cum adjunctis sex pagis, & *Keil* ultra Rhenum cum pagis suis; urbem *Wange*, subditam Abbatiæ ad S. Stephanum; & multos alios pagos, quorum Domini urbis cives sunt: nec non jus eligendi Prætorem in urbe Imperiali *Oberehenheim*, cujus magistratus in criminalibus nihil sine Argentorati consensu agere potest.

Tabernæ. *Tabernas* Simlerus *Zabern* vocat, munimentum Romanorum ad prohibendas Alemannorum in Galliam incursiones, ubi Episcopi Argentinensis Curia esse solet & domicilium. *Hagenoa.* *Hagenoam* urbem Fridericus Barbarossa muro cinxit, loco sitam arenoso, cujus tamen sterilitatem compensat agri non longe à civitate siti fertilitas. *Wissenburgum.* *Wissemburgum*, albam arcem sonat, oppidum est situm ad radices montis Vogasi, situ peramœnum, collibus undique humilibus & depressis clausum, quod ipsum Lutra amnis intersecat, qui duobus passuum millibus ab oppido à Rheno absorbetur. *Hasla.* *Hasla* ad Bruscham fluvium est, oppidum dono datum Florentio à Francorum Rege Dagoberto.

Colmaria. Alsatia superior Colmariam habet, Einsheimum, Rubeacum, vulgo Ruffach, Selestadium, aliaque oppida. De Colmaria Rhenanus; *Excidium Argentuariæ Colmariam nobis peperit*, Alemannorum opus, distantem non multis ab ea passibus, & paulo subductam ab Ello flumine. Certe Argentuariam, cujus Ptolemæus meminit, & Eutropius, evertit Attila, à Gratiano antea ob victoriam à Suevis atque Alemannis reportatam, ædificatam. Ex hujus igitur ruinis crevit Colmaria, quæ antea non videtur fuisse, nisi forum carbonarium. Oppidum est in medio Alsatiæ situm, supra Selestadium, loco opimo & fertili, in quo præter torrentes, egregii amnes quatuor numerantur, Lucha, Durus, Fechta, & Ellus; adeo ut & ubertate agrorum, & varietate fructuum, & magnitudine pastionis, & pulchritudine earum rerum, quæ exportantur, facile omnibus vicinis civitatibus præferri possit. Planities urbis in longum undique porrecta, à montibus ferme duobus passuum millibus constat. Vallo eam cinxisse fertur Wolffelinus Præfectus Hagenoæ, imperante Frederico Secundo Augusto. Majores Caroli Magni has sedes amasse & coluisse creduntur.

Flumina. Flumina Alsatiam irrigantia sunt, præter Rhenum, aliosque, *Illa, Brusschus, Kintzgus, Sorn, Mater, Lauter*. Maxime vero nobilis in Alsatia est *Illa*, totam fere regionem intersecans, fontesque habens ac originem supra oppidum *Altkirch* in Sungovia. Incolæ minima parte indigenæ sunt, sed exteri majore, commorantibus illic Suevis, Bavaris, Burgundis, Sabaudis, & Lotharingis, maxime Suevis.

S V N-

S V N G O V I A.

Termini.



Vngovia vel *Sunggoja*, vulgo *Sungow*, ad Septentrionem Alsatiam : ab Ortu Rhenum, ab Occasu Galliæ extremitatem tangit : ad Meridiem Helvetiæ contermina est. Habet multis in locis vineas, & ubique frumenti copiam, quod in vicinas vehitur regiones, scilicet in Helvetiam, Nigram Silvam, Lotharingiam : atque remotiores.

Qualitas.

Comitatus Pfirtensis.

Complectitur Comitatum Pfirtensem, cujus ultimus Comes Vlricus mortuus est Basileæ, an. Christi 1024, relictis duabus filiabus, quarum alteram, Ioannam nomine, duxit in uxorem Albertus Austriæ Dux, deditque Vrsulæ uxoris sorori, in hæreditatis portionem, octo marcarum argenti millia; Dominia, Befort, Morspurg. Ad Comitatum pertinent Altkirch, Dattenriet, Befort, Rosenfels, Maszmunster, Thanu, Senheim: hodie ab Austriæ Principibus in præfecturas distributa. In Befort est collegiata Ecclesia, quam Comites Pfirtenses cum Veldpacho Monasterio virginum (ubi tredecim Comites, & totidem Comitissæ conditæ sunt) fundarunt. In Maszmunster insigne est monasterium Virginum, atque aliquot Canonicorum. Putant fundatum à Masone Alemannorum Duce, à quo vallis Wast, appellatur Vallis Masonis. Thanum elegans est oppidum, adcenseturque Comitatui Pfirtensi. Imminet oppido arx montana, Engelburg : ei adjacet mons Rang, in quo nobilissimum crescit vinum, Rangwein appellatum, Basiliensibus notissimum. Prolabitur ibi ex montium faucibus fluvius Thurus, Sungoviam ab Alsatia distermiminans. Morsmunster monasterium in Comitatu Pfirtensi fundarunt Comites Pfirtenses. Fanum Amarini & arx Friberga, uno milliari à Thanno distans, Abbati Murbacensi paret : non procul inde Mosella fluvius oritur. *Mulnhausen* civitas Imperialis, est quoque in Sungovia, cujus Advocatus sive defensor (sicut & oppidorum Colmariæ & Keiserspergii) Episcopus Argentinensis anno 1261 fuit, sed paulo post Rudolphus Comes Habspurgensis, cum Colmariam, civibus quibusdam consentientibus, occupasset, & Mulnhausen obtinuit, arcemque quæ in eo erat (omnibus qui inerant captis) auxilio civium diruit. Electo autem Rudolpho in Romanorum Regem, redierunt eadem oppida ad Imperium. Oppidanorum studium consistit potissimum in vini & frumenti cultura : estque vinum hujus loci satis celebre. *Otmarsen* oppidum monasterium habet Virginum, quod tempore Henrici IV construi curavit Comes Habspurgensis Rudolphus. Hujus frater Wernherus Argentinensis Episcopus, Constantinopoli in quadam Insula vitam cum morte commutavit.

Thurus fluvius.

Mulnhausen.

Adhæret Sungojæ ad Occasum Comitatus Montis Beligardi. Habet egregium Oppidum Montis Beligardium, arcem regiam ostentans, & alia multa oppida & castra : ut sunt Grans oppidum & castrum, Klarwang oppidum & castrum, Passewangum oppidum cum arce, quæ omnia Ducum sunt Wirtembergensium : utunturque incolæ lingua Burgundica. Comitatui propinquum est oppidum Bruntaut, ubi Episcopus Basiliensis in arce regia habitat.

Comitatus Montis-Beligardi.

B R I S G O I A.

Nomen.



Riſgovia, ſive *Briſgoja*, vulgo *Briſgow*, ſonat lingua Germanica pagum laudabilem. Et ſane regio iſta ob eximiam feracitatem, hoc nomine digna eſt, non inferior in hoc ipſa Alſatia. Si tamen veteres revolvamus Scriptores, facile inveniemus hanc regionem hoc nomen adeptam, à metropoli Briſaco. *Situs.* Initium trahit à Mortnaw, & excurrit ſecundum adſcenſum Rheni fere Baſileam uſque. *Indoles.* Regio uberis agri, qui faciendæ ſementi, & vinetis vini laudatiſſimi ſuſtollendis commodiſſimus. *Domini.* Ius hujus regionis Archiduces Auſtriæ & Badenſium Marchiones inter ſe partiti ſunt. *Briſacum.* Metropolis olim Briſgojæ Briſacum, meminit Antoninus in Itinerario Montis Briſaci, quum alioqui nullas trans-Rhenanas commemoret urbes, ſed tantum provinciales circa Rhenum ſitas: unde quidam arguunt alveum Rheni hic mutatum, qui ab altera quondam parte prælapſus fuerit oppidum, quum illud adhuc in Gallica ripa ſtaret. Luitprandus Ticinenſis, qui ſub Ottone I vixit, Montem Briſacum Alſatiæ tribuit, & Inſulam Rheni fuiſſe docet. Situm hoc oppidum in monte rotundo inſtar caſtri, habetque hodie Rhenum ad Occidentem. Eſt ſatis elegans, munitum & frequens, & temporum ſucceſſu ſuperavit ipſum Friburgum magnificentia & divitiis. Oppidum recens natum, & quod ob mineras metallicas ſubito crevit, & ad ſummum adſcendit gradum. In Briſaco eſt arx quædam vetuſta, quæ diu in ruinis jacuit, reſuſcitataque ſunt tandem ejus ædificia. Habet turrim robuſtam & valde munitam, quam Bertholdus Ziringenſis III exſtruxit: quod ſequentes probant verſus in lapidibus ejus ſculpti:

Hanc Dux Bertholdus portam ſtruxiſſe notatur.
A quo pro fraude Burgundia gens populatur.

Habet civitas duntaxat unum fontem, cui ſuperædificata turris magna, in qua pedibus agitatur rota grandis, quæ extrahit aquam ex multa profunditate terræ, civeſque ſolvunt cenſum annuum pro hauſta aqua. Vndique eſt deſcenſus ad Rhenum & ſubjectam planiciem, ubi aqua in ſuperficie terræ facile quidem haberi, ſed dificulter in ſublimem montem perferri poteſt. Medio milliari infra Friburgum ſitum eſt in monte excelſo caſtrum quoddam dirutum, nomine Zaringhen, à quo Duces Zaringenſes olim titulum ſuum habuerunt. *Friburgum.* Friburgum præclarum Briſgojæ oppidum, metropolis hodie, à Duce Bertholdo IV, filio Conradi I von Zeringen, ſub Henrico V Imperatore exſtructa, cum antea pagus eſſet. Vrbs ſitu amœniſſimo inter montes excellens, multis variis & magnificis ædibus, templis, monaſteriis ornata. *Academia.* Academia ibi erecta eſt anno 1459, ubi etiam olim Iura publice docuit Vdalricus Zaſius celebris Iuriſconſultus. Habuit olim ditiſſimam argenti venam, unius milliaris intervallo ab urbe diſſitam. Sunt in Briſgoja Zering olim Ducatus, Friburg Comitatus, Hochberg Marchionatus, & Dominia Badenville, Stauffen, Burcken.

F I N I S.

INDEX & ORDO
TABVLARVM
VOLVMINIS TERTII.

M O N I T I O.

Sciat Bibliopega ex hoc volumine poſt impreſſionem, folia quædam, ſignata nimirum litteris Iiii, Kkkk, Llll, Mmmm, Nnnn, Oooo, Pppp, Qqqq, Rrrr, *dempta eſſe; & in fine primi voluminis ſtatim poſt Daniam poſita, continent enim Sleſvicenſis ducatus deſcriptiones ac tabulas, qui ad Daniam olim pertinuit.*

INDEX
ALPHABETICVS
TABVLARVM
VOLVMINIS TERTII.



